


600095466-



HISTORIA CRITICA QUAESTIONIS

INTER

THEOPHILUM, EPIPHANIUM, ET HIERONYMUM

ORIGENIS ADVERSARIOS

ET INTER

JOANNEM CHRYSOSTOMUM, THEOTIMUM, RUFFINUM

ET MONACHOS NITRIENSES

ORIGENIS PATRONOS

PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM

VOLUMEN III.

PARS III.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1865

Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare.

S. Hieronymus in Libro adversus
Joannem hierosolymitanum.



PROLOGUS

Quum tertio Origenis causam initurus sim, non modica animi sollicitudine vexor, considerans non adversus interpolatores, falsatores librorum ejusdem, mihi pugnandum esse, verum in illos, qui, etsi scientia, zelo ac sanctitate in domo Dei praestiterint, nihilominus in secernendo vera a falsis, genuina a spuriis, certa ab incertis non satis providi, Origenis nomen ignominia suffuderunt hujusmodi, ut, qui ad duo secula, *magistri ecclesiarum* secum tulerat decus, *omnium* deinde *haeresum condimentarius* appellaretur. Et hinc necessario pro iis disputandum sequitur; qui, cum in Ecclesia eo usque pro veritate decertarint, et christiana pietate, omnique virtutum genere excelluerint, ac una ipsius Origenis partes et quidem jure susceperint, alii ex his nonnihil, alii penitus coram Ecclesia e fama deciderint sanctitatis; quorum adhuc obtenebrata manet memoria.

Praeterea in hoc certamine nec ignorandum est, rem tunc, idest cessante seculo quarto, utrinque actam fuisse hujuscemodi studio, animorumque ardore et firmitate, ut vix horum reperiatur unus alteri cedens. Quinimmo ex his plerique potius vexationes, exilia sustinuerunt, quam Origenis anathemati subscribere; cum ceteri adversus istos acriter instantes, nullaque ratione illorum obtestationibus cedentes, totis viribus non solum Origenem ejusque scripta anathemati subjicere nisi sunt, verum et cun-

ctos, qui pro ejusdem suorumque librorum fide pugnarunt. Acta Synodi alexandrinae, ceterique conventus tam in Aegypto, tam Cypro, tam Constantinopoli ideo congregati, qualiter se res habuerit, ostendunt.

Quamobrem siquis modo velit ceu judex huic quaestioni interesse, quocumque se vertat, in magno versatur discrimine, sciens contra se stare viros, qui tunc magno splendore Ecclesiae sancta dogmata tutabantur; Christique Religioni sermone et actu inserviebant studiosissime. Ex. g. ut de ceteris sileam, nemo nescit, quo zelo pro Ecclesia Dei, ac quantum in divinarum litterarum studio ac sapientia praestiterit s. Hieronymus, et quali simul pietate et sanctitate, rerumque ecclesiasticarum eruditione profecerit divus Epiphanius, et quali insuper zelo et auctoritate invaluerit in Ecclesia alexandrina Theophilus. Nullus hoc ignorat: nec item inficiatur istos in Origenem ejusque libros animo irrupisse vehementissimo tanquam in Christi hostem, et in pestiferum, impiissimumque virum.

Similiter ex adverso apertissime constant scientia, charitas, zelusque ardentissimus, quibus splenduit in antiochenae, deinde constantinopolitanae ecclesiae regimine Joannes Chrysostomus; qua animi alacritate et fide sacrum ministerium expleverit; et quos in jura ecclesiastica vindicando passus sit labores. Pariter nullus est, qui ignoret Theotimi tomitani sanctitatem et studium in munere episcopali excolendo, et quali zelo in Christiana Religione inter barbaros dilatanda exarserit. Nemo item nescit

Ruffini monachi studium in veterum Patrum scriptis vertendis, illustrandis, sicuti et ipsius pietatem, ac pro re christiana zelum; quum ideo sanctorum episcoporum factus sit admirationis typus; quare a dissitis regionibus de rebus sacris eum consulturi adierint; ac reputatissimus quoque habitus ab iis sit, qui postea ob Origenem adversus eum verterunt calamum.

Et hoc idem dicendum est de Joanne Hierosolymorum antistite valde per Augustinum, per Anastasium Papam commendato sicuti per Chrysostomum propter insignem ipsius pietatem, sanctamque aemulationem in munere fungendo episcopali. Et quid dicam de Isidoro ceterisque piissimis ac continentissimis viris in monasteriis Nitriae degentibus, quorum memoria ab Ecclesia antiqua celebratur in sanctorum Albo inscripta? Attamen cuncti Theophilo, Epiphanio, Hieronymo firmiter, ac strenue ita restitere, ut potius opprobria, exilia tolerarint, vitamque aerumnosam duxerint, quam in anathema concedere Origenis suorumque Operum.

Quapropter quisque sane comprehendet, quali animi anxietate, timore, ac sollicitudine mihi misero peccatori de sanctis viris ineundum sit judicium: quorum pars in Origenem dimicat, eumque haereticum condemnat; altera pars pro eo pugnat, ejusque fidei rectitudinem ab adversariis tuetur. Vereor namque ne, cum unis deferatur jus, et aliorum notetur illusio, imminuatur quadammodo in eosdem reverentia, proindeque minoris fiat eorum fama; qui

in vinea Domini laborantes quam maxime, bene valdeque de Christi Ecclesia meriti, usque modo celebrantur.

Verumtamen opus inceptum haud silere sinit: ac necessario ut ultra progrediamur, praemissae in prima atque altera Parte discussiones a nobis istud repetunt; aliter mancum fieret opus, incertusque iret lector. Ceterum, cum de quaestione agatur, ubi unicuique in suo abundare sensu licet, veluti ante hoc tempus actum est ab ecclesiasticis scriptoribus, mihi quoque haec detur venia in eamdem, quam incepi, etsi alpestrem fractamque pergendi semitam, priscorum Patrum investigandi monumenta, probeque meditandi, donec eo pertigero ut, ubi verum stet, dignoscatur.

Porro dixi, in hac de scriptis et doctrina Origenis quaestione undequaque me contrariis urgeri ventis, ubi viri sanctitate et doctrina eximii mutuo inter se firmiterque digladiantur. Quapropter necessario me in hanc conditionem exportari arduam sentio. Aut enim, inquam, s. Pamphilus martyr, Eusebius caesariensis, s. Joannes Chrysostomus, alter Joannes hierosolymitanus, s. Theotimus episcopus, aliique (in quibus speciatim s. Pamphilus martyr, qui Origenis scripta perlegit et transcripsit sedulo meditatus) illusionem passi sunt fere incredibilem, pro eo pugnantes, et pro sui dogmatis orthodoxïa, asserentes ideo nec in vita, nec post obitum damnatum Origenem. Aut ex adverso Theophilus, s. Epiphanius, s. Hieronymus, ceterique ex

horum schola, in errorem tracti sunt, existimantes prava et impia dogmata docuisse et scripsisse Origenem, proindeque in vita et post mortem anathematizatum.

Ita sane est: in hac quaestione christiani cum christianis pugnant, orthodoxi cum orthodoxis, episcopi cum episcopis, doctores cum doctoribus, sancti cum sanctis disputant. Illi Origenem habent et venerantur orthodoxum et pium; isti haereticum et impium despuunt Origenem. Et inter utrosque latum mediat intervallum, quod unos ab aliis ita amovet, ut nunquam concordiae locus sit. Ac ideo, etsi dixerimus, primos illusos fuisse et errasse, existimantes Adamantium recte sensisse, probeque scripsisse, ac pie defunctum in Ecclesia, attamen a quavis culpa immunes illos ob hanc illusionem declarare, nemo est, mihi suadeo, qui hanc respuat declarationem. Et ita reapse docet sensus intimus. Errare enim hominis est. Ait ideo s. Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis: « Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines, errare. »

Similiter si hodie, mutata sententia, asserendum foret, nequaquam praefatos viros, Pamphilum, Eusebium, Chrysostomum, Theotimum, Joannem hierosolymitanum, aliosque probos viros, illusos fuisse causam suscipientes Origenis et monachorum nitriensium; sed ex adverso illusione captos fuisse non solum Theophilum sed et ss. Hieronymum et Epi-

phanium et ceteros foederatos in hoc certamine contra Origenem et monachos, istos ut haereticos condemnantes: pari jure integra maneret in orbe christiano Hieronymi et Epiphanii sanctitatis fama et reverentia erga singulares horum Patrum virtutes, quibus in Ecclesia refulsere.

Ideoque neminem confido iri offensum, si praefatorum sanctorum Patrum et aliorum, et qui quidem minorem partem repraesentant in hoc conflictu, praetermissa auctoritate, aliis accessero numero majoribus, sicuti doctrina praestantibus et rerum ecclesiasticarum peritia, cum his propugnans Origenis et monachorum orthodoxam doctrinam, sinceramque pietatem. Dixi minorem Ecclesiae partem repraesentare Theophilum, Epiphanium et Hieronymum, jureque dixi: nam idem Hieronymus in Epistola ad Principiam, fatetur paucos sibi et Theophilo et Epiphanio sociari adversus Origenem, speciatim Romae et in Italia; plurimosque eidem favere: non vero, ut ipse s. Doctor putavit, fautores Origenis haeretici, sed fautores Origenis orthodoxi, istiusque doctrinam vindicantes orthodoxam coram suis detractoribus, ac una refutantes impietatis crimen eidem falso adscriptum.

Ac propterea deplorandum sane est non solum de Theophilo et de Epiphanio, verum et valde de Hieronymo, quod certamen iniens cum adversariis suis Origenem orthodoxum propugnantibus, omissis ab eo genuinis Auctoris codicibus graecis, se se receperit ad illam falsitatum historiolam saepissime suis in-

sertam scriptis, frequentius compellans et objiciens Origenis patronis. Illud dico blasphemiarum commentum perfide a quodam haereticorum calamo elaboratum ex Auctoris pravatis libris, ut praesentibus posterisque illuderent in Ecclesiae scandalum, virique fidelis injuriam: de quo singillatim egi in prima et secunda Parte, calumniosas in eum tales ventilans et dissipans insimulationes. Et hanc quidem historiolam prae manibus habens s. Doctor, perpetuo citavit, infeliciter persuasus eam constituere fidei origenianae normam: quod penitus falsum est.

Itaque ab his praemissis, cum consequenter ejusdem Hieronymi mihi verba excutienda diligenter sint, ejusque sensus minoris aestimandi, quam hucusque universim visum hujus quaestionis tractatoribus est, ab hoc initio, inquam, praemittendum duco, me Hieronymi et Epiphanii fidem, pietatem, sanctitatem, ac zelum, ut alibi obtestatus sum, valde mirari et colere, sicuti Catholica miratur et colit Ecclesia. Deinde nemo inficiabitur, Hieronymum, ut hominis est, in quaestione origeniana idest in illius libris expendendis decipi potuisse: et non tantum quaedam ipsius dicta redarguentem, quae redargutione indigna erant, quantum primo a Theophilo alexandrino admodum illusum esse, ita ut retractaret, quae antea de Origene probaverat; ac deinde a quibusdam amicis suis de regione occidentali deceptum. Qui suas partes suscipientes, in Ruffinum suosque partiarios plura commenti sunt, ac in Orien-

tem eidem transmisere; adeo ut amplius illuderetur, et improbanda scriberet de viris, quos antea laudaverat.

Et quoad Theophilum, qui Hieronymum, eo usque Origenis defensorem, traduxit in contrariam partem, satis nobis satisfacit ipsius Doctoris epistola 84. ad Pammachium et Oceanum; ubi testatur: « Credite experto, quasi christianus christianis loquor. Venenata sunt illius (Origenis) dogmata, aliena a Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia. Legi, inquam, legi Origenem, et si in legendo crimen est, fateor; et nostrum marsupium alexandrinae chartae evacuarunt. » Sed o vanam obtestationem! Chartae alexandrinae latine versae ab Hieronymo et Romam usque missae, varia Theophili scripta continebant, singula contexta falsitatibus adversus Origenem, ut vidimus, et quas genuinos istius sensus putavit s. Doctor, parum de Theophili temeritate et malitia circumspectus. Et cui Theophilo tantum detulit Hieronymus, ut et libellum ipsius adversus s. Joannem Chrysostomum, iniquissimum nefandumque opus, latina versione donaret.

Item dixi ab amicis suis de Occidentis partibus illusum Hieronymum. In hac enim regione alii cum Hieronymo, alii cum Ruffino sentiebant in nota quaestione. Hoc autem probe notatum est ab Auctore Vitae s. Hieronymi c. XXX. n. 7: « Discordiarum, inquit, causa maxima in partiarios utriusque nominis est refundenda: qui licet egregii catholici et mente bona, dum sibi tamen scandala

pertimescunt, et partis, cui nomen dederant, studio ducuntur, ejusmodi flammas dissensionum concitarunt. » Quamobrem uterque Ruffinus et Hieronymus mutuis foventur lamentationibus.

Ruffinus in Libro I. in eumdem, valde queritur de iis: « qui schedas suas inemendatas, furtoque acceptas proferre in publicum malo utique malo ausi sunt: et non solum perversa intelligentia, verum etiam verborum adulterio conati sunt infamare. » Et paulo post de ipso Hieronymo inquit: « Hinc jam non solum Origenem, sed me ipsum in suspicionem haereseos conatur adducere. Hinc emittit incessabiliter canes suos, qui me per urbes, per vicos, per iter quoque transeuntem, calumniarum latratibus, et fanda adversus me omnia atque infanda tentantes. » Hieronymus vero similiter conqueritur contra se in vulgus maledicta et Romae et in Italia et per Dalmatiae insulas per Ruffinianos tabellarios disseminari.

Verum ut dignoscatur, quo usque partiarii pervenerint, praesto sunt quae s. Doctor adversus alterum dicit in Libro III. n. 2: « Testem invoco Jesum conscientiae meae, qui et has litteras et tuam epistolam judicaturus est, me ad commonitionem s. papae Chromatii voluisse reticere, et finem facere simultatum, et vincere in bono malum. Sed quia minaris interitum, nisi tacuero, respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere; et lenitatem meam malae conscientiae signum interpreteris. »

His positis Hieronymi dictis de intentata sibi morte per Ruffinum, nisi ille tacuerit, non erit amplius mirandum si, quae dixit Hieronymus aut interpretatus est de Ruffino, sive de Anastasio Papa, aut de episcopis occidentalibus, sincerae haud respondeant historiae, nec ideo acceptanda videantur: et praesertim illud, quod putat extra Ecclesiam publice et absolute fuisse dejectos Origenis libros, ejusdem personam et cum eo Ruffinum. Quod revera Anastasius Papa nec admisit, nec definivit, uti suo loco patefiet.

Huic denique arduae Hieronymi conditioni, hinc a Theophilo obsiti, in quo nec ignorantiam, nec dolum, nec pravitatem suspicatus est, inde ab amicis Occidentis illusi, addendae pro eo quoque sunt multiplices ejusdem curae in sacris praesertim exponendis Scripturis, unde fortasse detentus est, ne comprehenderet illusionem, in quam nolens captus est. Ac interim valde suffragantur nobis, quae Severus tunc regionis orientalis monasteria visens, de ipso narrat in Dialogo 1. c. IX.

« Ego, inquit, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui, cui jugis adversus malos pugna; perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum haeretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur, et crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt. Nam qui eum haereticum esse arbitrantur, insaniunt. Vere dixerim, catholica hominis scientia sana doctrina est. Totus

semper in lectione est, totus in libris, non die, non nocte requiescit. Aut legit aliquid semper, aut scribit. Quod nisi mihi fuisset fixum in animo et promissum, Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum a tanto viro discedere noluissem. »

Ideoque cum in ejusdem investigandis Hieronymi scriptis, (uti quoque ex sua confessione) aperte constet sive contradictio, sive ejus instabilitas, in quam lapsus est, hanc pertractans de Origene quaestionem ob Theophili, cui se totum dicavit, ambitum: in hoc tamen, quamvis tanti viri minus id famae conferat, ceteroquin eruere licet argumentum perspicuum de animi sui integritate a quavis malitia alieni. Causa vero vel antilogiae Hieronymi, vel incertitudinis in his facile reperitur. Cum enim ob oculos habuerit genuinos Origenis tractatus et quidem orthodoxos, tunc ingenue confessus est Auctoris orthodoxīam. Cum autem interpolatos, aut apochryphos sub ipsius Origenis titulo vulgatos, et quidem doctrina scatentes haeretica, tunc eadem ingenuitate Auctorem reprobavit haereticum. Nisi quod, ut infra patefiet, cum is in hac incertitudine magis crediderit Theophilo, istius, neque proprium secutus judicium, in hoc perseverarit, arbitratus potius in Origene inconstantiam eamque condemnans, quam severo examini subjicere episcopi alexandrini epistolas ac fontes, unde iste hauserit praetextum talem reprobandi virum.

Post haec omnia, resumptis praefatis, nemo non viderit quot circumstantiae inducunt ut dubitetur de juridico Origenis et librorum suorum anathemate (de illo tamen Origene loquor Leonidae filio in Schola alexandrina celebratissimo) et hinc non una comprehenderit cuique licere, criticae legibus uso, sine offensione, seu quin Anastasii Papae decretum laedatur, in examen revocare Synodi alexandrinae acta. Num scilicet juxta, sive contra Ecclesiae canones inita sit ac definita quaestio: aut melius declarando, extra Ecclesiam frustra factum esse Origenem ob ea, quae docuit. Eoque amplius quod ante illud tempus latissime fuerit ab haereseos nota vindicatus per s. Pamphili studium; ac insuper ob illud gravissimum in Synodo contendentium dissidium, quocum usque ad violentiam ventum est, ceu nobis traditum est ab historicis: et haec omnia ob Theophili improbitatem. Qui in hac Origenis causa et monachorum nitriensium pro Origene ipso decertantium, barbarae persecutionis princepem se constituit. Cujus ceterum gesta, quanta deinde in fidelium coetu scandala provocarint, et piorum virorum calamitates, anathema, quod in ipsum jecit Innocentius Papa, testatur amplissime.

Quapropter in hac tertia Parte nostra interest, omnia sedulo perscrutari in ss. Patrum libris documenta praesenti quaestioni accommodata: et praecipue illorum ab Origenis aetate usque ad Theophilum discutere dicta; quorum auctoritas sine partium studio exhibetur nobis, cum nondum in Ecclesia conci-

tati animi fuerint; et ob hoc amplius faciendum illorum sit testimonium pacata mente redditum. Et sane de iis loquor dogmatibus, probe ab Adamantio expensis, ac sincere obsignatis in suis libris. Quae cum deinde ab infido calamo transversa sint in pravum sensum, et infauste per inconsultos Theophilum, Hieronymum et Epiphanium tanquam Origenis dicta genuina reputata, factum est ut cuncta, scripta cum suo Auctore indiscriminatim reprobarentur et condemnarentur. Quibus investigationibus studiose exactis, consequetur primo gravis illusio Theophili et Hieronymi, et Epiphanii in damnatione Origenis, secundo gravissimus eorumdem error uti haereticos insectantium viros fide et pietate insignes, qui Origenis orthodoxi susceperant patrocinium.

Novissimo, haec omnia sollerti pro viribus meis studio perficiens, haud frustraneum fore laborem meum confido, ac praecipue in denudandis fontibus corruptionum, et falsationum a perfida manu genuinis Origenis scriptis intrusarum; et unde conflatum est illud haeresum et impietatum syntagma: quod eidem inscriptum, totum postea pervagavit orbem christianum in ipsius dedecus, ac in perniciosas jurgiorum et scandalorum causas.

In hoc porro vehementer insistam; nam si omnia, quae acta sunt Alexandriae et Constantinopoli de Origene, ex consilio evenere et opera Theophili, cui adhaeserunt Epiphanius et Hieronymus; proindeque, si in damnandis una cum Auctore suis libris, iniquam violentamque sententiam fuisse san-

citam, et amplius praeter jus ostendero anathemate perculsos, qui huic proscriptioni subscribere renuerunt; alacriter et absque metu inibimus disquirentes, quae ab initio seculi quinti usque modo inter ecclesiasticos scriptores disputata sunt de hoc argumento.

Ex judicio namque eorum, quae Theophili aetate patrata sunt, constiterit manifeste quid putandum nobis erit de iis, qui successive Synodi alexandrinae complexi sententiam, anathema innovarunt adversus Origenis libros ejusque personam. Quatenus horum novissimorum judicium exponendum necessario sit, prout in praefatis atque in succedentibus nostris discussionibus consequentia postulaverit. Ita ut, eversis, quae decreta sunt tum in Synodo alexandrina sub Theophilo, tum in aliis conventibus Cypri et Constantinopoleos sub Epiphanio eamdem ob causam adunatis, ea quoque a posteris, sive publice sive privatim innovata, quippe pari superstructa falsitate, eodemque praedita vanitatis titulo, nihil officiant decori Origenis et gloriosae tantorum virorum famae; qui illum fideliter, strenue, sine ulla personarum acceptatione et usque ad mortem vindicarunt orthodoxum, proindeque ab impietatibus eidem inflictis immunem.

CAPUT I.

Quaeritur qualis Origenis doctrinae conditio in ecclesiis cum adhuc in vivis degeret, maxime virorum expensa fide, quos habuit discipulos, et quorum mentes excoluit in dogmate christiano.

Priusquam vehementissima proferatur in medium contentio de Origene inter Ecclesiae Patres, desinente seculo IV. admodum proposito nostro proderit perscrutari, quod universim ab ipsius Origenis aevo usque ad praefatum tempus de eo creditum est: ut inde collatione cum sequenti aetate inita, judicium rectum adstrui possit, num Theophilus alexandrinus, antea Origenis fautor, deinde eorum princeps, qui ei restiterunt, in cunctis, quae adversus eum per se et per alios patravit, jure et juxta Ecclesiae canones vel mandaverit, vel compleverit.

Ac interim acceptis et probatis, sicuti hucusque ostendimus, nunquam talia sensisse Origenem doctrinae catholicae adversata, exceptis nonnullis non satis tunc in Ecclesia expensis ac definitis; ex virorum dein sanctorum, qui cum eo, vel post obitum suum usque ad finem seculi IV. vitam degerunt, in scientia Dei et probitate proficientes, ex horum, inquam, testimonio amplius mihi videtur quidquam adminiculi eruendum, quo probetur fieri non posse, ut ipse contra fidem apostolicam et Ecclesiae traditionem steterit, in iis praesertim adstruendis, quae dogmata principalia laedebant. Hoc est de divinitate Christi Jesu, de poenarum termino apud inferos, de secunda redemptione, de daemonum salute, de *metemphychosi*, de corporibus aetheriis sive orbicularibus resuscitandis, de Deo corporeo, de animabus a coelo dejectis, de angelis in viros mutandis et vicissim, item de daemonibus, et de aliis hujus generis absurdis.

Profecto gravissimi momenti quaestio est; in qua, si quodammodo terminum optatum pertingere beneveriat, valde profecerimus. Quaeritur namque, num tanta discrimina et offendicula, in quibus tunc ideo ac deinde propter Origenem

versati sunt fideles, supra eumdem devolvenda sint, an potius super haereticos et invidos ac super bonae fidei inscios; quorum nonnulli aliter quam sensit Auctor, verba sua comprehenderint, alii mentem suam perverterint ac sensum. Insuper quaerendum nobis est, num diversa accusationis genera contra eumdem Romam usque delata, cum adhuc in vivis degeret Adamantius, eadem fuerint, de quibus post obitum suum actum est, et speciatim ab initio seculi IV et successive. Ceterum patet, veluti in praecedentibus notatum est, Origeni potissimum satisque contendendum fuisse cum marcionitis, valentinianis, basilidianis, et quotquot tunc contra veritates evangelicas surrexerunt; qui praeter alios errores, strenue in carnis resurrectionem pugnarunt: unde verosimiliter tot persecutionum in Auctorem initium statui potest. Attamen ut in hoc argumentum ordinatim incedamus, primum illius studium et sollicitudo in christiana religione propaganda praemittantur; quibus fama doctissimi et sanctissimi viri ubique percrebrescens, tamquam praeconium constituitur ejusdem animi rectitudinis in rebus sacris tractandis.

Et re quidem vera, loquitur pro se uti virtutis suae ac zeli in christiana religione provehenda luculentum testimonium, a puerili aetate martyrii ardor, quo ipse aestuabat, et in aliis suo studio incalescebat. Loquitur pro eo Scholae alexandrinae praefectura, quam amplissimo honore tenuit; et in sacris Scripturis elucubrandis vehementer enituit, ut verbi Dei praeco eximius in orbe christiano universim habitus sit, undique ideo ad eum adventantibus, quos, nulla habita personarum ratione, divinis veritatibus imbuebat, attentissime in hoc omne ocium suum insumens. In quo munere quam optime de Ecclesia Dei meritus sit, fidem faciunt innumeri ex gentibus (in quibus et philosophi) qui abjectis studiorum suorum vanitatibus Christum induerunt, firmiter inde in christiani nominis hostes scuto fidei dimicantes. De qua re Porphyrius ex Eusebii Histor. Eccles. Libro VI. c. XIII. etsi evangelicae veritati infensus, tamen de eo scribit: «Hujus inscitiae (in interpretatione nimirum Scripturarum) et stultae opinionis exemplum ab Origene sumatur: viro, qui mihi, cum essem admodum adolescens, aliqua intercedebat familiaritas.

Qui quidem et illo tempore in maximo honore fuit, et adhuc est propter libros, quos post se reliquit, in non minore; cujus gloria apud istius doctrinae professores ac magistros est cum magno splendore pervagata. »

Verumtamen, quod valde interest non tantum pro scientia ejusque ardore in Evangelii dilatationem, a quo nunquam usque ad obitum recessit, quantum pro rectitudine, ejusdemque fidei sinceritate, quam perpetuo servavit, id ex fidelium et maxime episcoporum testimonio roboratur; qui illius fama permoti, vel eum consulturi adibant, seu ad se vocarunt, eidem verbi ministerium conferentes; ita vitae illius sanctitatem mirati et doctrinam, et in sermone et in scriptis fulgentem. Quapropter teste eodem Eusebio in Libro citato cc. XIII. et XX. ex Aegypto in Palaestinam peragrantem vidimus, ibique Litterarum sacrarum aperientem ludum, populo evangelizantem, ipsi facta potestate ab Hierosolymorum et Caesareae episcopis, quippe (uti iidem Demetrio Alexandriae antistiti scribunt) quippe valde idoneo hoc obeundo munus. In qua regione, Palaestinam dico, non solum in communi ecclesiae consessu magnopere salutem juvit animarum; sed et contra haereticos alacriter et profectu disputavit. Item a Firmiliano Caesareae Cappadociae episcopo accersitur Origenes tum ad fidelium institutionem, tum ut cum eo versatus, in Scripturis erudiretur. Athenas venit, sicuti et antea Romam viserat ut ab apostolicae Petri et Pauli traditionis fonte ebiberet. Saepe in Arabiam profectus est, et Beryllum episcopum ab haeresi ad meliorem frugem revocavit. Et paulo post ibidem in nonnullos asserentes una cum corporibus animos in morte extingui, ac denuo una simul in resurrectione excitandos, valide decertans, ad rectam fidem traduxit, illum miratis, qui convenerant, episcopis.

Rebus ita se habentibus, si tantisper in eo admittatur error, et quidem non levis negotii, de poenarum termino in vita futura post judicium novissimum, secundum *palingenesiam* ab adversariis erutam e libris suis in pravum sensum contortam (ut de ceteris sileam insimulationibus) quem errorem non semel adseruisset, non bis neque ter tantummodo innovasset, sed frequentissime in privatis et publicis institu-

tionibus sermione et scripto, et in cunctis quas invisit civitates, iterando et quidem aperte contra apostolicam traditionem et communem Ecclesiae sensum, veluti ab initio ostendi: quomodo ideo sibi quis animo fingere poterit, Origenem scientibus et conniventibus prae ceteris Gregorio Thaumaturgo, Athenodoro, Alexandro, Theoctisto, Heracla, Dionysio, Firmiliano, aliisque ea aetate scientia ac pietate praeclaris, quibuscum versatus est, docuisse, exacto judicio novissimo, Christique sententia lata: *ite maledicti in ignem aeternum*, docuisse, inquam, fore aliquando tempus etsi diuturnum, quo daemones reprobique homines a cruciatibus exempti ad coelestem gloriam transferrentur, omnibus bonis cum Deo fruituri? Et qua ratione item sibi quis persuaserit, nuncupatos viros priscae traditioni ecclesiasticae valedicentes, novum et eousque inauditum dogma acceptantes, eaque fide et spe suffultos, tot aerumnas in hoc seculo, gentilium odium, bonorum amissionem, exilia, durissimos cruciatus et mortem quoque passos esse?

Eoque magis hoc asseram, quod in concionibus sacris, seu explicite aut implicite saltem, Oratorem putandum est, tale de vita futura argumentum, quomodocumque sermonis sui scopus fuerit, nunquam, vel raro praeteriisse; sicuti et consequenter quisquis ex auditoribus, thema hujusmodi secum considerans, ubi agebatur de finito et de infinito, de temporaneo et aeterno, de eo, quod finem habet, et quod finem nescit, quam facile comprehenderit Origenis sensum de reproborum poenis in mundo futuro. Illud enim erat ipsius studium, ille sacri sui ministerii labor, illa pariter auditorum sollicitudo, ac ea ipsa episcoporum cura per eumdem Origenem cordibus magnopere hanc inserendi fidem. Ita ut jure statuendum esset, fidelium innumerabilium mentes non solum aegyptiorum, verum etiam arabum, palaestinorum, antiochensium, cappadocum, atheniensium de hoc peregrino dogmate, vario penitus ab eo, quod ubicumque eousque creditum erat, imbutas fuisse. En illationem, quae necessario ex his consequitur, et a qua vix puto, sensum logicum recedere posse, siquis velit hanc haereticam, Christique oraculo deviam exposuisse sententiam, atque ad septuaginta fere an-

nos propugnasse Origenem. Haec omnia ponderatu perquam dignissima sanae mentis homini relinquo.

Ac interim repetantur, quae de ipso dixit ejus discipulus s. Gregorius postea neocaesariensis antistes (cujus in Ecclesia gesta mirabilia unicuique praelucent) coram eo in Caesarea Palaestinae encomium ipsius contexens. Is enim, quum ad plures annos cum Origene versatus sit, tum ob eruditionem in Scripturis, quibus admodum excelluit, tum ex multiplici scientiarum genere et potissimum ex animi magnitudine, morumque ejusdem probitate captus, *fere divinum* nuncupavit hominem. Gregorium dico, cujus scripta adhuc supersunt, ceterosque viros eximios, qui cum Origene pari zelo et fide profecerunt, non solum in eodem errore de daemonibus salvandis et de reproborum poenarum fine convenisse necesse esset; verum et de ceteris haeresibus et impietatibus cum eo iniisse consortium: ex. g. de animabus in coelo peccantibus in corpora humana ad punitionem dejectis, de *metempsychosi*, de secunda redemptione, de mutabili ad invicem angelorum et daemonum et hominum natura, et de aliis blasphemiis circa Trinitatis mysterium. Quae omnia absurda a posteris in caput Origenis versa tanquam doctrinae suae portionem, mihi plane impossibile videtur, citatos viros aut ignorasse, aut scientes, illa admisisse, vel tollerasse.

Nihilominus cum ita in apologiam laborem Origenis, doctrinae suae integritatem propugnans, ex adverso video mihi adstare contendentes et objicientes, quae ipse Alexandriae passus est a Demetrio, a communione fidelium expulsus.

Ardua sane quaestio, quae non tantum e coaevis scriptoribus, quantum ex ipsius sermonibus, extricari nequit, inde veras ac genuinas causas exquirendo, unde primum damnatus fuit a Demetrio; qualia nempe fuerint sphalmata eidem adscripta. Siquis enim, (quod in hujus quaestionis initio notandum) Origenem Alexandria pulsum inquit ob facinus in suum corpus admissum; vel ob idololatriam, cui metu persecutionis aut suipsius decoris passive quodammodo obsecutus esset; seu quia presbyteratus gradu ornaretur absque Demetrii consensu, aut aliis latentibus de causis extra haereticas praefatas assertiones; dum de his quaerere nolo, sa-

tis mihi est, ista nihil facere ostendendo ad eos, quorum ipse insimulatur, errores. In illis namque agitur de extrinseco, seu practico suae vitae regimine, ubi an ut homo nec ne deficere potuerit, non est hic sermo. In nostro vero proposito investigatur suae fidei professio; num scilicet per eam in dogmate catholico constiterit, aut ab ipso decesserit, haereticas sententias complexus, easque adstruens contra apostolicae et Ecclesiae universae doctrinam.

In primis admodum interest ipsius Origenis mentem consulere, ac sedulo ea perscrutari, quae sparsim suis adseruit scriptis, calumnias lamentatus adversariorum, qui verborum suorum sensum perverterunt. Sed potissimum summoque studio animadvertenda sunt, quae ipse ab Aegypto exul scripsit ad amicos suos Alexandriae. Quarum litterarum textus si aeque ponderetur, huc collatis, quae alibi de hujusmodi oppositionibus dixit, nobis fortasse suspicandum esset, aliis revera de causis, quam ob ea perversa dogmata, uti volunt adversarii, exilium a patria, obtrectationes, ac multorum contemptum tollerasse Adamantium. Aut si ob doctrinae suae falsitatem ea passum esse eumdem dicendum sit, profecto ab hucusque excussis, non nisi per sycophantias ex improborum malitia artificiose in ipsum structas, et ex multorum ignorantia, et amplius propter falsatum verborum suorum sensum, in hanc incidisse ignominiam fatendum erit.

Epistolae interea textum proferam tum juxta Ruffini tum juxta Hieronymi versionem, hujus postremi praemittens, quae adversus eumdem Ruffinum in Libro II. de ea Epistola notavit, cujus falsatorem istum facit. Scribit enim: « Cumque illa Epistola tota Demetrium alexandrinae urbis pontificem laceret; et in totius orbis episcopos et clericos invehatur; et frustra ab ecclesiis excommunicatum esse se dicat, nec velle in maledictis referre vicem, ne scilicet maledicus videatur esse homo, qui in tantum cautus sit ad maledicendum, ut ne diabolo quidem audeat maledicere: unde et Candido valentiniani dogmatis sectatori, calumniandi se occasionem dederit, quod diabolum salvandae esse naturae dixerit, hic (Ruffinus) dissimulato argumento Epistolae, fingit pro Origene, quod ille non loquitur. Unde Epistolae ipsius partem paulu-

lum ex superioribus transtuli; et his junxi, quae ab ipso commatice doloseque translata sunt; ut quo consilio superiora tacuerit, ipse lector agnoscat. Contra sacerdotes ergo Ecclesiae generaliter disputans, a quibus indignus communione ejus fuerat judicatus, haec intulit Origenes. » Quae sequuntur, partem constituunt litterarum Origenis ita se habentium: quas fortasse nimium severe arguit Hieronymus.

« Quid necesse est de prophetarum sermonibus dicere, quibus saepissime pastoribus et majoribus natu, et sacerdotibus et principibus populi comminantur et arguunt eos? Quae absque nobis de sanctis Scripturis elicere potestis, et liquido pervidere quod forsitan hoc tempus sit, de quo dicitur: *nolite credere amicis, nec speretis in principibus*: et nunc impleatur vaticinium: *duces populi mei me nescierunt, filii stulti sunt, et non sunt sapientes. Sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nesciunt.* Quorum magis misereri, quam eos odisse debemus; et orare pro illis, quam eis maledicere. Ad benedicendum enim et non ad maledicendum creati sumus. *Unde et Michael cum adversum diabolum disputaret de Moysi corpore, ne tanto quidem malo ausus est judicium inferre blasphemiae, sed dixit: increpet tibi Dominus.* Cui quid simile etiam in Zacharia legimus: *increpet tibi Dominus, diabole; et increpet Deus in te, qui elegit Hierusalem.* Itaque et nos cupimus increpari a Domino eos, qui nolunt cum humilitate a proximis increpari. Dicente autem Michaele, *increpet tibi Dominus*, diabole, et Zacharia similiter, utrum increpet, an non increpet Deus diabolum, ipse viderit. Et si increpat, quomodo increpet, ipse agnoscat. »

Et post multa, quae prolixum est scribere, addit Origenes: « Nos hoc sentimus, quod ejicientur de regno coelorum, non solum qui grandia peccaverunt, ex. g. fornicatores, adulteri et masculorum concubitores et fures; sed et qui minora deliquerunt ex eo quod scriptum est: *neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt*: et tam in bonitate quam in severitate Dei esse mensuram. Unde cuncta nitimur agere consilio, in vini quoque potu, et in moderatione sermonis, ut nullis audeamus maledicere. Ergo cum propter Dei timorem caveamus in quempiam maledicta conferre recordan-

tes illius dicti: *non fuit ausus judicium inferre blasphemiae*, quod dicitur de Michaele contra diabolum, et in alio loco: *dominationes quidem reprobant, glorias autem blasphemant*; quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis et nostrae doctrinae blasphemiam, super qua ipsi viderint, quomodo illud audiant: *neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt*: licet patrem malitiae et perditionis eorum, qui de regno Dei ejicientur, dicant posse salvari; quod ne mente quidem captus dicere potest etc. »

In his novissimis verbis, *quidam eorum* etc. usque ad *dicere potest*, Ruffino exprobrat Hieronymus, quod sensum vitiasset Origenis. Ideoque ut lector judicet tam in causa hujus falsationis, tam maxime ut mens Auctoris pateflat Epistolae circa plura errata eidem inscripta, cum adhuc viveret; ejusdem Epistolae reliqua juxta Ruffini translationem adjicere par est: quae ita se habet: « Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis et doctrinae nostrae crimen blasphemiae, quod a nobis nunquam audierunt; de quo ipsi viderint, nolentes observare mandatum illud, quod dicit, quia *maledici regnum Dei non possidebunt*, dicentes me, patrem malitiae ac perditionis, et eorum, qui de regno Dei ejicientur, idest diabolum, dicere esse salvandum: quod ne aliquis quidem mente captus et manifeste insaniens dicere potest. Sed nihil mirum videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, et tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est Epistola Pauli Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli epistolam falsam conscripserunt, ut conturbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini, et seducerent eos.

« Propter hanc ergo Epistolam in secunda Epistola, quam ad Thessalonicenses scribit, haec dixit: *rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostrae congregationis in ipsum, ut non moveamini cito a sensu vestro, neque terreamini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nemo vos seducat ullo modo.* Talia ergo quaedam video etiam nobis accidere. Nam quidam auctor haereseos, cum sub praesentia multorum habita inter nos fuisset dispu-

tatio et descripta: accipiens ab his, qui descripserant, codicem, quae voluit addidit, et quae voluit abstulit, et quod ei visum est, permutavit, circumferens tanquam ex nomine nostro, insultans et ostendens ea, quae ipse conscripsit. Pro quibus indignantes fratres, qui in Palaestina sunt, miserunt ad me Athenas hominem, qui acciperet a me ipsum authenticum exemplar, quod ne relectum quidem, vel recensitum a me antea fuerat; sed ita neglectum jacebat, ut vix inveniri potuerit. Misi tamen, et sub Deo teste loquor, quoniam cum convenissem illum ipsum, qui adulteraverat librum, arguens quare hoc fecisset, velut mihi satisfaciens respondit: *quoniam magis ornare volui disputationem illam, atque purgare*. Videte quali purgatione disputationem nostram purgavit. Tali nempe, quali purgatione Marcion Evangelia purgavit, vel Apostolum, vel quali successor ejus post ipsum Apelles. Nam sicut illi subverterunt, Scripturarum veritatem: sic et iste sublatis quae vere dicta sunt: ob nostri criminationem inseruit quae falsa sunt. Sed licet homines haeretici et impii sint, qui haec facere ausi sunt, tamen habebunt et illi judicem Deum, qui talibus adversum nos criminationibus accommodant fidem. Fecerunt hoc et alii nonnulli conturbare volentes ecclesias.

« Denique in Epheso, cum vidisset me quidam haereticus, et congredi noluisset; neque omnino os suum aperuisset apud me; sed nescio qua ex causa id facere vitasset: postea ex nomine meo et suo conscripsit qualem voluit disputationem, et misit ad discipulos suos, ut ego quidem cognovi, ad eos, qui Romae erant, pervenisse: sed non dubito, quin et ad alios, qui per diversa loca sunt. Insultabat autem et apud Antiochiam, priusquam ego illuc venirem; ita ut et ad plurimos nostrorum perveniret illa disputatio, quam portabat. Sed ubi affui, multis praesentibus eum argui. Cumque jam sine ullo pudore pertenderet impudenter asserere falsitatem, poposci ut liber deferretur in medium, et stilus meus agnosceretur a fratribus; qui utique cognoscunt, quae soleo disputare, vel quali soleo uti doctrina. Qui cum ausus non esset proferre librum, convictus ab omnibus et confutatus est falsitatis. Et ita persuasum est fratribus, ne aurem crimina-

tionibus praeberent. Siquis ergo vult credere mihi in conspectu Dei loquenti, etiam de his, quae in Epistola mea conficta sunt et inserta credat. Sin autem quis non credit, sed vult de me male loqui, mihi quidem nihil damni conferet: erit autem ipse falsus testis apud Deum, adversus proximum suum testimonium falsum vel dicens, vel dicentibus credens.» Confer Appendicem Tomi IV. Operum Origenis pag. 51.

Ex hucusque descriptis tum ex Hieronymi tum Ruffini depositione, maxima Epistolae pars nobis exhibetur ad dignoscendum qualis Origenis mens, et qualis ejusdem conditio coram adversariis suis, ac dogmati catholico infensis: quaeque sane valde lamentabilis, cum talia non modicum in Ecclesia scandalum detulerint; tantique insuper viri hanc usque diem famam tenebris obvolverint. Attamen non nemo praejudiciis exemptus inspexerit Epistolae dictamina, percipiat quoque necesse est, qua animi ingenuitate, pietate et alacritate simul, Deum testem compellet Origenes (in cujus cónspectu se loqui profitetur) pro suae fidei rectitudine in negotiis christianae religionis tractandis; et amplius quali moderatione, evangelica charitate suffulta, contra sacerdotes disputet, a quibus communione ecclesiastica indignus fuerat judicatus. Verumtamen hoc Epistolae documentum cum plures super se invocet discussiones, seorsim et accurate ejus verba expendantur.

Primum quidem, cum inter duos invicem digladiantes circa pericopae sensum in Epistola, nolim judex stare, eoque magis cum nunc desit textus graecus, quem uterque ad suam partem trahit, ideoque, ne temeritatis arguar, ab hac quaestione desino: conscius insuper quoad ejusdem scopum, mihi satis esse, veluti antea dixi, sive nempe Ruffinus, sive Hieronymus tulerit punctum in interpretatione hujus paragraphi, nihilominus utrinque apertissime fidem solidari Origenis de daemonis perpetuitate damnationis. A qua sententia nec ipse recessit unquam; neque e fidelibus quempiam, nisi mente captum, huic dogmati mentiri posse putavit: quod plurimum argumento proficit.

Secundo, ex eisdem litteris eruitur, qua ratione Origenes ob criminum falsitatem (unde episcoporum probrum in

totius Ecclesiae conspectu, ac ignominiam expertus esset) si tanquam vera haberentur ipsi adjudicata: nec ultra contra se talia pati valens, quin injuriam sibi allatam repelleret, hos ad amicos suos Alexandriae degentes scripsit sensus. Ubi valde conqueritur de Demetrio, ceterisque Aegypti praesulibus et sacerdotibus, quod immerito in seipsum egissent, ab Ecclesiae communione virum innoxium sejungentes. Veritus tamen Origenes ne et ipsi amici offenderentur de eo, quod increparet episcopis, e Scripturis ostendere conatur, licere sibi, cum tempus illud postulet, majores natu et sacerdotes comminari et arguere; nec tamen eos odisse, sed potius misereri ait, pro iis orare, nunquam vero maledicere secundum illud: *ad benedicendum enim et non ad maledicendum creati sumus.* Deinde in causam suam graditur, et coram Deo stans, se non errasse inquit in iis, de quibus reprehenditur; et siquid in suis libris reperiretur a veritate devium, illud imputandum esse adversariis, qui et verba et sensum falsarunt, pro lubitu detractis sive adauctis, quae sibi viderentur.

Cum itaque ex hac obtestatione tam limpide coram Deo et hominibus exacta, fateatur se nunquam sensisse, neque docuisse ea omnia, ob quae ab Aegypti episcopis tanquam haereticus damnatus, a communione ecclesiastica exclusus fuerat, et amplius quum pari libertate (uti qui in se a conscientiae suae rectitudine agitur) obtestatus, denuo Deum innocentiae suae testem vocans, et circa librorum suorum adulterationem per subdolos viros sibi hostes patratam, cum adhuc viveret, usque Romam transmittentes perversitatis ipsorum venenum contra eumdem; quid putandum erit factum esse post obitum suum ab haereticorum impetu (viro haud ultra iis obstante) ab invidorum studio, ceterorumque inscitia et praeter zelum scientia? Qui simul coalescentes ac communi malignantium consilio, ubique in eumdem et in libros ejus jacula livoris sui palam intenderunt, sicuti in sequentibus dicetur?

Verumtamen eo, unde digressi sumus, reversis, ac Origenis questubus cum amicis suis intentis, et insuper huc congestis argumentis de ipsius cum Ecclesia Catholica concordia, praesertim in iis, quae ad principalia dogmata attinent, ve-

luti in praecedentibus Tomis patefactum est, jure conjiciendum arbitror, innocue se gessisse Origenem in suis institutionibus. Sed, quod scitu valde par est, non tantum intentionis suae aequitas in suis vario genere scriptis nobis commendanda venit per illas sane et saepe iteratas Dei invocationes, uti conscientiae suae integrae testis: ast et magnopere animadvertendum, ipsum veluti in jus vocatum, ut rationem redderet de doctrina sua, nusquam legi, et coram episcopis et coram ipso Romano Pontifice et Ecclesia universali, errores suos aut esse confessum, aut inde palinodiam recitasse.

Quae res a citata epistola eruitur et ab altera, cujus mentionem agit Ruffinus; et ubi eamdem querimoniam repetit in suorum librorum falsatores. Hoc autem nedum praefatis innititur, quantum ex ipsius gestis novimus; in quibus eum a falsis accusationibus absolutum denuo probatur, et in munere perseverasse sacrae institutionis. Ac nullibi unquam a ministerio praedicationis, quamvis calumniatorum insidiis vexatum, cessasse comperitur, testimonio ecclesiarum antistitum suffultum. Quorum votis cedens et in scholis et fidelium conventu publice docebat, tam sibi conscius, tam episcopis, quorum officium obierat, nihil contra apostolicam et ecclesiasticam traditionem ipsum ostentare.

Haec omnia aperte et ingenue declarat Adamantius initio Tomi VI. n. 1. *in Joannem,* inquiens: «Jam ad quintum tomum usque, quamvis adversari nobis videretur Alexandriae procella, quae concessa fuere, locuti sumus, Jesu increpante ventos et undas maris. Ex hoc casu progressi, extracti sumus ex Aegypto, Deo nos liberante, qui eduxit populum suum ex ea; deinde inimico adversus nos acerbissime pugnante per suas novas litteras, revera Evangelio inimicas, et omnes Aegypti ventos adversus nos concitante, stare me magis adhortabatur ratio ad certamen, et servare praestantissimam mei partem, quam importune conjungere restantem Scripturam, antequam rationis discursus tranquillitatem reciperet; ne forte cogitationes pravae invalescerent in animam meam procellam inducere. Quin absentes etiam, qui mihi de more adsunt, veloces scriptores, me prohibebant, quae excogitassem, mandare litteris. Nunc vero, quando adversum

nos ignitae sagittae multae vanae fuerunt factae, Deo illas extinguente, et assueta anima nostra his, quae coelestis sermonis causa contingunt, ferre cogitur facilius factas insidias, veluti aliquantum serenitatis nacti, non amplius differentes, dictare volumus, quae restant, Deum magistrum in animae nostrae adyto penetrali insonantem adesse precantes, ut finem accipiat structura enarrationis Evangelii secundum Joannem. Atque utinam audiat Deus etc. »

Ex hoc testimonio, ubi frustra nonnulli Maximini persecutionem in christianos conati sunt reperire (quod penitus a sensu abhorret Auctoris) percipito potius procellam adversus ipsum concitatam Alexandriae a Demetrio ob easdem causas, quam amicis suis in citata Epistola memorat, stantibus calumniis in ipsum elaboratis; et a quibus se Dei ope evasisse dicit. Item Homilia XXV. *in Lucam* haec eadem pertingit, sentiens erga se in Ecclesia plures admiratores, sicuti et adversarios eum inique arguentes. Scribit enim: « Nonne tibi omnes videntur plus amasse, quam expedit; et dum virtutem uniuscujusque mirantur, dilectionis mensuram perdidisse? Quod quidem in Ecclesia patimur: plerique namque dum plus diligunt, quam meremur, haec jactant et loquuntur, sermones nostros doctrinamque laudantes; quae conscientia non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes, ea nos sentire criminantur, quae nunquam sensisse nos novimus. Sed neque hi, qui plus diligunt, neque illi, qui oderunt, veritatis regulam tenent; et alii per dilectionem, alii per odium metiuntur etc. » Similiter Homilia VIII. *in Hieremiam* n. 8. ex Apostoli verbis, *quod fatuum est Dei, sapientius est hominibus,* ait: « Si ego dixissem *fatuum Dei*, quomodo aucupes sermonum meorum, et semper dediti ad criminandum, venenatas in me linguas vibrarent? »

Ex his itaque contestationibus pluries ac tam ingenue in suis libris redactis pro suae fidei integritate, quis judex aequus et aequo judicio usus asseret revera errasse Origenem? et amplius similia paradoxa admisisse de daemonum salute, de fine poenarum in altero seculo, de *metempsychosi*, de animabus e coelo dejectis, de Deo corporeo, de aeternitate materiae, ac de ceteris hujus generis erratis adversum

Christum Dei. Si vere tunc et antea in ista sphalmata incidisset, prorsus ab apostolica traditione et ecclesiasticis institutionibus dissonantia, ceteroquin sciens, universum contra se stare fidelium coetum; quomodo, inquam, tam libere, firmiterque se non errasse dixisset?

Et cur insuper tot comperisset pietate et scientia conspicuos suae admiratores doctrinae, et quidem talis, a qua se decessisse nullibi librorum suorum invenitur indicium? eoque magis cum jam publici juris facti essent *De Principiis* libri, ubi praecipue ea absurda contineri ab adversariis praesumitur? Et quid sycophantas suos compellare accusatores quod veritatis regulam perdiderant? Nisi enim ita foret, nedum imprudens, sed et scelestus, sive insanus vir haberetur, quicumque hujuscemodi emitteret declarationes. Ex his ergo concludendum est, cum adhuc in vivis ageret Adamantius, quomodocumque contra eum actum sit de praefatis erroribus; sive cuncti, aut quidam, fuerint ei adjudicati, falso et injuriose ab invidis, et ignaris fuisse eidem confictos: adversus quos ideo obtestatus est, de animi sui in fide sinceritate Deum testem appellans.

CAPUT II.

Praefatum argumentum roboratur ab extrinsecis sincerisque testimoniis: quibuscum adversariorum diluuntur oppositiones in Origenem redactae.

Hucusque fidem Origenis ex ipsius scriptis investigavimus. Ceterum si velimus auctoribus aures praebere, qui de suis gestis et praecipue de institutionibus disputarunt ab illius aevo usque ad finem seculi IV. profecto horum de eo opinio valde ab ea distat, quam posteri statuere. Et sane ab Eusebio, qui jure ceteris scriptoribus in hac re praeferendus est, quippe et ejus aetati proximus ac plura ipsius expendit scripta, ac praesertim epistolas, ex paucis de eo in Historia Ecclesiastica notatis, eruitur Adamantium Romam venisse Zephirino Romanam Ecclesiam gubernante circa an. 212. cum sibi in votis fuisset, veluti alicubi dicit, *eam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videre.* Ubi non diu commoratus, Alexandriam revertitur, atque ibi consuetum docendi munus, omni studio et industria exequitur; idque Demetrio illius ecclesiae episcopo etiam tum eum admodum adhortante, et precibus prope efflagitante, ut fratribus non gravaretur esse adjumento. Et ita Eusebius in Libro VI. cc. XII. XIII. Deinde vocatus a duce Arabiae, ut eum in sacris Litteris erudiret: paulo post regreditur Alexandriam. Verum per civitatem civili et gravissimo bello excitato, Palaestinam petiit.

In qua moratum ita repraesentat Historicus: « Ibi, ait, Caesareae ludum aperit, licet nondum presbyterii gradu potitus, et ab episcopis, qui ibi erant non ad disputandum solum, sed ad Scripturas etiam aperiendas, magnopere in communi ecclesiae consessu rogatus est. Quod quidem poterit esse perspicuum ex his quae Alexander Hierosolymorum episcopus et Theoctistus episcopus Caesareae ad Demetrium in Origenis defensione sic fere respondebant. *Quod autem in litteris adjunxeris, nunquam antea auditum, neque jam usurpatum, ut laici, praesentibus episcopis, disputarent, Scripturasque exponerent; in eo mihi nescio quomodo videris perspicue falsa*

dixisse: nam ubi idonei et habiles reperiuntur, qui fratribus in verbo Dei adjumento sint, a sanctis episcopis rogantur, ut populum in verbo instituant; sicut Larandis Euelpis a Neone, Iconii Paulinus a Celso, et apud Synados Theodorus ab Attico, qui omnes beati et pii fratres erant. Ac verisimile est, quamvis nobis obscurum et minime cognitum sit, illud idem in aliis locis fieri. Hic, quem ego dico, Origenes adhuc adolescens, non modo ab episcopis, quibuscum familiaritatem contraxerat, sed a peregrinis, qui illum prope ignorabant, isto modo in magno honore habitus fuit. Quinimmo, ubi Demetrius et per litteras eum accersiverat, et per diaconos ecclesiae ut mature rediret Alexandriam hortatus erat; ille eo reversus, consueta studia et exercitationes denuo obire coepit. »

In his itaque patet usque modo nihil in Origenem actum esse; uti neque reperitur quod in professione christiana, sicuti in istitutionibus scholasticis, ac in fidelium concionibus, dogmati catholico contraire videretur. Quinimmo, ex quo ibi tradit Eusebius, per litteras a Demetrio Alexandriam accersitum, ut consuetas obiret exercitationes, magis patet eo usque recte ac fideliter se in hoc sacro gessisse ministerio; ac amplius neminem, nisi ipsum, hoc munus perficere posse.

Interea propositum valde juvant, quae Eusebius ipse narrat in eo Libro c. XVII. de altera Origenis profectione ab Aegypto. Inquit enim: « Eo tempore circa annum 230. necessitate negotii cujusdam ecclesiastici abeundi flagitante, in Graeciam per Palaestinam iter fecit; et Caesareae per manuum impositionem episcoporum, qui in illis partibus rexerunt Ecclesiam, munus suscepit presbyterii. Qui vero deinceps fuerint de illo tumultus et discordiae concitatae: quae de eisdem ita commotis ab episcopis, qui ecclesiis praeerant, decreta: deinque quae incommoda, cum in verbi Dei explicatione summa cum laude floreret, pertulerit, quamquam separatum opus ad plenam eorum explicationem postulare videntur; tamen in secundo Apologiae libro, quam pro ejus defensione edidimus, aliqua ex parte (quantum ingenii nostri patiebatur tenuitas) de eisdem disseruimus. »

Verumtamen horum tumultuum, qui adversus Origenem Alexandriae et per Aegyptum commoti sunt, quales fuerint

causae, etsi nos lateant ab Eusebio, nihilominus ex litteris ad amicos suos alexandrinos paulo ante citatis, eruitur quam summopere lamentatus sit, quod praeter jus Demetrius, ceterique Aegypti praesules et sacerdotes in sui damnationem coaluissent, praesumptis erroribus a se nunquam excogitatis, ac tantummodo inimicorum suorum studio inique super se devolutis. Insuper hic notare juvat, uti praefatus sum, Origenem Alexandria profectum, in Graeciam ob quaedam ecclesiae negotia adiisse. In quo itinere Caesareae presbyterii gradum suscepit; ut constet, post discessum suum discordias de eo in Aegypto palam concitatas esse; quarum auctor praecipuus fuerat Demetrius, haereticis, ut dixi, et invidis furtive instantibus in ipsius dejectionem. Ter enim Historicus hujus itineris mentionem agit in citato libro, in c. XVII. deinde in c. XVIII. addens ipsum Libros *Periarchon* et *Stromaton* adornasse priusquam Alexandria migraret. Iterum in c. XX. inquiens: « Decimus jam annus agebatur imperii Alexandri supra demonstrati, cum Origenes Alexandria μετανάστασιν migrationem faciens Caesaream iturus, Scholam institutionis, quae erat ad illius loci habitatores in fidei principiis informandos aedificata, Heraclae reliquit. »

Circa hanc porro Eusebii testificationem, plura huic loco accommodata, observatuque digna adjicenda videntur, una consertis et Eusebii ipsius testimoniis, ejusdemque Origenis declarationibus in epistola ad Alexandrinos. Quisquis enim aeque utriusque expositiones animadverterit, comprehendet cur initio Tomi VI. *in Joannem* scribat Origenes de procella; quae sibi in Tomum V. elaboranti, imminere videbatur, quamvis in aperto nondum irruperat: *Ea autem,* inquit, *ingruente procella, praevenimus et extracti sumus ex Aegypto, Deo nos liberante, qui eduxit populum suum ex ea.* Cum scilicet inde per Caesaream in Achajam ex quibusdam hujus ecclesiae negotiis discessisset ultro et suo consilio, Scholae alexandrinae praefectura Heraclae commissa. Verumtamen pro tempestatis contra Origenem incremento illud quoque interfuit, quod ipse per manus impositionem episcopi Caesareae sacerdotii munere decoratus fuerit; unde vehementius in ipsum crevit odium Demetrii, per totam deinde Aegyptum propagatum;

et aversionis et discordiarum ubique in ea regione sparsis seminibus de tanto viro.

Et ob hoc, ni fallor, plane explanantur, quae paulo ante citata verba, obscure quidem tradit de ipso Demetrio speciatim, Origenes, Ambrosio sodali suo locutus de divinae opis necessitate in rebus spiritualibus exequendis: « Ceterum, ait, supputatione facta, cum deprehendissemus, perficiendae fabricae, ea, quae paraveramus, non sufficere, id totum Deo commisimus ditanti in omni sermone et cognitione; credentes, quod nos ipsos, leges servare spirituales conantes, ditabit. Et quod progredientes in structura adjuti his, quae ipse suppeditaverit, ad aedificii etiam coronam perveniemus. Quae eum, qui ascenderit ad domum sermonis, cadere prohibet: cum ab his tantum domibus, quae corona carent, cadant ii, qui propter aedificiorum imperfectionem cadunt: quae caedes et casus causantur his, qui in eodem sunt loco. »

Hinc non videtur arduum investigatu, qualis sit domum sermonis ascendens, in cujus domi summitate corona, idest spiritualis perfectio, deest, et ob hanc aedificii imperfectionem ipsum labi fit; et casus inde causantur iis, qui in eadem domo sunt. Perspicue enim animadvertit Demetrium Alexandriae episcopum, et simul aliquot Aegypti praesules et presbyteros, qui cum eodem Demetrio iniquae damnationi consenserunt in seipsum latae.

Secundo, cum ipse Origenes paulo post inquit: *Nunc vero quando adversus nos ignitae sagittae multae vanae fuerunt factae, Deo illas extinguente* etc. ipsum intuetur Demetrium, in cujus obitu sagittae obtusae sunt, Deo sagittarum ignem extinguente. Reapse Eusebius paulo ante dixerat: « Nec multo post (cap. XX.) Demetrius Alexandriae episcopus, cum quadraginta tres annos integros in illo ministerio fungendo contrivisset, mortem obiit: huic successit Heraclas. » Qui undecim annos illius ecclesiae episcopatum tenuit, doctrina et sanctitate insignis, fama ubique eum illustrante. In quo munere quidem non contra Origenem, qui ei remisit Scholae praefecturam, sed pro eo uti antecessore suo proboque viro decertasse, credendum est. Eoque amplius, quod Origenes in citato loco inquit: *Jesu increpante ventos et undas maris, se-*

datam fuisse procellam, et se aliquantum serenitatis nactum, sibi obvenientis ex Demetrii obitu, et Heraclae successione in illius episcopatum. E quibus omnibus invalescit argumentum quaecumque, instante Demetrio et cum eo ceteris Aegypti episcopis, in Origenem delata fuerint, vanas et calumniosas fuisse imputationes; quas dicit in epistola veluti gratis assertas ac brevi ideo dissipandas. Et hic valde mirum, quomodo nonnulli autumarint, Origenem tunc temporis a sacerdotio dejectum per Demetrium, et anathemate ictum ob Christi abnegationem in persecutione; cum aliter, teste Eusebio, Demetrius circa annum 234. fatum subierit; et Origenes sub Decio anno fere 250. pro Christi fide certamen perpessus sit.

Tertio, considera qua spiritus demissione in hoc se gesserit discrimine Adamantius, et quali erga Deum charitate tunc praestiterit. Etsi enim contra se iniquissime ageretur, et omnimode sibi conscius, Demetrii decreta *certissime Evangelio hostilia*, quippe falsa, in sui damnationem firmata fuisse, ceteris urbis presbyteris consentientibus, et usque Romam ad aures Pontificis delata; attamen inquit: « Stare me magis adhortabatur ratio ad certamen, et servare praestantissimam mei partem, quam importune conjungere restantem Scripturam: antequam rationis discursus tranquillitatem reciperet; ne forte cogitationes pravae invalescerent, in animam quoque meam procellam inducere. » Ecce virum sincerum fidelem, ac revera motuum suorum dominatorem, cujus in adversis splendet fortitudo; qui etiamsi calumniis appetitus pro tunc silet, ne forte in injurias prosiliat. Et cum deinde ad amicos alexandrinos scribens, probrum, quo affectus fuerat, revolvat in alios, cernito qua moderatione et animi anxietate (etsi jure) exemplo prophetarum sacerdotes Dei corripientium, innixus, audeat Demetrii ipsius exprobrare injuriam sibi allatam, cum ceterum nec ipsi diabolo ausus fuerit aliquando maledicere.

Inspice ergo ex hoc eloquii genere, Origenis promptitudinem pro veritate pugnandi, mentis suae ingenuitatem in ea asserenda coram Deo; ac una ob cogitationum pravarum timorem, ne in vindictam excederet inimicorum suorum, videas quomodo tunc a scriptione destiterit. Donec sedato ani-

mo, opus inceptum aggreditur; ac ad charos suos per litteras locutus, non veretur debita observantia, falso sibi a Demetrio imputatis respondere. Quo exacto ad Deum versus ait: « Atque utinam audiat Deus preces nostras, ut corpus totius operis conjungere possimus; nec ulla posthac necessitas intercipiat, atque interrumpat Scripturae seriem. » Quomodo, inquam, si de erratis similibus actum fuisset revera in ea procella, unde evasit, quomodo tam fidenter ista dixisset, Evangelio ideo inimicum vocans Demetrium, qui insontem damnaverat, et causam ipse suam Deo commendans? usque dum omnes de eo evanuerint erroris suspiciones, Domino sibi adsistente in discooperiendis insidiis, quin unquam ne verbum quidem retractationis proferret ex pluribus blasphemiis contra Deum et contra Evangelium de impietatis fontibus erutis, sicuti necesse erat, si reapse stare velimus Theophili, Hieronymi et Epiphanii testimoniis? Inspicito igitur ex hoc processu, quam ingenue de se scribat Origenes in Tomi VI. initio, sicuti in praefatis ad Alexandrinos litteris, mutuo illustratis et Eusebii testimonio adauctis. Inspicito demum num ea admittenda sint prava dogmata; quorum auctorem celebrati scriptores fecerunt Adamantium.

Ex his praemissis in eamdem incidimus illationem, quam paulo antea necessario eruimus; idest Origenem nec unquam talia docuisse absurda, neque suis inseruisse scriptis; et, si coaevi occasionem nacti sint illum incusandi ob peregrina dogmata, aut sensum verborum suorum non comprehendisse, vel suos interpolasse libros, eisdem, quos ipse nescivit, refutavitque, inspergendis erroribus. Sed quid dicam de discipulis suis Heracla et Dionysio? Fortasse quis suspicionem circa eos in Origenis causa reperire velit tanquam cum eo errantes, seu in eadem quaestione socios? Cum enim de hac re scripserit ad amicos Alexandrinos, in quibus primi numerandi sunt discipuli; his ab Aegypto discedens Scholam commendavit. De reliquo patet, nec ipsos eidem in suppositis erroribus convenisse, nec Magistri subiisse vexationes. Iidem namque in disciplinis ceterisque muneribus perseverarunt, et cum Origenes calumniis torqueretur, et postquam de hostibus triumphavit. Demetrio defuncto, sedata procella, Hera-

cla in ejus locum Alexandriae episcopatum tenuit, et Dionysius Scholae praefecturam. Ideoque si admittatur, utrumque erroribus Origenis restitisse, procella contra ipsum excitata non quievisset. Attamen ipse Origenes testatur post Demetrii obitum, Deo pro se pugnante tanquam innoxio, ab hostibus triumphasse.

Si autem velis, hos Origenis impietatibus consensisse, ob quas dicitur ipse damnatus; tunc uterque eodem anathemate ictus fuisset; et episcoporum senatus, ob haeresim patria depulso magistro, in patria ecclesiae et Scholae alexandrinae praefecisset haeretici viri discipulos. Attamen nec Origenes palinodiam cecinit; nec ejusdem damnationi narratur, communicasse Heraclam et Dionysium. Quinimmo legitur Dionysius cum antea ei in Schola alexandrina fuisset insignis adjutor, eidem dicasse libellum *de Martyrio* ob ea quae passus est sub Decio, instar libelli alterius, quem Origenes Ambrosio et Protocteto obtulerat ob illorum victoriam in persecutione Maximini.

Insuper de ipsius Origenis ab Aegypto decessu, vivente Demetrio, audiatur quidquid ipse scribat Hieronymus contra Theophili auctoritatem asserentis: « non a se Origenem primum, sed ab antiquis Patribus, et maxime Heracla et a presbyterio ejectum, et de Ecclesia pulsum, et de civitate fugatum: » Quae verba deinde Auctor Epistolae ad Mennam instauravit pro suo studio contra Origenis personam. Hieronymus, dico (etsi postea illusus a Theophilo contraria dixerit de Origene) *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* n. 64. haec pro eodem tradit: « Et cum mediae esset aetatis et propter ecclesias Achajae, quae pluribus haeresibus vexabantur, sub testimonio ecclesiasticae epistolae Athenas per Palaestinam pergeret, a Theoctisto et Alexandro Caesareae et Hierosolymorum episcopis, presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet. » Item n. 72. de eodem Alexandro locutus Hieronymus, ait, ipsum scripsisse epistolam ad Origenem et pro Origene contra Demetrium, eo quod juxta testimonium ejusdem Demetrii illum presbyterum constituisset.

Stantibus interim hujuscemodi testificationibus contra ea, quae praesumpsit Theophilus, nec ab Ecclesia pulsum, neque Alexandria fugatum, nec haereseos, nec alius criminis reum fuisse probatur Origenem: verum tantummodo istum ab Aegypto discessisse in Achajam per Palaestinam transiturum ad errores profligandos, qui in illis ecclesiis irruperant. Et in his sane valde mirum est. Lucis apostolus Origenes vocatus in Achajam, a Theophilo in apostolum tenebrarum vertitur. Et uti sator zizaniorum fugatus ab Aegypto, in alienas provincias venit, uti veritatum sator, et haereticorum malleus. Cui ergo credendum est? Quod autem dicit Hieronymus, Eusebius firmat; et amplius s. Gregorius Thaumaturgus horum gestorum testis oculatus in n. 5. Orationis panegyricae, *virum sacrum* appellans Origenem, asseverat, ipsum ab Aegypto profectum in Caesaream venisse, quo res aliae trahebant et transferebant, idest haereticorum motus contra veritatem catholicam. Constat ergo haud ex doctrinae pravitate ab Aegypto decessisse Origenem; sed ex placitu suo, fideique zelo, ac permittente Demetrio, nullo instante crimine, inde profectum.

Nisi quod, absens Origenes, ex Demetrii invidia et ambitu, calumniis appetitus fuit, variis contra eum commentitiis accusationibus compertis: a quibus ea deinceps hausit Theophilus, instauravitque in ecclesiis, dicteria plura adjiciens, unde et ipse Hieronymus illusus est, in antilogiam ideo prolapsus eorum, quae tanto studio pro Origenis fide et sanctimonia scripserat antea, ejusdem doctrinam in divinis Scripturis explanandis aemulatus. Propter quam illusionem s. Doctor in Epistola 97. n. 1. ad Pammachium et Marcellam, scribens: « Rursus, ait, orientalibus vos locupleto mercibus, et Alexandrinas opes primo vere Romam transmitto.... Qui parvulum Christum foverant, adultum fidei calore discedunt, ut qui per illos effugerat Herodis manus, effugiat haereticum blasphemantem: *quem Demetrius Alexandri urbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus* etc. »

Et quomodo a Demetrio ut haereticus et blasphemus Origenes ab urbe Alexandrina pulsus est; quem Eusebius ait, ecclesiasticis Graeciae negotiis efflagitantibus ab Aegypto di-

scessisse? et idem Hieronymus addit, commendatitiis ejusdem Demetrii litteris Alexandria profectum venisse Achajam, ut ecclesiarum dissidiis consuleret et errores ab illis averteret? Ac deinde Caesaream Palaestinae repetens scholae christianae ibi munus obiit, episcopis et fidelibus omnibus acceptissimus; et ad quem, paulo post virtutibus et miraculis in vita sua commendatissimus Neocaesareae episcopus adhuc juvenis sese recepit Gregorius? Qui cum eo ad quinquennium commoratus, tantum profecit sub tanto praeceptore, ut ab eo discedens grati animi ergo sollemni cumularit elogio. In quo, ubi notavit n. 5. sacrum hunc virum ab alexandrinorum urbe in hunc locum venisse, deinceps de suo laetus profectu in Christianam Religionem n. 10. subdit:

« Rogo autem philosophos, qui nunc sunt, quotquot ego novi ipse, et quos aliis narrantibus audivi, homines item ceteros; ut quae a nobis nunc dicuntur, aequo animo accipiant. Nec vero quisquam haec dicere arbitretur aut amore erga virum aut reliquorum philosophorum odio ...... Qui ne adolescentulus quidem, cum popularem eloquentiam a rhetore docerer, laudes cujusquam sponte persequi poteram, quae verae non essent. Quare neque hunc laudare instituens aliorum vituperationibus extolli hunc oportere arbitror. Et viro sane injurius essem, si aliorum vitiis, ut majus aliquid de ipso dicere habeam, beatam ejus vitam conferre velim: non adeo sum amens; sed quod mihi accidit, sine ulla contentione, nulloque orationis fuco confitebor etc. » Ac interim progressus in laudibus Origenis texendis, virum piissimum ac fere divinum nuncupat. Ac in divinis Scripturis exponendis ait: « Donum hoc ille maximum divinitus concessum, sortemque de coelo optimam habet, ut Dei sermonum interpres sit apud homines; Deique verba, quasi Deo loquente, intelligat; et hominibus, ut homines percipiant, enarret... Atque ut paucis dicam, hortus quidam revera nobis erat, magni illius paradisi Dei similitudinem referens etc. »

Et si tanta scripserit tantus vir de Origene, quis hunc audebit nuncupare haereticum, proindeque fugatum ab Aegypto, ut hortum divinae scientiae plantaret in terra aliena: coelestis philosophiae radices figeret in agro profano; divini

amoris et sanctitatis semina coleret in arvo impuro, ac ovem errantem duceret ad ovile Christi? Quae omnia complevisse Origenem ait s. Gregorius erga se, ceterosque quam plurimos in sacro Caesareae didaschalio paulo post quam per Demetrium episcopum ab alexandrina Schola (ut putavit Theophilus et cum eo Hieronymus) fugatus est ut haereticus. Et quis talia unquam crederet?

Non credidit s. Alexander martyr Hierosolymorum episcopus, qui tunc ad eumdem Origenem scribens, hunc dominum suum ac patrem vocat: « Patres illos beatos novimus, inquit, qui nos praecesserunt, Pantaenum virum illum beatum, et dominum meum, et Clementem dominum meum, qui et adjuvit me, et siquis alius talis, per quos in tui (Origenis) notitiam veni, per omnia optimi et domini mei et patris. » Non credidit Theotecnus (alii Theoctistus) Caesareae Palaestinae episcopus, qui Origeni apud se degenti potestatem fecit de superiori loco docendi populum. Et ille sane est Theotecnus qui apud Photium Cod. 118. Demetrii accusat invidiam et odium in Origenem: « *Et has causas affert, quibus omnes illae calumniae in ipsum eruperint*; et sic per ostracismum exulare cogeretur, probrum sustinens de sua fide iniquissimum. » Neque demum credidit Porphyrius Christi et christianorum hostis, de Origene obstupescens, quod Christi dogmata sequeretur (teste Eusebio libro VI. c. XIII.) ac una obstupescens, sicuti paulo ante dixi, de laude ejus maxima, quam adeptus erat in Ecclesia; et valde comprobatus ob ea quae reliquerat ingenii sui monumenta; *et cujus gloria*, addit, *apud doctrinae hujus magistros eximia habetur*. Si tam honoratissima memoria Origenis nomen apud Ecclesiae magistros, et in vita et post mortem cumulatum fuit ex Porphyrii testimonio viri sine partium studio eloquentis; unde Origenis impietas Christum blasphemantis, et pravorum dogmatum institutoris? (1)

(1) In citandis Eusebii testimoniis prae manibus habui Editionem Joannis Dadraei Parisiis an. 1581. quamvis aliquando ad quaestionis perspicuitatem alteram consului celebratissimam cum notis Henrici Valesii.

Quanto porro jure comprobanda sint hucusque pro Origene discussa contra adversariorum praetextus, nobis adstat quoque Hippolytus episcopus portuensis, vir doctrina et pietate insignis ac zelo contra haereses ardentissimus, ejusdemque Origenis familiaris. Quid autem iste de illius fide ac scientia senserit, testantur Hieronymus et Photius : quorum is in Bibliotheca Cod. 121, haec scribit : « Ferunt, hunc (Hippolytum) conciones ad populum, Origenis imitatione habuisse, illoque familiarissime utentem, tantum esse factum sermonum ejusdem admiratorem, ut ad divinam Scripturam commentario illustrandam, hortando impulerit, additis etiam illi suo sumptu septem notariis; qui dictata celeriter exciperent, totidemque librariis, qui accurate describerent. Haec igitur subministrantem Hippolytum sine remissione solitum exigere opus, quod elaborasset Origenes : atque hinc etiam *operis exactorem* epistola quadam ab eo nominari. » Addit insuper Photius, utrumque se mutuo ad laborem et studium hortatum fuisse rerum ecclesiasticarum. Quapropter, si quodammodo Origenis fides tunc periclitata foret, sive tam pravos sensus protulisset contra dogmata apostolica, vix credendum est, Hippolytum ita sollicite ipsius dicta admiratum collegisse. Item Aphricanus ob libros *De temporum serie* sedulo elaboratos tunc valde commendatus, in epistola, quam scribit ad Origenem, rogans quid sentiendum esset de Historia Susannae, eumdem vocat πάντων τιμιώτατον *omnium honoratissimum*.



CAPUT III.

Pergit discussio de Origenis excommunicatione ex Demetrii alexandrini decreto, de Origenis ejusdem litteris ad Fabianum Papam, de ipsius lapsu in idololatriam ex s. Epiphanii testimonio, et de ejus poenitentiae libello.

Contra hucusque pro Origene discussa aliquem sentio mihi adversari, plura objicientem, ac instantem non ei confictos fuisse errores, sed revera errasse, ac ideo damnatum a Demetrio et a Clero alexandrino, ejusque damnationem a Senatu Romano sancitam; unde subsecutam ejusdem poenitentiam, et causas, quae ipsum in errorem induxerunt, ac demum in idololatriam lapsum. Haec autem statui dicunt, primum ab Epistola 33. Hieronymi ad Paulam, deinde ab Eusebio Hist. Eccles. Libro VI. c. XXIX. ab ipsius Origenis libello *Lamentum Origenis* inscripto, et ab Epiphanio Haer. 64. n. 2. de quibus omnibus singillatim agendum est.

Et quoad primum idest Hieronymi Epistolam ad Paulam, in hac antea Catalogus texitur Operum quae Origenes elaboravit, in cujus fine haec dicit s. Doctor: « Quis enim unquam tanta legere potuit, quanta ipse conscripsit? Porro hoc sudore, quid accepit pretii? damnatur a Demetrio episcopo, exceptis Palaestinae episcopis, Arabiae et Phoenicis atque Achajae sacerdotibus. In damnatione ejus consentit Urbs Romana. Ipsa contra hunc cogit senatum non propter dogmatum novitatem, non propter haeresim, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant; et illo dicente, omnes muti putabantur. »

Hoc porro testimonium, cum plura contineat nec Hieronymi locutioni, nec ullimode historiae cohaerentia, nec Clero Romano digna, jure ideo falsatum haberi existimo. Quomodo enim et unde Hieronymus unquam ita putaverit Origenem in Senatu Romano disserentem, ab ipso damnatum fuisse, *quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant?* Sino dicere hoc valde Clero Romano ac amplius Pontifici inju-

riosum. Sed quod quaero ac impossibile teneo, hoc est quod Origenes, etsi Romam viserit, Zephyrino Papa hanc regente Ecclesiam, nullam nec scholam ibi instituerit, nec concionem coram Senatu Romano habuerit ullam, ut invidia adversus se concitaretur ac anathemate feriretur. Insuper addendum est; quod dicitur a Demetrio excommunicatum Origenem, ac deinde ab Ecclesia Romana, id quidem accidit paulo ante Demetrii obitum ac longe post Origenis iter ad urbem Romae; ita ut necesse foret, hoc posito testimonio, denuo Romam adiisse Origenem, quod probari nequit, reluctante Eusebio, qui ipsius gesta, itinera ad varias regiones accurate descripsit. Quamobrem necessario in citata Hieronymi epistola admittenda est interpolatio, adeo ut quod interpolator significavit Romae factum a Clero Romano, referendum sit ad Demetrium et ad Clerum alexandrinum.

Et reapse, Alexandriae coegit sacerdotum Senatum Demetrius, ut excommunicaretur Origenes ob falsas suspiciones, aut potius invidia devictus, cum in ea Schola omnium consequeretur laudes undique adventantium, ut ipsum audirent. Et hoc firmatur ab ipso Origene in litteris, quas charis suis dedit Alexandriam post discessum ab ea urbe. In qua valde conqueritur de ipso Demetrio, et de presbyteris, quod immerito extra Ecclesiam eum amandassent. Et hoc item instaurat initio Tomi VI. commentarii *in Joannem,* procellam memorans adversus se Alexandriae concitatam: « Deinde, ait, inimico (Demetrio) adversus nos acerbissime pugnante per suas novas litteras revera Evangelio inimicas, omnesque Aegypti ventos adversus nos impellente. » Pamphilus vero, qui cum Eusebio Origenis Apologiam contexuit, teste Photio Cod. 118. praeclarissime ideo scribit: « Hinc Demetrii amor in odium vertitur: laudesque mox cum vituperatione commutantur: synodus insuper episcoporum coacta, et presbyterorum quorumdam contra Origenem. *Paulo post.* Verum Demetrius una cum episcopis aliquot sacerdotio quoque illum abjudicat etc. » Et quid inde, nisi necessario statuendum sit, Hieronymi narrationem in epistola ad Paulam de synodalibus Alexandriae actis contra Origenem, contortam fuisse ad Clerum Romanum, quasi iste, toto orbe christiano virum

doctum plaudente, ipsi invidens ejusdem gloriam conculcare studeret ? quod, ut praemisi, historiae contradicit. Et ex adverso cunctae hujusmodi circumstantiae a Hieronymo notatae adamussim conveniunt *Presbyterio* sive Senatui alexandrino, cui praeerat Demetrius invidia et odio percitus in Origenem. Confer Librum II. *Invectivarum* nn. 19. 20. 21.

Sed quod argumento suffragatur amplius, et confusionem indicat in praefata epistola, nec Hieronymum ita sensisse, ex consequentibus Ruffini dictis apparet. Subdit enim : « Siquis tibi (Hieronyme) tunc quaeso cum ista, ut ais ad pauperis lucernae igniculùm cito sed cauto sermone dictares, adstitisset propheta, et clamasset : O scriptor, cohibe hanc vocem, reprime stilum : erit enim tempus et non multo post, cum schisma ab Ecclesia facies : et ut proximo schismate colorem aliquem excusationis invenias, istos, quos nunc omnibus mirabiles facies libros, incipias infamare ; et istum quem modo Chalcenterum tuum vocas, et pro merito laboris laudabilis ais Adamantium nominatum, dicturus es non tam libros ad utilitatem animae, quam venenata dogmata conscripsisse. Hunc, quem negas a Demetrio in causa fidei damnatum, et hunc quem negas pro dogmatum novitate incusatum : tu execrandum pro novitate dogmatum dices ; et ea quae dicis nunc adversus eum canes rabidos simulare, haec ipse simulabis. Romanum quoque, ut nunc scribis epistolis tuis commonitoriis, juramentis, satellitibus circumvolantibus, etiam tu contra eum coges Senatum ; et talem vicem pro omnibus laboribus suis Chalcentero tuo reddes etc. »

Sensus ergo hujus sermonis in eo consistit, ut ostendat Ruffinus, antea Hieronymum pro sincera Origenis fide pugnasse ; deinde vero comitem se constituisse ipsum oppugnantium et condemnantium. Et hinc, sicut Demetrius quondam cum quibusdam episcopis et presbyteris non ob haeresim, non propter dogmatum novitatem, sed ob invidiam damnavit ; ita ipsum Hieronymum dubitandum erat pariter incessurum, mutato consilio adversus Origenem. Et quemadmodum Demetrius et cum eo Senatus alexandrinus Origenem damnarunt: ita isto tempore, idest sub Anastasio Papa studium Hieronymi invalescebat sollicite *per suos satellites circumvolantes*, *per*

suas epistolas et juramenta apud Romanum Pontificem, ut condemnaretur Origenes. Ac ideo ibi Hieronymus citatus a Ruffino non dicit, neque vult (ut erronee legitur in praefata pericope) Urbem Romanam, coacto Senatu, Origenem adhuc viventem damnasse *non pro dogmatum novitate non propter haeresim* etc. Sed Demetrium proprie et aperte notat Ruffinus ex Hieronymi verbis ita gessisse contra ipsum Origenem. Proindeque ab ea pericope excludendum est vocabulum *Roma, vel Romana,* quippe contra orationis ordinem illuc intrusum: et loco *ipsa* dicendum est *ipse* idest Demetrius. Scilicet in ejus damnatione consentit urbs (Alexandriae). Ipse Demetrius cogit contra hunc (Origenem) Senatum etc.

Ac reapse ita velle Ruffinum in hoc paragrapho, instauratur in sequentibus n. 26. ubi de futura loquitur damnatione per Pontificem Anastasium, cui subjicere satagebat Hieronymus Origenis personam (a quo Papa refugit ut infra dicetur): « Sed ne dilatari nimis, ait, sermonem onerosum sit, sufficiant interim haec, in quibus eum (Origenem) et quasi apostolum laudat et Ecclesiae magistrum; et quia non pro fide, non pro dogmatum novitate ut rabidi nunc canes simulant, adversus eum moveatur Ordo Romanus. » Item in n. 35. addit: « Verisimile est ut eumdem tu et defensorem adhibeas et reum. Auctorem facti tui habere potes eum, quem et primus ipse condemnas, et ad condemnationem ejus epistolis tuis Romanum cogis Senatum. » Cogis scilicet Clerum Romanum sicuti aliquando adversus eumdem Origenem Demetrius in Alexandriae urbe coegit episcopos et presbyteros nonullos.

Si enim insuper Hieronymus, mutata de Origene sententia, novisset, Papam sive Fabianum sive alium tunc Romanam regentem Ecclesiam condemnasse Origenem; ille in Epistola 84. ad Pammachium et Oceanum, ac in tribus libris contra Ruffinum, ubi toto studio vellicat Origenem, errores notans tunc et antea damnatos, haud hoc omisisset Ecclesiae Romanae decretum quandoque adversus eum emissum: ac profecto hoc alteri praemisisset a Theophilo sancito. Demum neminem lateat citatam pericopem non reperiri in quatuor Codicibus Vaticanis; qui duos continent Ruffini libros contra Hieronymum, breviori valde sermone expositos, quam

modo leguntur in Editione Vallarsii Veronae etc. De quo fortasse alibi disputandum erit. Quamobrem ex cunctis adhuc expositis, mihi videtur satis, ut quis sibi suadeat, nec Origenem fuisse anathematizatum a Senatu Romano; nec Hieronymum talia Clero et Pontifici Romano indecora scribere potuisse.

His exactis de Hieronymi epistolae falsatione circa Romanae Ecclesiae decretum adversus Origenem, ad illud pergendum est, quod ipse Doctor exposuit de Origenis epistola ad Fabianum Papam. In qua quamvis Eusebius et Hieronymus conveniant, de fide sua scripsisse Origenem ad Pontificem, hujus tamen sensum varimode tradunt: adeo ut nos, cum hucusque totius epistolae desideretur tenor, in quadam incertitudine versemur. Quamobrem aliunde harum litterarum tempus quaerendum est prius, ac dein causae investigandae, cur ita scripserit Origenes ad Fabianum.

Non videbor illusione captus, si hae litterae occasioni committantur, quando Origenes, ut nuper ostendi, a Demetrio, nonnullis cum eo episcopis et presbyteris in synodum adunatis, excommunicatus fuit, et ab Aegypto tunc absens, alio ob quaedam ecclesiarum negotia vocatus, et ab ipso Demetrio Litteris Formatis sive Commendatitiis adauctus, ut de eo dicit Hieronymus in Libro *De Viris illustribus;* etsi deinde uti exul mansit, insimulationibus adversus eum calumniosis adinventis, quae personam et ipsius violabant fidem. Nec aliter quidem praesumendum est. Frustra enim habetur, accusationi respondere, nisi accusator praecedat: nec item alias, nisi hoc tempore in hanc necessitatem per suos aemulos adactus est Origenes, talem emittendi fidei christianae professionem coram Romano Pontifice, ceterisque episcopis; quando scilicet Demetrii et presbyteri sive Senatus alexandrini decretum in Origenis damnatione totum pervadebat orbem christianum. Ideoque ab his circumstantiis et ab hac aetate videtur, ut dixi, non esse amovendum Origenis consilium hanc scribendi ad Fabianum Papam epistolam: ut inde via nobis praebeatur ejusdem aperiendi sensum, tollendique simul obscuritatem et discrepantiam expositionis de ea ab utroque concinnatae Eusebio et Hieronymo.

Discrepantiam quidem dixi. Unus enim, idest Eusebius, indicat ibi in epistola exarasse Origenem simplicem suae fidei confessionem, et per eam obtestatum se orthodoxam fateri, complectique fidem. Alteri vero, nempe Hieronymo, praeter fidei emissionem ex Origenis parte, videretur amplius eidem epistolae Origenes adjecisse genuinam errorum suorum confessionem, ac una poenitentiam ob ea quae scripsit: ac insuper quae temere scripserat adversus veritatem, convertere voluisse in Ambrosium, eo quod secreto edita, in publicum retulisset. Unde eruendum foret, revera errasse Origenem, temere sensisse in suis opinionibus, proindeque resipuisse, cuncta prave excogitata scriptave de dogmate christiano retractantem. Quapropter ob hanc Hieronymi et Eusebii discrepantiam in hujus epistolae dijudicando sensu, memet aliquantisper puto hic sistere, et rem accuratius investigare, num vere errores suos coram Pontifice Romano confessus sit Origenes.

Ac primum, nullibi in quovis discussionum genere, quae adhuc supersunt, nullibi reperitur hujus confessionis indicium, nec retractationis. Quinimmo in epistola citata ad amicos alexandrinos et in prologo Tomi VI. *in Joannem*, quae sane ad hanc referuntur aetatem et occasionem, de suae fidei et conscientiae integritate tutus Origenes, nec se poenitet, nec suos retractat errores, sed alacriter in calumniatores ac verborum suorum falsatores pugnat, Deum nuncupans suae professionis christianae testem. Et amplius contra hostes suos judicium Dei minatur, et in eos quoque criminationibus illorum accommodantes aurem.

Praeterea, his positis erroribus, necessarium puto, ut Origenes postquam haeretica scripta edidisset, in se factus et coram Fabiano Papa ceterisque episcopis per litteras emendatus, necessarium puto, inquam, ut in aliis tractatibus post retractationem conflatis, speciali mentione et confutatione, ea repetendo reformaret et potissimum in concionibus, et ita scandalo consuleret in ecclesiis excitato. Quod summum erat in viro, qui ubique profitetur se velle in omnibus apostolica et ecclesiastica sequi statuta. Nihilominus hucusque nullum de his indicium obviam mihi fuit, nec mihi, nec Pamphilo

martyri, qui omnia percurrit Origenis scripta, ut ab iis illius adstrueret fidei integritatem adversus ejusdem obtrectatores. Cui quidem martyri ut sincero Operum Origenis scrutatori curae maximae erat hos notare haereticos sensus, si reperisset, eorumque emendationem. Eoque magis quod s. Pamphilus a quovis ejusdem Tractatu etiam ardua capiente, testetur se collegisse testimonia, ut orthodoxum et fidelem Christi servum comprobaret Origenem et ab erroribus immunem: « Quodque (in Praefatione inquit Apologetici) puram religionis observarit disciplinam, et prae ceteris verbo Dei et doctrinae operam dederit, nulli dubium est, et ex his quae ad nos laboris et studii ejus certissima designantur indicia. » Et paulo post adjicit, in his omnibus scriptis *ipsum custodisse praedicationem apostolicam.* »

Profecto s. Pamphilo, et cum eo, Eusebio, qui haec inter alias Origenis epistolas collegere *certissima documenta*, siquid in litteris ad Fabianum Papam significatum foret tum de erroribus a seipso admissis tum de palinodia, pro historiae sinceritate hoc non erat praetereundum, probe scientibus se ideo proposito mentitos fuisse, ea, in quibus erravit, vel temere scripsit Origenes, praetermittentes. Quibus expositis nostrum jungendum est studium in 1. et 2. Parte sedulo pro viribus exactum ex adhuc superstitibus genuinis Auctoris libris: quocum et sententiae s. Martyris convenimus; eamque firmantes, ostendimus nihil reperiri in ipsis nec refutandum nec damnandum: nec consequenter quod esset retractandum ab Origene. Quapropter, collatis quae Eusebius et Hieronymus exposuere de Epistolae tenore, quam Origenes Fabiano dedit, sequitur Eusebii interpretationem alteri Hieronymi praecellere, gratisque assertum ipsius Hieronymi glossema; quod fortasse mutuatus est a Theophilo, cui in hac quaestione omnimode adhaesit, priori erga Origenem mutata sententia; quacum asserebat s. Doctor ex invidia excommunicatum fuisse a Demetrio. Ob hoc enim verosimilius probavimus, ut ait Eusebius, tunc Fabiano dedisse has litteras Origenem, orthodoxiam suae professionis vindicantem ab hostium suorum insimulatione.

Nolo autem et in hoc loco, ut melius pateat Hieronymi illusio in actis apocryphis citandis, ob ea quae supposuit ex Origenis epistola ad Fabianum, nolo inquam praeterire, quae ideo eidem Doctori objecit Ruffinus in Libro I. *Invectivarum* n. 44. ubi disputans quod suam erga Origenem emendasset opinionem Hieronymus (poenitentia ductus se antea eum laudasse ex praefatae epistolae verbis ad Papam de Origenis resipiscentia ob ea quae scripsit) ipsi Hieronymo praecludit Ruffinus viam invehendi in Origenem tanquam haereticum et damnatum : « Ad ultimum etiamsi haec ita non essent, ipse tamen tibi etiam post poenitentiam, omnem aditum veniae praeclusisti. Ais enim ipsum Origenem pro his dictis poenituisse, libello poenitentiae ad Fabianum tunc urbis Romae episcopum dato : et tamen post poenitentiam, post centum et quinquaginta annos mortis suae in jus eum trahis, et ad damnationem vocas. Quomodo ergo pro his dictis tibi venia dabitur poenitenti, si ille, qui ante te pro his poenituit, veniam non meretur? Similiter ut scripsisti, scripsit : similiter ut poenituisti, poenituit. » Verumtamen Origenes nec erravit, nec se poenituit; nec ideo Pontifici errata confessus est, ut ab eisdem absolveretur.

De reliquo de hac praesumpta Origenis poenitentia pervagatur quidem libellus latino sermone sub titulo *Origenis lamentum*, in quo Auctor perditionem suam luget. Hic insertus reperitur priscis Origenis editionibus in fine *Periarchon*. Attamen universim uti spurius et supposititius existimatur, eorumque commentum contra Origenem et Origenistas decertantium. Et ita legitur in decreto Gelasii Papae de Libris Apocryphis : *Liber, qui appellatur poenitentia Origenis.* Quisquis revera hunc percurrat libellum, undique calami ignobilis probabit opus; praesertim ob antilogiam, in quam offendit auctor; alias dicens se invitum errasse; et alias se poenis aeternis damnatum : « Tu nosti, inquit, Domine, quia invitus cecidi; volens alios illuminare, me ipsum obscuravi... O diabole quid fecisti mihi : quomodo vulnerasti me? .... Plangite me, quia poenis aeternis condemnatus sum. Vereor judicii diem, quia in poena aeterna damnatus sum. Timeo

angelos, qui supra poenas sunt, quia misericordia in eis non est etc. » Et quid his assertionibus ignobilius?

In hac porro quaestione praeveniendum et est, quod legitur, plures Origenis patronos, postquam a Theophilo damnationis decretum inclamatum est contra eum ut haereticum et blasphemum, tale ipsos decretum iniquum reputasse, asserentes, nullam infligendam damnationis poenam illi, quem Patres vetusti valde catholicum honorarunt. Ex quibus Socrates in Libro VII. Hist. Eccles. c. XLV. testatur, Origenem annis circiter ducentis post obitum ipsius a Theophilo excommunicatum fuisse; quando per hanc obtestationem neglecta foret Demetrii sententia uti improba, qua Origenes excommunicatus dicitur et presbyterii gradus ab eo ademptus.

Et merito quidem neutrius decretum contra nos facit. Excommunicatio enim in Origenem a Demetrio indicta, irrita, ipso facto, per alios episcopos declarata fuit, causis non extantibus ut ipsa rata haberetur, videlicet injusta, uti prius novit Hieronymus. In absentem indicta fuit, et in absentem hujusmodi, quem episcopi omnes, excepto Demetrio et quibusdam Aegypti praesulibus, ut dixi, ut innoxium virum et orthodoxum probarunt, Demetrii repellentes decretum super calumnias contextum. Et id rei exitus comprobavit. Etenim defuncto Demetrio, ut scribit ipse Origenes in praefatione Libri VI. commentariorum *in Joannem*, procella in ipsum sedata est, ac undequaque refulsit ipsius innocentia, fidei suae et pietatis sincerae fama volitante et praevalente; ac universim Origeni plaudente Ecclesia: *Deo*, ut ipse ait, *pro seipso pugnante contra adversarios suos.*

Demum diluendum superest s. Epiphanii testimonium de Origenis lapsu in idololatriam, ejusque ab Ecclesia dejectione. Hoc porro tradit sanctus Doctor de Haeresi 64. n. 2. postquam ejusdem Origenis egregia facinora celebravit. Subdit enim: « Sed in ejusmodi praemii professione perpetuo non mansit. Etenim ob eximiam sanctitatem et eruditionem ad summam adductus est invidiam: eaque res magistratus et praefectos majorem in modum acuit. Tum illud vero diaboli calliditate, improbitatis artifices commenti sunt, ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, et ejusmodi poenam

statuerent, ut ad illius corpus stuprum inferendum compararint Aethiopem. Ad haec Origenes fraudulentum illud diaboli consilium non sustinens, vocem illam edidit, qua, duobus illis propositis, maluit sacrificare. Quamquam non omnino sponte illud sua praestitisse vulgo dicitur; sed ubi semel hoc se esse facturum assensus est, thus in manus illius impositum, in subjectum arae focum excussisse gentiles asserunt. Hoc modo et a martyrii gloria confessorum, martyrumque, qui illius temporibus erant, judicio excidit, et ab Ecclesia dejectus est. Accidit hoc Alexandriae. » Quod autem hic ait Epiphanius de Origene, tempus hujus persecutionis omittens, instaurat et explanat in Libro *De Ponderibus* n. 18. statuens in persecutione Decii haec Origeni contigisse: « Ceterum in persecutione Decii martyrium subiit Babylas Antiochiae, Fabianus Romae, Alexander episcopus Hierosolymorum Caesareae. Quin et Origenes ipse quamvis multa sit passus, martyrii exitum minime est adeptus. »

Haec sane dicit s. Epiphanius: quique fatetur se ex erratica vulgi fama hanc collegisse narrationem; in qua facile decipi passus est (quod ipse novit paulo ante obitum suum sicuti infra patefiet) veluti de ceteris criminationibus adversus Origenem concinnatis falsis et commentitiis, delectis ex priscis libellis per haereticos ejusdem Origenis aemulatores undequaque in Ecclesia vulgatis, quemadmodum in Prima et Secunda Parte ostendi luculentissime. Quapropter non est mirum, s. Episcopum, in hanc quoque decidisse illusionem. Illusionem porro Epiphanii circa Origenis lapsum deos adolentis, de tempore, deque ipsius ab Ecclesia expulsione viderunt Editores Maurini in notis Danieli Huetio adpositis, et quidem jure. Contrarium enim hoc manifestatur iis, quae Eusebius caesariensis ex coaevis scriptoribus narravit de Decii persecutione, cui participavit Origenes. De reliquo cum nostra valde intersit non solum de Origenis fide et pietate ipsius interrogare initium, sed et amplius finem juxta dominicam sententiam : *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ;* ideoque huic Epiphanii narrationi adversati, Eusebii instemus testimonio. Qui ex sinceris praecessorum depositionibus suam instruens historiam de novissimis vitae il-

lius annis in Libro VI. c. XXXII. idest ab anno 250. quo in Christi Ecclesiam mota est Decii persecutio, et in qua plura passus est Origenes usque ad annum circiter 252. quo mortuus est, haec tradit:

« Quot afflictationum genera, et quam gravia Origeni in hac turbulenta persecutionis tempestate contigerint: et quo pacto malevola diaboli invidia contra incensa (qui omnibus copiis tanquam hostis infestus, enixe aciem adversum illum instruebat omnibus machinis, omni virtute et potentia contra eum dimicabat, et praeter ceteros omnes illo tempore ab eo impugnatos, in hunc potissimum impetum faciebat) magis magisque augerentur: qualia etiam et quam acerba pro Christi verbo et doctrina perpessus sit vincula, quae corporis tormenta, quae supplicia ex catena ferrea in interiori carceris recessu collo impacta: et quomodo multis diebus pedes ligno adstricti, quatuor foraminum interstitiis interpositis, distractione quadam distenti fuerint: quae ignis et incendii oppositae minae, quas praeterea ab inimicis inflictas carnificinas toleranter pertulerit: cujusmodi autem harum rerum exitus fuerit, judice omnibus viribus nisi ambitiose contendente, ne illum interficeret: denique quos sermones eosque, solatio plenos iis, qui opis et auxilii in rebus adversis indigent, scriptis reliquerit, permultae sunt illius epistolae, quae vere accurateque commemorant. »

Et haec tradit Eusebius, instauravitque Hieronymus in Libro *De Viris Illustribus*, ita ut discrepantiam inspicias ab his, quae narravit s. Epiphanius. Talem vero discrepantiam ex his Eusebii verbis erues, ut unius vel alterius auctoritas cedat necessario; et unam sinceram probes narrationem, falsam reprobes alteram. In hoc tamen non videbor illusus, si Eusebii, posthabito Epiphanio, acceptavero testimonium quippe gestis et aetate propinquioris; et qui hanc redegit historiam ab actis a Dionysio obsignatis, qui fuit Origenis discipulus et Scholae moderator, et praestantissimus Ecclesiae alexandrinae episcopus, doctrina et pietate ubique fulgens, et omnium testis, quae tunc acciderant in Decii persecutione. Ab hoc sane et ab aliis, quos ab initio Libri VI. dicit adhuc superstites testes eorum, quae egit et docuit Origenes, mutuatus est Eusebius.

Nam in c. XXXIV. hujus Libri VI. narrat Dionysium inter alia scripsisse martyrum certamina: scripsisse etiam ad Episcopum hierosolymitanum de beato Alexandro in carcerem concluso, ubi mortuus est; et hac instante aetate librum composuisse *de Martyrio* ad Origenem. Demum in c. I. Libri VII. praeclare indicat: « Magni illius, inquit, et illustris Alexandriae episcopi Dionysii epistolae posteris mandatae (in quibus res quasque suo tempore gestas singillatim commemorat) nobis ad hunc septimum Ecclesiasticae Historiae Librum conficiendum (has enim verbotenus citabimus) erunt permagno adjumento. »

Haec a sinceris Dionysio aliisve et coaevis testibus per Eusebium eruta documenta, Origenis integram fidem ostendunt, ejusque in Ecclesia Catholica obitum; ac una quascumque expugnant his contrarias narrationes, fraudulento quidem calamo exaratas adversus tanti viri fidem et pietatem: et simul obtestantur in ea, quae bona fide scripsit s. Epiphanius. Si namque in hac Decii persecutione, tali expositus discrimini cessisset Origenes, fidemque christianam ejurasset, nec Dionysius nec Eusebius omisissent; nec multo minus uterque affirmasset, *fortiter ipsum sustinuisse cruciatus*. Quapropter cl. Baronio, qui cuncta ab Epiphanio narrata de Origene inter fabulosa commisit, conveniens ajo, Epiphanium, sicut ex impuris fontibus hausit, quae scripsit de pravis istius Scriptoris dogmatibus, similiter ab eisdem collegisse, quae de ipsius in tormentis lapsu recitavit. Quemadmodum putandum quoque est, Origenem ad Fabianum Papam de sua fide sincera scribentem adversus obtrectantium linguam, ut ipse ait, nullam emisisse errorem suorum emendationem. Nisi quod ad summum dici posset, ipsum ingenuo pronoque animo, uti discipulum sub magistro constitutum, doctrinas suas sanctae Romanae Sedis submisisse judicio: quod nil officit proposito.

CAPUT IV.

Dionysii Alexandrini, Gregorii Taumaturgi, Petri Alexandriae episcopi, Pierii presbyteri, Victorini petavionensis dicta et gesta examini subduntur ob ea, quae de ipsis narrantur in causa origeniana.

Post haec proposito nostro in Origenis causa prospere beneque vertet, si aetatis, quae proxime ipsius morti successit, ecclesiasticam contulerimus traditionem, tum quos discipulos habuit, tum ceteros, qui ejusdem genuina legerint scripta, interrogantes. Ideoque cum hucusque argumento utilia hausimus e libris s. Dionysii alexandriae antistitis; nunc admodum interesse puto, ut istius quoque, utpote a tanto Magistro dogmate christiano imbuti, illustretur fides orthodoxa. Hujus autem pii viri testis adstat s. Athanasius, qui de sententia ejusdem arguens haeresim arianam adversus suos accusatores, ait n. 3. hunc Dionysium pie in ecclesia dormiisse ejusque memoriam hactenus celebratam, ac una in album s. Patrum esse relatam. Quem vocans Ecclesiae Catholicae magistrum, circa annum 263. dicit in Cathedra Alexandriae sedisse, et contra sabellianos insurrexisse, Dei Filium ejusque divinitatem, aeternitatem et cum Patre consubstantialitatem propugnantem. In quo testimonio s. Athanasius ejusdem antistitis libros citat et Apologiam, quam sub epistolae forma scripsit ad Dionysium Pontificem Romanum adversus obtrectatores suos, ut a se haereseos amoveret suspiciones. Et in qua specialem mentionem agit de vocabulo *homousion*, hujus sensum coram Pontifice explanans, uti videre est in ipsius Athanasii epistola *De Synodis* n. 44.

Hujusmodi porro se habent Dionysii alexandrini verba ad alterum Dionysium Romae episcopum: « Et aliam epistolam, inquit, scripsi (Pontificatu tunc temporis fungebatur Dionysius Papa) ubi ostendi, falsam esse, qua illi in me utuntur criminatione, quasi scilicet qui negassem, Christum Deo esse ὁμοούσιον consubstantialem. Etsi enim fateor, me id nominis nullo in loco Scripturarum invenisse; tamen quae

sequuntur argumentationes meae, quas illi quidem reticuerunt, ab hac sententia non discrepant . . . . Et hanc quidem epistolam, ut dixi, ob praesentem verum statum exhibendam non habeo. Alioquin ipsa, quae tunc scripsi verba, vel potius integrae epistolae exemplar misissem; quod, ut potero, facere non omittam. Memini vero probeque scio, me plurima rerum, quae ejusdem sint generis, exempla proposuisse. Namque dixi plantam ex semine vel radice exortam, aliam esse ab eo, unde producta est, esse tamen ejusdem naturae. Fluvium similiter ex fonte manantem aliud nomen habere; neque enim fontem dici fluvium, neque fluvium fontem; utrumque nihilominus existere ita ut fluvius sit aqua ex fonte profluens. » Haec leguntur in Epistola s. Athanasii de Decretis Synodi nicaenae n. 25.

Quapropter cum ista docuerit Dionysius alexandrinus recta de Trinitate sentiens (adeo ut beatus Athanasius illius memoriam cum ceteris Ecclesiae Patribus in album retulerit) cur non confutaverit institutorem suum Origenem? sicubi, uti volunt Theophilus et Hieronymus, scripta sua et speciatim libros *De Principiis* tot blasphemiis infecerit, tot absurda in illis collegerit? Quare ipsius errores non feriit anathemate Dionysius, veluti aliorum haereticorum ejusdem generis perculit prava dogmata? Qua ratione tandem Dionysius elogium contexuit Origenis talium impietatum auctoris, quae totam evertebant Evangelii dispensationem? Necessario inde statuendum foret, Dionysium eisdem cum magistro suo erroribus communicasse, adeo ut ipsius encomium post mortem texeret, in Christi ecclesiis exemplar praebens virum tot criminibus lacessitum. Ideoque sive velis, sive nolis, vel utrumque pium, seu utrumque impium accipito. Praeclara testimonia sunt ista, quae merito pro sincera Origenis fide contendunt; ac una patefaciunt, falsas omnino tunc fuisse criminationes in ipsum conversas.

Praeterea hic relate ad Origenis scholam et fidem circa Trinitatis mysterium, repetendum quoque illud est, quod alter illius discipulus divus Gregorius Taumaturgus (quippe qui, quae de Evangelica veritate credidit, ac sensit, omnia ex ore suo accepisse testetur) scripsit in Oratione panegyrica

coram eo habita priusquam ab ipso discederet. Ibi enim s. Doctor pro se et magistro suo haec de Verbi divini cum Patre unione essentialiter et indivisibiliter profitetur, cum n. 4. ait infirmitatem nostram imparem se habere laudes et gratias Deo, quantum deceat, rependendo; verum tamen hoc tantum deberi animarum nostrarum Salvatori: « Ipsi soli pro seipso et pro omnibus privatim ac universe facile est assiduas atque perpetuas gratias agere: quia cum sit ipsa veritas, et ipsa Patris universorum et Sapientia et Potestas; insuper cum in eo (Patre) sit, et cum ipso non ficte sed vere unitus, non est cur per oblivionem, vel insipientiam . . . Patrem suum laudatione destituat: cum ei soli sit in promptu perfectissime omnes congruentium illi laudum numeros adimplere; quem ipse omnium Pater unum secum faciens, per ipsum etc. » Hinc, siquis poterit ex Origenis adversariis, eruat ipsius ac discipuli erratum de Filii a Patre discrepantia in essentia, in sapientia in virtute etc. ut inde statuat blasphemiam Origeni ipsi adscriptam: *Filium Patri comparatum, esse mendacium*, et alia hujusmodi.

Quanto porro pretio ac reverentia in orbe christiano tunc fierent scripta, Origenisque memoria, nobis adstipulatur Hieronymus in Catalogo *Virorum Illustrium* n. 86. inquiens, Pierium presbyterum alexandrinum (qui tertio desinente seculo vixit) ob sermonis elegantiam et tractatuum varietatem eousque temporis superstitum, *Origenem juniorem* nuncupatum fuisse. Eusebius autem in Libro VII. c. XXVI. Hist. Eccles. de eodem praefatus erat, dicens: « Inter homines etiam nostrae aetatis rarissimos quidem, et singularis cujusdam virtutis ex presbyteris alexandrinis Pierium, ex praesidibus autem ecclesiarum Ponti Meletium episcopum cognovimus. Ac Pierius cum ob inopem admodum et egentem vitae rationem, quam sua sponte susceperat, tum ob philosophorum disciplinas, quibus erat imbutus, satis spectatus et illustris fuit: in litterarum quoque divinarum cum cognitione, tum explicatione, in disceptationibus praeterea et concionibus publice in ecclesia faciendis supra modum exercitatus. » Ideoque si Pierius vir ejus aetatis rarissimus tum ob vitae austeritatem, tum ob peritiam in divinis Scripturis,

tum ob zelum in divini sermonis ministerio adeo conspicuus fuit, ut *Origenis junioris* nomen adeptus sit; cur nobis Origenem seniorem haereticum, aut pravum, seu impium tunc factum esse in ecclesiis putare licebit? cum et ipse Photius Cod. 119. ob hoc asserat, *tunc inter viros celeberrimos habitum fuisse Origenem*.

Quapropter vix de eo conveniam quod legitur in Tractatu Justiniani adversus Origenem de Petro martyre et episcopo alexandrino, circa idem Pierii tempus, Origenis infensissimo: quemque ideo verbis et scripto confutasset. In eo reapse Tractatu citatur ejusdem Petri Sermo adversus animarum praeexistentiam, ubi paulo post subdit: « Quid porro dicam Heraclam et Demetrium beatos episcopos? Quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cum ipse dissidia in Ecclesia sereret, quae ad hanc usque diem ei turbas excitant? An igitur potest aliquis bene sentientium adversari, quae in Origenem dicta sunt a beato martyre et episcopo alexandrino Petro? Qui egregium pro Christo sustinens certamen, non solum Origenem sceleratamque ejus doctrinam abdicavit; sed etiam testificatur, sanctos, qui ante ipsum fuerant, Patres, multas sustinuisse tentationes ab illius dementia? » Hujusmodi testimonium instauratur in Actis Martyrii ejusdem Petri editis a Combefisio, ubi s. episcopus coram Achilla et Alexandro introducitur ita locutus: « Nec vos praeteream, sanctissimi patres ac divinae legis antistites, Heraclam et Demetrium, quibus fabricator perversi dogmatis Origenes multifarias tentationes incussit; qui conjecit in Ecclesiam detestabile schisma, quod usque hodie confundit eam. » Et haec de Petro alexandrino martyre narrantur.

Eusebius vero in Libro VII. Histor. Eccles. capite ultimo hujus Martyris memoriam celebrat, quin (cum de ceteris Eusebii mos est) ipsius cujusque generis citet scripta ac multo minus adversus Origenem. Beatus Hieronymus *De Viris Illustribus*, nec Petri personam, nec sua scripta memorat. Ideoque dubitandum videtur de praemissarum narrationum sinceritate. Le Quien in Opere *Oriens Christianus*, Tomo II. p. 397. de hoc episcopo et martyre inquit: « Anno 4. persecutionis Canones poenitentiales sancivit, qui ho-

die extant. Ipso episcopatum gerente, meletianorum schisma contigit; quum ab eo Meletius Lycopolis in Thebaide episcopus ob cultum idolorum, quem fervente christianorum insectatione admiserat, sacerdotio ejectus esset. Ejus Acta, quae doctissimus Combefisius graece latineque evulgavit, spuriis narrationibus infecta sunt: quae tamen Sozomenus Libro I. Hist. Ec. c. XIII. legisse videtur. » Valesius quoque dubitat de horum Actorum genuitate praesertim ob ea, quae narrantur de Ario excommunicato a Petro: de qua re nec Alexander, nec Athanasius egere mentionem.

Quinimmo perspicue ab Eusebio in Libro II. nn. 68. 69. *De Vita Constantini*, quaecumque excluditur nota Arii a Petro anathematizati: cum non nisi post an. 320. Alexandro episcopo alexandrino, inter hunc et Arium dissidia orta sint, et tunc Arius a communione suspensus: « Cum enim, inquit Constantinus, a presbyteris tuis requireres, quid quisque eorum de quodam Legis loco sentiret; seu potius de quadam parte inanis quaestionis eos interrogares: cumque tu Ari, id quod vel nunquam cogitare vel sane cogitatum silentio premere debueras, impudenter protulisses; excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est. » Ex his et sequentibus patet, non a Petro adversus Arium pronunciatum anathema, verum serius ab Alexandro ei denegatam fuisse communionem.

Ceterum cum Petrus ex praefatis Actis Alexandrum hortetur, ut vigilet adversus haereticos sabellianos, meletianos et perversum Origenis dogma; ipse vero Alexander in litteris ad Alexandrum constantinopolitanum, Arii impietatem in Dei Filium notans, n. 9. inquit hanc imitationem esse Ebionis, Artemae, Pauli samosateni, Luciani: e quibus germinasse Arium et Achillam: « Ipsi enim a Deo docti estis; nec ignoratis, eam doctrinam, quae adversus pietatem nuper caput extulit, Ebionis esse et Artemae; nec aliud esse quam imitationem Pauli samosateni Antiochiae episcopi; qui omnium ubique episcoporum concilio ac judicio ab Ecclesia remotus est. Cui succedens Lucianus, pluribus annis a communione trium episcoporum se se abjunxit. Horum impietatis faecem cum hausissent, nuper nobis orti sunt exsuc-

ci, occulta illorum germina, Arius et Achillas, et reliqua impiorum istis adhaerentium turba. » Ab hoc sane studioso Arii praecursorum censu non erat ab Alexandro amovendum Origenis nomen; si, ut Auctor vitae Petri praesumit, pravi dogmatis fabricator fuisset Origenes, ac Arii nuncupatus magister. Nihilominus Alexander, qui tanta a Petro audiverat de Origene praesertim relate ad Verbi consubstantialitatem, ipsius nomen semovit ab haeresiarchis, qui in Verbum Dei blasphemarunt. Hinc aperte refutatur de beati Petri vita Actorum auctoritas: eoque magis quod nec Theophilus nec Hieronymus talem Origenis adversarium memorarint Petrum.

Insuper probe dicit Valesius de Athanasio, qui hanc notam transegit de Origene. Tunc enim diaconus Alexandri familiaris et consiliarius valde elaboravit adversus Arium Athanasius: cui sane, ut infra dicetur, nota erant et doctrina et scripta Origenis; et amplius oculatus eorum testis, quae facta sunt sub Alexandro episcopo et antecessoribus suis. Nihilominus non tantum silet, quae de Origene narrantur in praefatis s. Petri Actis; verum etiam in epistola *de Synodis* n. 16. litteras memorat, quas ariani Alexandro miserunt; ubi citantur veteres scriptores, qui suffragari videbantur eorum impietati. In hoc tamen numero pariter desideratur Origenis nomen.

Praeterea contra narrationem ex praesumptis Actis erutam de Origenis erroribus, unde haeresis ariana germinasse dicitur, ideoque *arianorum Pater* vocatus, admodum pugnat, quod legitur apud Sozomenum in Libro I. Hist. Eccles. c. XV. Qui Origenem hujus impietatis auspicatorem excludens, de Ario ita scribit; « Iste cum primus subtilitate disserendi excellens ad opiniones tam absurdas delapsus est, uti, quod nunquam ante a quoquam dictum fuerat, non vereretur in Ecclesia palam efferre: nimirum Filium Dei ex nihilo ortum esse, tempus fuisse quando non erat: suo libero arbitrio vitii et virtutis capacem esse, conditum esse, factum esse, etc. »

Quamvis vero Sozomenus, ut ait Combefisius, quaedam notet de Ario narrationi similia lectae in Actis s. Petri; tamen omittit Heraclam et Demetrium tentationes sustinuisse

ab Origene *fabricatore perversi dogmatis*, uti velit, qui ea Acta scripsit. Ceterum ut amplius ostendatur falsitate laborare hanc narrationem, videas quod in eisdem Actis dicitur Petrus ex nutu divino Arium ab Ecclesia detruncasse; atque amplius Achillam et Alexandrum suos successores in episcopatu ob hujusmodi nutum divinum rogasse, ne ipsi unquam in Ecclesiam reciperent Arium. Nihilominus legitur coelestem visionem uterque violasse, ac Arium receptum in Ecclesiam, munere quoque decorasse presbyteratus. Quod valde in suspicionem inducit horum Actuum auctoritatem, eorumque apocryphïam ostendit.

Insuper ab hoc iniquissimo titulo Origenem prorsus abluit Socrates in Libro II. Hist. Eccles. c. XXXV. de Aetio syro locutus. Ait enim: « ipsum in impietate superasse Arium Verbi divinitati mentitum: quippe comprehendere haud valuit, quomodo generatio ingenita sit; et qua ratione quod genitum est, coaeternum sit cum eo, quod illud genuerit... ita ut in veteribus scriptoribus, qui sacra eloquia ad fidem christianam spectantia interpretati fuissent, non modo non esset exercitatus; sed Clementem, Aphricanum, et Origenem viros omni doctrinae sapientiaeque literate peritos prorsus rejiceret: atque ideo epistolas nugis fallacibus contextas ad Constantium Imperatorem conscriberet. » Quapropter, si reapse Origenes *arianorum Pater*, Verbi divinitatem negasset omnimode, ut praetendunt adversarii, cur Aetius hunc repudiavit refutavitque Origenem, qui secum ipso eadem sensisset adversus Christum Dei?

Similiter instante ariana Haeresi idem Socrates Libro II. c. XLV. ait, Georgium Laodiceae auctorem fuisse hujus impiae sententiae: « Quod autem dictum est *Deum ex Deo*: perinde dictum est atque apud Apostolum *omnia ex Deo esse*. Proinde unus omnium Filius ex Deo est, quia in hac voce *omnia* comprehenditur. Itaque in formulis nostris adjecta est illa particula *secundum Scripturas*. » Quibus verbis subdens Socrates docet, hujus commenti auctorem, hujusmodi loquendi modorum imperitum fuisse ac rudem, prorsusque ignorasse, qua ratione Origenes superioribus temporibus tales sermonis proprietates, quae sunt apud Apostolum, uberius fusiusque explanasset.

Item in Libro III. c. VII. de conventu agit Alexandriae, instantibus s. Athanasio et Eusebio vercellensi: in quo adunati sunt episcopi de diversis civitatibus; ac de pluribus rebus valde necessariis contulerunt. Sancti quidem Spiritus divinitatem illic asseruerunt, eum in consubstantiali Trinitate comprehendentes. Christum vero hominem factum, non carnem modo sed etiam animam humanam assumpsisse pronunciarunt: quae sententia olim fuerat ecclesiasticorum virorum, idest Irenaei, Clementis, Apollinaris hieropolitani, Serapionis antiocheni, et Origenis: « Qui prae aliis in omnibus suis libris Christum hominem factum, anima praeditum esse agnoscit. Sed specialiter in Tomo IX. commentariorum, quos scripsit *in Genesim*, hujus rei sacramentum exponit: ubi Adamum quidem Christi, Evam vero Ecclesiae typum gerere pluribus verbis asseruit. »

Pariter in c. XXIII. Porphyrii et Juliani impietates memorans, quas ex perverso Scripturarum sensu adversus Christum contexuerant, ait, eos a pluribus refutatos Ecclesiae viris: « Sed prae reliquis omnibus Origenes, qui quidem Juliano longe vetustior fuit, ea quae in sacris Scripturis animos legentium conturbare videbantur, sibimetipsi objiciens atque exponens, sophisticas malevolorum hominum cavillationes repulit. Quae si diligenter Julianus et Porphyrius legissent, ad aliud stilum suum convertissent, neque ad sophismata impietatis plena conscribenda animum suum applicuissent unquam. »

Huic porro nostrae disquisitioni optime quoque accommodantur, quae Theodoretus in *Compendio haereticarum fabularum* scripsit: ubi haereticos omnes usque ad sua tempora enumeravit non solum, sed eorum confutatores Ecclesiae Patres, in quibus Origenem, inquiens: « Haeresum vero antiquarum (loquitur ad Sporacium cui hoc opus dicavit) fabulas ex antiquis Ecclesiae Doctoribus collegi; idest a Justino, ab Irenaeo, Clemente alexandrino, Origene, Eusebio etc. qui linguas suas adversum falsum armarunt. » Ac ideo ibi non sua Historicus sed aliena profert, ab Ecclesiae antiquae thesauris eruta.

Ac interim de Menandro mundum ab angelis creatum asserente locutus, ait adversus hunc scripsisse Justinum, Irenaeum, et Origenem. Item adversus Isidorum haereticum dicit pugnasse Agrippam cognomento *Castor*, atque Irenaeum et Origenem. Similiter in Hermogenem ex subjecta congenita materia docentem, omnia esse condita, et insuper diabolum et daemones fore in materiam refundendos, in hunc inquit, et in Valentinum scripsisse Theophilum antiochenum et Origenem. Pariter in severianos scribit pugnasse Musanum, Clementem Apollinarem in Phrygia episcopum et Origenem. In Potiti de Marcionis schola, impietatem praefatos scriptores in quibus Origenem, ait dimicasse; sicuti adversus nazaraeos justum hominem tantummodo fuisse Jesum putantes, dicit insurrexisse Origenem cum aliis praefatis. Item scribit Theodoretus, Cerinthum, Christum hominem nec Deum existimantem, refutasse Origenem, Gajum et Dionysium alexandrinum. Adversus nicolaitarum immunditias calamum acuisse dicit Clementem, Irenaeum, Origenem et Hippolytum; ac tandem in helcesaitas inter alia astrologiae et magiae cultores pugnasse saepius laudatum Origenem. Ex quo testimonio comprehenditur, haud tantum ex haereticorum numero excludi Origenem; quinimmo inter orthodoxos Ecclesiae Doctores celebrari, et amplius ut haeresum earumdem expugnatorem, de quibus ab aemulis suis insimulatur.

Huic Theodoreti testimonio de haereticis ab Origene confutatis, illud subdendum est Anonymi *De Haeresibus* in libro titulo *Praedestinatus*. Is Apellitas memorans de Marcionis schola exortos n. 22: « Hos, ait, Origenes ita perfecte superavit, ut eorum causa *periodeutes* fieret; et per singulas quasque Orientis urbes eundo praedicaret. Et quia innumerabilia sunt Tractatorum ejus volumina, haeretici superati libros ejus ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt; ut quos vellent decipere, dicerent ita Origenem suis expositionibus definisse. » Et in n. 43. amplius addit, Ampullianum haeresiarcham bithynium libros Origenis *Periarchon* corrupisse, ut ad sua traheret perversa dogmata, quae orthodoxe docuit ipse Origenes. Inde quidem factum est, ut valde illuderentur Epiphanius, Theophilus et Hieronymus.

Novissime propositum juvat, quod idem Hieronymus *De Viris Illustribus* c. LXXIV. scribit de Victorino circa istud aevum vivente, Petavionensi episcopo et martyre, graecis latinisque litteris instructo; qui commentaria edidit in plures Scripturae libros, ad omnium haeresum confutationem, et multa alia. Alibi s. Doctor in Epistola ad Pammachium et Oceanum dicit, Victorinum Tractatus Origenis exposuisse, non ut interpretem, sed ut auctorem proprii operis transtulisse. Et ad Vigilantium Epistola 62. n. 2. ait Victorinum secutum esse Origenem in explanatione dumtaxat Scripturarum. In Homilia I. *in Lucam* adjecit, Victorinum et Hilarium commentarios edidisse *in Matthaeum* diverso sermone, sed una gratia spiritus; ac denique Victorinum haberi *Ecclesiae columnam*. Victorinus itaque rerum ecclesiasticarum peritus, haeresum confutator, Ecclesiae columna dictus, atque in Origenis libris versatus, vix creditur tam falsas ipsius Origenis opiniones ubique transegisse inconsideratas, quin, nisi confutarit, saltem lectorem monuisset de impietatibus ejusdem et absurdis de Deo, de seculo futuro, de anima etc. si hujusmodi sensus reperisset in scriptis ejusdem.

Stantibus igitur tam praeclaris de Origenis fideli doctrina testimoniis, ac virorum auctoritate irreprehensibilium cumulatis et eorum, qui cum eo versati sunt, et aliorum qui sua scripta genuina perlegerunt, admodum profecisse confido, ut falsitas patefiat rerum, quae in Actis narrantur martyrii beati Petri alexandrini.



CAPUT V.

S. Pamphili martyris et Eusebii Pamphili episcopi Caesareae expediuntur et vindicantur amplissima testimonia pro Origenis fide, pietate et doctrina, quibus in Ecclesia Dei praefulsit per omne suae vitae tempus.

Sed ulterius progressi historiae ordinem secuti de iis, qui Origenis dogmata expenderunt, longe amandantes ab eo sphalmata immerito ipsi adscripta, in alterum incidimus haud minoris auctoritatis tum ob profectum in scientiis divinis, tum ob studium in Christi nomine verbo et opere vindicando. Et hic est Pamphilus martyr, qui una cum Eusebio summopere pro Adamantio elaboravit, invalescentibus etiam post Demetrii fatum malevolorum obtrectationibus. Si enim pii et providi episcopi et fideles, sincerae doctrinae Origenis conscii, abfuerint ab accusationibus; nequaquam vero, ut ipse saepe queritur, haeretici (quorum occulta venena revelabat) quieverunt; ex quo indesinenter, et ubique sibi, Deo, et hominibus mentiti, suas doctrinas falsabant, tollendo, adjiciendo et ad lubitum commentati in omnibus, quae haeresi propriae suffragarentur, aut illius famam deturparent coram catholicis. Et illud sane illorum studium, hoc opus perversorum.

Interea audiatur qua ratione s. Martyr Confessores alloquitur ad metalla Palaestinae damnatos: « Nihil mirum, inquit, fratres, videmini mihi esse perpessi, quod ita vos Origenis subterfugit intellectus, ut vos quoque ea aestimetis de illo, quae et alii nonnulli: qui sive per imperitiam sui, qua non valent sensus ejus altitudinem contueri; sive pravitate mentis, qua studium gerunt non solum dicta ejus incusare, verum etiam adversus eos, qui haec legunt, hostiles inimicitias sumere, tam pertinaciter id agentes, ut nulla prorsus venia eos dignos haberi putent etc. » Deinde scrutatum iniens Origenis scripta subdit: « Nos tamen perspicimus frequenter ea, quae ab ipso cum magno timore Dei, et cum omni humilitate dicuntur; cum veniam petit pro his, quae per nimiam discussionem et per multam Scripturarum scrutatio-

nem animo disputantis occurrunt: quae cum exponit frequenter addere solet, et profiteri, se non haec quasi definitiva pronunciare sententia, nec statuto dogmate terminare, sed inquirere pro viribus, et sensum discutere Scripturarum: nec tamen profiteri quod integre perfecteque comprehenderit; suspicari magis se de quampluribus dicens, nec tamen certum esse, quia in omnibus, quod perfectum est et integrum, assecutus sit. » Et in his omnibus speciatim intuetur Pamphilus libros *De Principiis*, ubi plura hujus generis quaesita lectoribus opponit Origenes: quae tamen aliter se habent et habenda sunt ab iis absurdis et impietatibus, quorum auctor deinde factus est a praefatis scriptoribus Theophilo, Hieronymo et Epiphanio, veluti ex praemissis amplissime ostensum est.

Verumtamen pro re nostra, ac de malignantium studio, valde interest, quod ipse Martyr de ipsis scribit paulo post: « Multos invenias, quos si interroges in quibus libris (Origenis) aut in quibus locis dicta sint, quae arguunt, confitentur se quidem nescire ea, de quibus affirmant, nec legisse unquam, audisse autem alios dicentes. Ex quo cuivis plena ridiculi sententia eorum videbitur, cum de his judicant, atque ea condemnant, quae nec discere quidem prius ac nosse potuerunt. » Et post multa, quae obtrectantium malitiam designant, cum ad calumniam prompti sint, atque in rerum veritate investiganda admodum desides, et quod bonum est deserentes, ac difficiliora et obscura exprobrandi causa in suam partem trahunt: « In tantum, addidit, horum, de quibus supra diximus, progressa malitia est, ut quidam etiam conscribere adversus eum ausi sint, et libellis editis derogare ei viro, qui per tot annos magister Ecclesiae fuit; qui in Ecclesia Catholica senuit, qui adversus eas haereses, quae illo tempore Ecclesiam impugnabant, ita constanter, ita fortiter dimicavit, ut omnia eorum diabolicae machinationis fundamenta subverterit; non studiorum laborem, non continentiae, non institutionis, non humilitatis, quae super ceteras omnes virtutes ejus maximam gratiam continet, non illud certe considerantes, quod presbyterii dignitate in Ecclesia honoratus est. » Haec testatur Pamphilus in Prologo Apologiae.

Itaque cum divus Martyr (qui, uti ait Hieronymus, maximam partem Origenis voluminum manu sua descripsit) falso ipsum criminatos ostendat, aut idiotas esse, seu timidos, aut invidos, vel malevolos sive haereticos, mihi tanti viri fidei, sanctitati, et doctrinae valde consonum videretur (ne partium studiosus redargueretur) quod ipse Origeni exprobrare debuisset impias sententias, praesertim in Libris *De Principiis*, et nedum easdem designare et animadvertere, sed et damnare, anathematizare, et hinc lectorem ab his offendiculis cavere. Non enim, veluti perspectum est, modici momenti habentur praesumpti errores; totum enim convellunt Evangelii aedificium. Nec Deus, neque Dei Verbum, nec Redemptio, nec mundus, nec angeli, nec daemones, nec anima, neque seculum futurum in eo ordine ab Adamantio considerantur ac fiunt; quo ab ipso Deo, ineffabili Sapientia, definita sunt juxta Spiritus Sancti revelationem, in divinis Scripturis ac apostolicis traditionibus manifestam. Num fieri potuerit, si revera eas blasphemias propugnasset Origenes, ut hunc Ecclesiae magistrum nuncupasset Pamphilus, asserens eumdem in Ecclesia Catholica senuisse, omnes coluisse virtutes, haeresum expugnatorem, ac diabolicarum eversorem machinationum? Fortasse has transegit impietates Pamphilus aut ignorantia, aut negligentia, sive ob nimiam erga Origenem reverentiam? Nolim et hoc ad paullulum suspicari de Christi martyre.

Verum, cum nostra admodum intersit s. Martyris testimonium pro Origene, adeo ut, si Pamphili studium in omnibus et quoad fidei suae puritatem, animique candorem, rerumque ecclesiasticarum peritiam comprobandum sit, valde valde profecerimus in Origenis apologia, nolo ideo neminem ignorare, Hieronymum cum Ruffino disputantem, in dubium revocasse Apologeticum eo usque s. Pamphilo inscriptum (et ubi, ut vidimus, de omnibus triumphavit insimulationibus Origenes) totumque hoc opus adjudicasse Eusebio et quidem veluti Arii sectatori. Quare omissis modo, quae postremam spectant accusationem in Eusebium, alteram liceat nobis Hieronymi opinionem expendere.

Ac primum sciendum est, universim in Ecclesia et ab ipso Hieronymo creditum fuisse s. Pamphilum hujus Apologiae auctorem, quem ideo summa adfecit veneratione; uti eruitur e c. LXXV. *De Viris illustribus:* in quo haec tradit de eodem: « Pamphilus presbyter, Ecclesiae caesariensis episcopi Eusebii necessarius, tanto Bibliothecae divinae amore flagrabat, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit: quae usque hodie in caesariensi Bibliotheca habentur. Sed et in duodecim prophetas viginti quinque *Exegeseos* Origenis volumina manu ejus exarata reperi; quae tanto amplector et servo gaudio, ut Croesi opes habere me credam. Si enim laetitia est, unam epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, quae mihi videntur sui sanguinis signasse vestigiis. *Scripsit, antequam Eusebius caesariensis scriberet, Apologeticum pro Origene.* Et passus est etc. »

Et sane Ruffinus in Praefatione hujus Apologetici ad Macarium, ex traditione asseverat, Pamphilum hoc opus compegisse. Et sic ab eodem titulo et expositione ubique apparet s. Martyr; ac ambo Origenes et Pamphilus repraesentantur ceu interlocutores ulla absque Eusebii mentione. Ac tandem in Epilogo translationis scribit: « In his, quae superiori libro secundum Apologeticum sancti martyris Pamphili, quem pro Origene graeco sermone edidit, prout potuimus, vel res poposcit, latino sermone digessimus etc. »

Photius porro praeclarius hoc testatur in Codice 118. his verbis: « Lecti sunt Pamphili martyris et Eusebii pro Origene libri sex, quorum quinque sunt a Pamphilo in carcere, praesente etiam Eusebio, elaborati. Sextus vero postquam jam Martyr ferro privatus vita, ad unice desideratum Deum migrarat, ab Eusebio est absolutus. *Et paucis interjectis.* Ejus porro Apologiam, ut diximus Pamphilus una cum Eusebio, communi carcere inclusi conscripserunt, eamdemque ad eos, qui pro Christi nomine ad metalla damnati exercebantur, consolationi miserunt; quorum princeps erat Patermuthius, qui post Pamphili etc. »

His non obstantibus testimoniis, Hieronymus in Ruffinum dimicans, adversus ea, quae antea statuerat, absolute et seor-

sim a s. Martyre; Eusebio adscripsit Apologeticum, has proferens rationes in Libro I. n. 9: « Non reor te ignorasse Eusebii Syntagma, et Pamphilum martyrem nihil omnino operis condidisse. Ipse enim Eusebius amator, et praeco et contubernalis Pamphili, tres libros scripsit elegantissimos, vitam Pamphili continentes. In quibus, quum cetera miris laudibus praedicaret, humilitatemque ejus ferret in coelum, etiam hoc in tertio Libro addidit: *Quis studiosorum amicus non fuit Pamphili? Siquos videbat ad victum necessariis indigere, praebebat larga quae poterat. Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum, sed ad habendum tribuebat promtissime: nec solum viris, sed et foeminis, quas vidisset lectioni deditas. Unde et multos codices praeparabat, ut quum necessitas poposcisset, volentibus largiretur. Et ipse quidem proprii operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos forte mittebat: in tantum se humilitate dejecerat. Veterum autem scriptorum tractatus legebat studiosissime; et in eorum meditatione jugiter versabatur.* »

Hujuscemodi Hieronymi testimonium, quo Pamphilus excluditur a compilatione Apologetici, cum tamen fateatur s. Doctor, eumdem martyrem epistolas exarasse, parum videtur accommodatum. Nam et istud Apologiae opus, epistolae instar, missum fuit ad Confessores metallis Palaestinae damnatos. Sed transeat Hieronymi conclusio: attamen, nisi Pamphili calamus exaravit Apologeticum, sed Eusebius, nemo inficiabitur, docente, sive dictante Pamphilo, Eusebium scripsisse; ac ceu discipulum magistri sectatorem, de s. Martyris ore verba suscepisse, ejusque exposuisse sensus, posteritati mandandos. Quamobrem jure pro Origene Apologeticus ab antiquitate Martyri inscriptus est.

Id autem quam vere statuendum sit, ab ipso Eusebio discitur; qui pluries in Historia Ecclesiastica tanti viri mentionem egit. Ipse namque in Libro VI. c. XXV. de Operibus disserens Origenis, inquit: « Iam a nobis praestitum est in Libro, quem de Pamphili, qui nostrae aetatis presbyter idem ac martyr fuit, vita conscripsimus. Ubi cum probare vellemus quantum Pamphili studium erga divinas Scripturas fuerit, indices librorum tum Origenis, tum aliorum

Ecclesiae scriptorum, quos ille (Pamphilus) undecumque collegerat, exhibuimus. » Et in capite sequenti iterat Historicus : « Sed et alia de Origene quamplurima tradita sunt memoriae a senioribus nostrae aetatis presbyteris : quae quoniam ad praesentis Operis institutum nihil faciunt, omittenda esse duxi. Quaecumque vero necesse est de illo cognoscere, ea peti possunt ex Apologetico, quem nos et sacrosanctus martyr Pamphilus propter malevolos quosdam accusatores συμπονήσαντες ἀλλήλοις communi studio atque opera junctim elaboravimus. » Unde liquet utrumque operam Apologetico impendisse; ac nisi velis quinque priorum librorum auctorem et scriptorem Pamphilum; saltem Martyrem habebis tum operis promotorem, tum animadversionum concinnatorem; qui sane Eusebio ob aetatem, scientiam ac sanctitatem praecellebat; et a quo verosimilius Eusebius mutuatus esse potissimum videtur quae de Origene scripsit. Et hinc aequissime ait Photius in loco citato, quinque libros pro Origene a Pamphilo in carcere, praesente etiam Eusebio, fuisse elaboratos.

Haec porro perspicue ab ipso Eusebio firmantur in Libro VII. c. XXVI. ubi denuo Pamphilum extollit: « In Caesarea, inquiens, supra omnes tunc ibidem versatos maximae admirationi fuit ob scholam ibi institutam, et ob eximias ipsius virtutes. » Cui testimonio Valesius apud eumdem Historicum in capite XI. *De Martyribus* alterum adjecit desumptum ex Actis martyrii ipsius Pamphili : quo Eusebius hunc vocat dominum suum, divinum et beatissimum virum et Ecclesiae Caesareae ornamentum inter ceteros emicans : « Veluti quoddam in die resplendens luminare in astris fulgentibus in medio eorum (martyrum) fulgebat meus dominus. Non est enim mihi fas aliter appellare divinum et plane beatissimum Pamphilum. Is enim et eruditionem, quae habetur apud graecos in admiratione, non modice attigerat, et in divinorum dogmatum et divinitus inspiratarum Scripturarum eruditione, siquid audacius, sed verum dicendum est, ita erat exercitatus, ut nullus aeque ex iis, qui erant suo tempore. Quod autem erat his longe majus, et praestantius habebat donum, nempe domi natam, vel potius a Deo datam, intelligentiam et sapientiam. »

E quibus infertur quoad Pamphilum sive praecipuum Apologetici auctorem, et Eusebium veluti ipsius auditorem vel amanuensem, sive, et id majus est, quoad sui animi dotes singulares, sincerum ipsum haberi, accuratum et studiosum investigatorem, et interpretem librorum Origenis: ac ideo, cum in hoc Apologetici opere asseveret ipse, Origenem immunem ivisse ab erroribus, ac inter viros catholicos censeri, suosque adversarios aut ignorantia, aut invidia, aut veritatis odio nomen illius frustra conatos tenebris involvere, nobis luculentum ac stabile praebet testimonium de Origenis ejusdem sensuum integritate, deque in omnibus suis tractatibus erga dogma catholicum observantia.

Sed et amplius ex his circa studium Pamphili et Eusebii in codicibus origenianis, si admittenda essent quae posteri de Origenis blasphemiis, haeresibus, aliisve extravagantiis arbitrati sunt, hoc inferendum jure foret, ambos fuisse Pamphilum et Eusebium aut ignaros, aut mentitores, aut impios. Aut ignaros quidem, quum origeniana scripta discurrentes aut transcribentes, verum a falso secernere nequiverint. Istud autem probatu nimis est arduum. Tam infirmae mentis, ingeniique obtusos et Pamphilum et Eusebium nefas est putare viros. Aut mentitores, cum dicta blasphema et haeretica, et commentitia legentes in Operibus Origenis, asseruerint, nihil horum reperiri in codicibus graecanicis Auctoris: quinimmo omnia putarint universim recte discussa, apostolicae accommodari traditioni. Quod judicium de tantis viris penitus sanae menti resistit. Aut impios, cum singulas adversus Deum Patrem, et Unigenitum ejus Filium et Spiritum Sanctum suppositas blasphemias, librisque insertas Origenis, non solum non refellerint, sed tanquam probe excogitatas probaverint. Quae omnia sedulo scrutatori expendenda relinquo, num Pamphilus et Eusebius tales fuerint, ut tam impia dogmata profiterentur. Ac nisi liceat hoc de utroque putari; fatendum nobis erit, nihil in Origenis libris reperiri reprehensione dignum. Profecto s. Martyr animo non adeo prompto alacrique Adamantii scripta complexus esset, nec unquam comprobasset, nec coram fidelibus vindicasset, si mendis scatuissent, de quibus insimulabatur.

CAPUT VI.

Praefata argumenta pro Eusebio Caesariensi episcopo novis decorantur testimoniis, quibuscum oblique nostrum de Origene invalescit propositum.

Cum autem in hoc loco plura pro s. Pamphilo congessi, quae oblique pro Origene faciunt, nolo et Eusebium praeterire; ejusque sinceram de Trinitate fidem coram Hieronymo vindicare; quod similiter Origeni proficiet; et praesertim ob Hieronymi dictum adversus Ruffinum in Libro II. n. 15. ubi Eusebium vocat *arianorum principem*. Socrates in Libro I. Histor. Eccles. c. VIII. de fidei formula in nicaena Synodo subscripta ab ipso Eusebio, inquit: « Tunc vero Eusebius is, qui cognomentum Pamphili sortitus est, Caesareae Palaestinae sacerdotium gerens, cum in Synodo paulum haesitasset, secumque expendisset, utrum admittenda esset fidei formula, tandem et ipse una cum reliquis assensus est, et subscripsit. Et Caesariensibus suis conscriptam fidei formulam misit, vocem *consubstantialis* interpretatus, nequis sinistrum quidquam de ipso suspicaretur eo quod aliquantulum substitisset. Porro quae ab Eusebio scripta sunt, sic se habent. » Gravissimi sane momenti adversus Hieronymum ista habetur Eusebii obtestatio.

Item in Libro II. c. XVII. ejusdem apologiam contexit Socrates ob ea, quae scripsit adversus Marcellum: « Nos autem, inquit, eadem citavimus, ut illis, qui ei temere obtrectare, contumelioseque detrahere laborarint, responsum sit. Nam non possunt ostendere Eusebium, licet vocabula *dispensationis* in ejus libris usurpata reperiant, Filio Dei initium essentiae tribuisse: praesertim cum librorum Origenis et aemulus et admirator extiterit: in quibus illi, qui abstrusum et reconditum librorum Origenis sensum, eruere potuerint, passim scriptum invenient, Filium ex Patre genitum fuisse. Et ad ista quidem nostra deflexit oratio, ut Eusebii obtrectatoribus responderemus. »

Hieronymus vero, qui Eusebium caesariensem vocavit *arianorum principem,* illusus videtur ab Arii epistola ad Eusebium nicomediensem, ut testis est citatus Socrates Lib. I. c. V. Hist. Eccles. in qua Arius gloriatur suae opinionis habere fautores Eusebium episcopum Caesareae, Theodotum Laodiceae, et Paulinum Tyri. Quos tamen Valesius ibidem in notis, non fuisse dicit ab Alexandro anathematizatos; ac praesertim Eusebius, qui etsi dubius, ut vidimus, in primis, nihilominus paulo post in se factus, fidei nicaenae subscripsit et amplexatus est perpetuo.

Quod autem dicit s. Hieronymus de Eusebio hoc repetendum est ab arianis ipsis, (ut testis est s. Athanasius in Epistola *De Synodis* n. 16.) qui suae impietatis investigantes patronos inter Ecclesiae Patres, hunc Eusebium invocarunt, asserentes ipsum litteras dedisse Euphrationi Balaneae episcopo, ubi docebat *Christum non esse verum Deum.* De quibus tamen infra disputabitur. Item ex ejusdem Athanasii Epistola *De Decretis Synodi nicaenae* n. 3. eruitur Arii patronos, in quibus Acacium, contendere Eusebium caesariensem metu subscripsisse synodali Sanctioni.

Quapropter ne imminuatur Socratis auctoritas ob ea quae testatus est de Eusebio, ac simul ne etiam oblique nostrum infirmetur propositum de Origene, testis subeat praefatus s. Athanasius, sincerus vir, aetate propinquior, et peritior rerum, quae gestae sunt in Eusebii causa. Hujus enim partes suscepit scribens ad episcopos afros *de Filio Patri consubstantiali,* n. 6. inquit: « Episcopi vero (nicaeni) nequaquam voces illas excogitarint; sed Patrum testimonio freti ita scripserunt. Siquidem prisci episcopi ante annos prope centum triginta cum magnae Romae, tum etiam nostrae urbis, scriptis suis eos culpaverunt, qui Filium rem factam et Patri non consubstantialem dicerent. Cujus rei non ignarus Eusebius Caesareae olim episcopus, qui, cum prius arianae haeresi suffragaretur, postea nicaenae Synodo subscripsit, in litteris ad suos missis haec affirmavit. Ex antiquis quosdam eruditos clarosque episcopos, atque scriptores scimus circa Patris et Filii divinitatem, *homousiu* consubstantialis nomine usos. » Ex his interim statuitur usus vocabuli *homousion*

ex Eusebii fide: sicuti amplius ante Concilii nicaeni aevum probatur, Patres scriptoresque ecclesiasticos in quibus Origenem, hoc praetulisse vocabulum, ita ut Socratis firmetur testimonium.

Verum hujus rei argumentum validum ab ipsa fidei professione eruendum est, quam Caesareae Episcopus misit ad paroeciae suae homines, et ab eodem Athanasio citatam adversus ipsius Eusebii accusatores. Ita namque s. Athanasius *De decretis fidei nicaenae* n. 3. ait « Immo quod mirum est, ipse Eusebius Caesareae in Palaestina episcopus, qui pridie restiterat, postea subscripsit, et hanc Ecclesiae fidem et Patrum traditionem esse, missis ad suam ecclesiam litteris, significavit, omnibusque aperte declaravit illos prius errasse frustraque adversus veritatem contendisse. Licet enim tunc eum his vocibus uti puduerit, atque ut voluit, ipse se Ecclesiae excusaverit; tamen cum in epistola vocis *homousion consubstantiale* et ex *husia substantia* non repudiaverit, illud certe quod diximus, palam voluit vindicare.

« Ea autem in re grave quiddam ei accidit. Nam cum se veluti purgaret, Arianos demum accusavit, quod cum scriberet, Filium non fuisse antequam genitus esset, illum nec antequam in carne nasceretur extitisse, voluerint. Quod sane non potest ignorare Acacius, nisi et ipse nunc praesentis temporis, factum prae metu dissimulet, veritatemque neget. Itaque in fine subjeci Eusebii epistolam, ut Christi hostium ac insignem praecipue Acacii in suos magistros perfidiam ex eo liquido cognoscas. »

Et hoc exemplar litterarum, quas ad suae Paroeciae homines misit Eusebius caesariensis de sua fide: « Quae de fide ecclesiastica in magna Synodo Nicaeae congregata, acta sunt, verisimile est vos, dilecti, aliunde quoque didicisse, cum soleat fama accuratam rerum narrationem praecurrere. Verum ne hujusmodi rumore res aliter vobis narretur ac revera se habet, necesse esse duximus ad vos primum quidem illam fidei formulam mittere, quae a nobis proposita est, deinde alteram, quam (nonnullis additis ad nostra verba) ediderunt. Itaque noster libellus, qui praesente Imperatore nostro piissimo lectus, rectus et approbatione esse dignus est

declaratus, hujusmodi est. Quemadmodum accepimus ab episcopis, qui nos antecesserunt, nec non in prima catechesi et cum acciperemus lavacra; quemadmodum item ex divinis didicimus Scripturis, ac cum in presbyterio, tum in ipso episcopatu credidimus et docuimus; sic etiam nunc credentes, fidem nostram vobis offerimus, quae sic se habet.

« Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium visibilium et invisibilium effectorem, et in unum Dominum Jesum Christum, Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen ex lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturae, ante omnia saecula ex Patre genitum, per quem et omnia facta sunt......... Credimus quoque in unum Spiritum Sanctum, horumque quemlibet esse et existere credimus Patrem vere Patrem, et Filium vere Filium, et Spiritum Sanctum, vere Spiritum Sanctum, et ut Dominus noster cum suos discipulos ad praedicandum mitteret, ait: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* De quibus etiam asseveramus nos ita sentire ac antea sensisse, et usque ad mortem fidem istam propugnaturos. Anathemate insuper percutimus omnem impiam haeresim. Haec ex corde et animo semper sensisse, ex quo nosmetipsos cognoscimus, atque nunc ex veritate sentire et dicere coram Deo omnipotente et Domino nostro Jesu Christo testamur, possumusque argumentis vobis ostendere et persuadere nos etiam praeteritis temporibus ita credidisse et docuisse.

« Hac a nobis exposita fide, nulli erat contradicendi locus, sed primus ipse piissimus noster Imperator rectissima esse, quae illa continebat, testatus est: sicque se quoque sentire confessus est, atque omnes est cohortatus, ut hanc amplecterentur fidem, hisque subscriberent et assentirent doctrinis, una tantum adjecta voce· ὁμοούσιον *consubstantiale,* quam eamdem ipse est interpretatus; nempe non secundum corporum affectiones hanc vocem *consubstantiale* esse intelligendam; neque igitur divisione aliqua neque abscissione Filium ex Patre existere; nec enim fieri posse, ut natura intelligens et incorporea, et materiae expers, corporeae alicui affectioni subjiciatur, sed res ejusmodi nonnisi divinis atque inexplicabilibus rationibus esse concipiendas. »

Deinde n. 5. se referens ad Acta Synodi ob vocabulum *homousion* et similia, addit Eusebius: « Hac itaque ab illis (Patribus) edita formula noluimus assentiri, nisi postquam diligenter ab ipsis inquisivimus, quonam modo dixissent Filium ex substantia Patris, et Patri consubstantialem esse. Hinc ergo motae sunt quaestiones et responsiones; quisque illorum verborum sensus esset, ratione est examinatum. Itaque inter eos convenit ista dictione *ex substantia* significari, Filium esse quidem ex Patre, non tamen velut partem Patris existere. Quam sane sententiam nobis rectum visum est amplecti utpote consentaneam piae doctrinae: qua nimirum declaratur Filium ex Patre quidem esse, non tamen partem ejus substantiae existere. Quocirca nobis quoque placitum est ut sententiam istam approbaremus. Neque etiam *consubstantialis* vocem repudiaverimus, cum propter pacis bonum, quod nobis ante oculos potissimum versabatur, tum ne a recta decideremus sententia. »

Paulo post n. 11. addit: « Haec ad vos scribere necessarium duximus, ut vobis pateret quam maturo judicio cuncta ponderaverimus et comprobaverimus, quamque convenienter ad extremam usque horam restiterimus: quamdiu scilicet nobis displicuerunt, quae diverse a nostra formula videbantur proponi; tunc autem absque ulla contentione eas voces, quae nihil incommodi haberent, fuisse amplexos, cum nobis sincero et aequo animo quid significarent, expendentibus, visum est nihil nisi simile esse his, quae nos ipsi in fide prius exposita confessi fueramus. » Attamen ipsius adversarii non destiterunt et adhuc non desistunt ex allato fortasse s. Hieronymi testimonio de sincera Eusebii professione secundum fidem nicaenam dubitare. Et nonnulli et hoc praesumpsere ex eisdem suae professionis verbis n. 9. ubi haec ait: *Ετι μὲν τοῦ ἀναθεματίζεσθαι: τὸ, πρὸ τοῦ γεννηθῆναι ὀυκ ἦν, ὀυκ ἄτοπον ἐνομίσθη τῷ παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι τὸ εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως.* i. e. adhuc quidem anathematizari *antequam genitus esset*, *non erat*, non absurdum existimatum est, omnes confiteri, Filium Dei esse priusquam secundum carnem gigneretur.

Antea nullimode inficiandum dicit Athanasius in Epistola de Synodis Arimini etc. n. 17. Eusebium Pamphilum una cum quibusdam episcopis, inter quos Eusebium nicomediensem, antequam adunaretur Synodus, arianorum similia scripsisse : « Quorum Eusebius nicomediensis eo progressus, ut haec Ario scripserit: *cum recte sentias, precare, ut omnes sentiant ita. Manifestum enim est omnibus illud, quod factum est, non fuisse antequam fieret. Quod autem factum est, incipit esse.* Eusebius vero caesariensis Palaestinae ad Euphrationem scribens Balaneae episcopum, non timuit aperte dicere : *Christum non esse verum Deum.* » Tamen subdit idem Athanasius, Eusebium de quaestionis statu conscium fidei nicaenae subscripsisse, nec amplius videtur, ipse Athanasius de illius professione dubitasse, cum ceteris ipsam commendasset veluti hujus rei testimonium coram ecclesiis: nec alicunde eruitur ipsum hanc retractasse confessionem. Adeo ut, si quaedam ipsius testimonia citentur huic fidei contraria, vel falsa tenenda sint, sive ad aetatem Synodo praeviam referenda; vel fortasse referenda ad Eusebium nicomediensem, qui ab initio quaestionis cum Ario conveniens in haeresi mansit, fide nicaena contempta; et cum suis quamdam arianorum sectam constituit, cujus princeps dicebatur; quemadmodum saepius s. Athanasius testatur in sûis scriptis. Et hinc fortasse iniisse confusio videtur nominum, et inscriptum a Hieronymo Eusebio caesariensi, quod jure debebatur Eusebio nicomediensi ariano et hujus sectae principi post Arium.

Alioquin, si Eusebius subdolam emisisset confessionem; et in citatis suis verbis quidquam abscondisset contrarium decreto nicaeno, non effugisset profecto ceteros arianos, quibuscum sentire videbatur. Nihilominus, teste Athanasio in citata epistola *de Synodis* n. 13. Acacius exprobravit Eusebio, quod subscripserit fidei nicaenae: « Quaenam fides, inquit, eorum actis, si majorum solvantur acta? Aut cur Patres vocant eos, quibus illi successere: quorum tamen sententiam criminantur? Praesertim Acacius, quidnam de magistro suo Eusebio dixerit: qui non modo nicaenae Synodo subscripsit, sed per epistolam plebi suae significavit, hanc

esse veram fidem, quae in nicaena Synodo declarata esset? Etenim licet arbitrio suo se se per epistolam excusavit, verba tamen non negavit, sed accusavit arianos dicentes: *non erat priusquam gigneretur Filius;* neque ante Mariam illum volebant esse etc. »

Verum non est hic immorandum: adhuc Eusebii fides valde manifestatur in *Confutatione Marcelli ancyratae* ob multas impietates, quas de divinae Trinitatis mysterio confixit. In qua porro disputatione non Eusebii tantum probatur fides sincera; sed et Origenes citatur non ut haereticus, sed ut orthodoxus: adeo ut in primis Eusebius et Origenes mutuam operam impendant pro suae fidei integritate ac simul per scripta sua pugnent contra Marcellum haereticum. Qui propterea adversus Origenis dogmata quippe suae doctrinae pravitati contraria studiose instat convellendi causa. Quod quidem proposito nostro valde proficit; eoque magis cum Marcellus ipse dicat, se ejusdem Adamantii legisse Libros *De Principiis*. Ubi etsi varii generis absurda de Trinitate, Origenis hostibus visum sit congesta fuisse, attamen Marcellus, quamvis falsitatum studiosus contra sinceram apostolorum traditionem, nullum ex libris Origenianis neque delegit, nec citavit dictum, quod assertionum suarum falsitati prodesset; etsi, inquam, plures ille Marcellus concinnarit falsitates de Deo, deque ipsius Verbo: quibus sane falsitatibus praefati *Periarchon* libri munimen contulissent, ibi admissis praesumptis erroribus. Quapropter cum Marcellus non solum de suppositis Origenis blasphemiis nihil in suos libros traduxerit, quinimmo et ipsi Origeni exprobrarit, quod contra se venisset, secundam hypostasim Verbi constituens, concludendum est, in genuinis his scriptis haud ea sphalmata inserta fuisse, de quibus postea accusatus fuit Adamantius. Ast ad majorem rei perspicuitatem, et Marcelli et Eusebii sensus peculiari studio expendantur.

Eusebius interim in Libro I. c. IV. adversus eumdem disserens, convitia ipsius censet contra Unigenitum et dilectum Dei Filium. Et ob hoc ait, ipsum sanctos Ecclesiae Patres injuriis oppetere, nimirum Paulinum episcopum Antiochenum: « Indicit bellum Origeni, armatur in Narcissum; ad-

huc alterum persequitur Eusebium; et verbo dicam, Ecclesiae Patres omnes nihil facit. » Et paulo post subdit: « Vult enim (Marcellus) Christum agnoscendum esse nudum verbum et humano consimillimum, non autem Filium esse Dei vivum et subsistentem. »

His autem et similibus assertionibus respondens Eusebius, falsaque convincens, quae Marcellus accusat in scriptoribus coaevis, subdit: « Cum vero ab illo dictum sit, hanc haeresim nunc temporis excogitatam fuisse, ostendendum est, Origenis ejusdem, qui vixit antiquitus, mentionem ab eo fieri, tanquam haec cogitantis, cum illis, quibus nunc calumniatur. Ego autem scriptis ecclesiasticis quamplurimis perlectis, et aevo Origenis antiquioribus elaboratis, et epistolis diversis synodorum et episcoporum nomine scriptis, in illis singulis eumdem fidei characterem per omnia deprehendi; ut necesse sit, illum parum secundum veritatem hanc instituisse accusationem, *nuperrime*, idest, *istam haeresim adinventam.* » In his porro inspicias et Eusebii ,et Marcelli studium erga Adamantii scripta et fidem; quum Marcellus insuper inter eos censeat, qui sibi adversabantur, Origenem una cum ceteris Ecclesiae viris sanctis, eamdemque fidem professum, et in haereses pariter dimicantem, quarum putatur reus, quemadmodum superius dictum est.

Nihilominus paulo post in eo Libro I. addit Eusebius, quaedam a libris Origenis excerpsisse Marcellum veluti suis assertionibus consona. Contra quae venit ipse inquiens: « Sed extremum velut qui coronidem apponeret demonstrationi, de dictis origenianis nonnulla subscripsit (Marcellus) suae epistolae, quasi plus illa possent, quam evangelistae et apostoli. Verba autem ita se habent: *Tempus est autem ut pauca de praetermissis attexamus, quae ad Patrem spectant, Filium et Spiritum Sanctum. De Patre haec, quod indivisibilis cum existat, nec dividendus, Filii tamen Pater sit, non emittens illum, ut non nemo voluit. Nam si Filius Patris sui sit emissio; et si illum de seipso genuit ad eum modum, quo de se animalia gignunt, necesse est ut corpus ille sit, qui emittit, tum etiam et ille, qui emittitur.* Tum postquam de origenianis ista quaedam interseruerat infert ad hunc modum. *Scripsit Origenes,*

a sanctis prophetis et apostolis, de aeternitate Verbi cupiens edoceri; sed cum plus nimio indulgeret, ausus est secundam hypostasim Verbi constituere. Ita, sequitur Eusebius, illisce, quae rectissime ab Origene dicta sunt, non licere scilicet corporalem quamdam et passivam generationem divinitatis Filii Dei comminisci, per ista contradicit, et in primis quod hypostasim concesserit Filio. »

Cum itaque Marcellus ex Libro IV. n. 28. *Periarchon* exprobret Origeni, quod Filii aeternitatem cum Patre docuisset, ac ipsius Filii distinctam hypostasim, consequitur primo, Ruffini versionem graeco originali consonare, cum istius translatio nisi verbotenus, in sensu saltem textui graeco citato a Marcello conveniat: secundo Origenem recta sentire cum Ecclesia Catholica contra ejusdem Marcelli haeretici mentem: tertio non adeo in Origenem prorupisse Marcellum, si impia dogmata in libris origenianis *Periarchon* inserta, sinceros haberentur Auctoris foetus.

Sed audiamus quae ulterius ex eodem et in eumdem Origenem scribebat Episcopus ancyranus juxta quae tradit Eusebius: « Addit (Marcellus) Origenem maledictis impetens, et recte ab isto positis contradicens: *Origenes*, inquit, *scriptis suis mandat; propriis suis assertionibus utitur. Id liquet autem, quod non una tantum vice sua ipsius subvertit asserta recta. Consequens autem est, illa hic ideo commemorare, quae alibi de Deo dicit*: Ad haec autem verba scribit Origenes: *Non enim incepit esse Pater Deus eo quod, ut inter homines fieri solet, Pater esse nequiverat. Nam si semper perfectus extiterat Deus et potestate praeditus, ut fiat Pater, ac bonum est, illum esse Patrem talis Filii, dum rem differt, ex quo Filii potest esse Pater, seipsum tanto bono privat Idem etiam dicendum est de Spiritu Sancto.* Ex libro I. ejusdem Operis c. IV.

« Quomodo ergo (subdit Eusebius) cum ea scripserit Origenes, beatus Paulinus juxta eum existimavit, non esse quidem in tutum hoc occultare; ad suas tamen opiniones confirmandas usus fuerit contrariis, de quibus ne Origenes quidem, si fieri posset. Mentitus est autem in his Marcellus de Origene, quasi contraria tueretur, cum non intelligat, illum per priorem suam propositionem docuisse Patrem sine cor-

pore et omni passione extare; per secundo loco positum Filium suum, non in tempore quidem, sed ante secula omnia Filium progenuisse. »

Postea de Origene eodem ait Marcellus, ipsum recenter divertentem a scholis philosophicis, litteris divinis se applicuisse; ac per philosophiam seductum, quaedam minus recte scripsisse. Ex. g. Platonicorum dogmatum memor, et *Principiorum* quae diversa sunt apud illum, Librum edidit *De Principiis*: « Quae quidem inscriptio argumento esse poterit non vulgari, non aliunde eum nimirum, quam a Platone, ea omnia mutuatum etc. » Cui Eusebius respondens : « Nullus liber, ait, a Platone scriptus hoc titulo *Periarchon* memoratur; nec ut Plato Origenes *De Principiis* sentiebat, qui Principium unicum *ἀγέννητον* ingenitum et sine principio super omnia cum agnoscat, eum ipsum statuit esse Patrem unius unigeniti Filii, per quem omnia facta sunt. »

Cum ergo Marcellus ad propugnandam Sabellii haeresim, in Ecclesiae Patres sicuti et in Origenem dimicaret; ac de hoc novissimo (quippe in suis institutionibus sibi adversarium expertus) nihil nisi falsa contra eumdem commentatus sit, ut ipsius convelleret auctoritatem, mihi videretur, ipsi Marcello de scriptis Origenis disserenti, aliter consilium suum ineundum fuisse: ac pro se suisque pravis opinionibus munimen super citatum opus *De Principiis* extruere contra Catholicos, Origenem impietatum suarum vindicem advocando (de quibus postea Theophilus, Hieronymus, et Epiphanius admodum offensi sunt, ac anathemate contuderunt) si revera codices graeci *Periarchon*, quos Marcellus consuluit, hujusmodi scatuissent erroribus. In quo valde insto tanquam de re compertissima, nec Origenem scriptis suis hujusmodi blasphemias, de quibus culpatur, mandasse; nec ideo Marcellum consequenter in codicibus origenianis legisse talia.

Et quomodo Marcellus tam studiose Origenis scripta et specialim *Periarchon* refutasset, quum similia docuisset Origenes juxta Hieronymi exemplaria, dum ait, dico, Marcellus: *non esse, priusquam extaret homo, Filium Dei, nec per aeternitatem perseverantem: finem habiturum Christi regnum in consummatione seculi*: ceterasque adnectens vagas

et falsas locutiones? Quarum adstruendarum causa non ei defuisset ex pluribus erratis, de quibus accusatur Adamantius, quaedam uti sibi convenientia testimonia, citare, si istius codices genuini talia ei praestitissent fulcimenta? Hinc concludendum rursus est tum ex Eusebio, tum ex ipso Marcello sabelliano, librorum Origenis exemplaria, et maxime quae *De Principiis* versabantur, non ea prava dogmata continere, quae in codicibus deinde Theophili et Hieronymi fallaci calamo interpolatis, legebantur.

Post haec, posita Eusebii confessione erga Jesu Christi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem; cumque in hujus confessionis testimonium pateat confutatio, ab eo exacta, impiae Marcelli doctrinae, neminem fore puto, qui Eusebium audeat principem vocare arianorum. Ac insuper, huc quaestione principali revocata de Origenis doctrina, quam tantopere vindicavit Eusebius, praesertim inspecto Trinitatis mysterio, in quo uterque et Origenes et Eusebius incusantur ab Hieronymo, admodum profecimus in propositum, ita ut pateflat utriusque de eo concordia in fide orthodoxa, ac una adversariorum illusio.

Nimis enim aperta, sicuti praemisi, coram omnibus stat Eusebii Pamphili doctrina de Verbi divinitate et consubstantialitate; adeo ut, si quandoque ab initio dubitaverit, ob quasdam causas, uti fatetur; in posterum nihilominus, dissipatis dubiis, fidei nicaenae subscripserit, ac in ea perpetuo manserit. Nequaquam vero aliquis putet, Eusebium a principio huic dogmati restitisse, quasi Origenes suae suffragaretur illusioni. Hoc autem in omnibus falsissimum est. Adamantii enim fides de Jesu divinitate ejusque cum Patre consubstantialitate, sicuti de Trinitate, ubique fulget. Unde jure tenendum esset Eusebium, ab orthodoxa Origenis fide de hoc mysterio sive de Verbi consubstantialitate, facilius et alacrius subscripsisse Synodo nicaenae, ob oculos potissimum habentem, quae s. Pamphilus scripsit in ejusdem Origenis Apologetico.

Hinc summatim instauratis hucusque discussis de Eusebii fide circa Christi divinitatem hinc inde e suis scriptis erutis, comprehenditur ipsum, quam maxime instare pro sen-

sus sui uniformitate erga Christum Deum non solum post definitionem Synodi, sed et antea eamdem propugnasse fidem: « Haec ex corde, inquit in sua professione, et animo semper sensisse, ex quo nosmetipsos cognoscimus.... Possumusque argumentis vobis ostendere et persuadere, nos etiam praeteritis temporibus ita credidisse et docuisse. » Deinde ab eo suscepto vocabulo *homousion consubstantiale*, addit, idcirco illud suscepisse, ex quo: « Visum est nihil, nisi simile esse his, quae nos ipsi in fide prius exposita confessi fueramus. »

E quibus manifeste patet, Eusebium ante Synodum nequaquam Christi divinitatem et unam et eamdem cum Patre substantiam negasse: verum potius videtur dubitasse vel contendisse circa vocabulorum usum, significationem sive analogiam relate ad notionem et expressionem hujus inenarrabilis mysterii; in quo verba semper minus dicunt, quam postulat res definita. Quibus vero discussis, convenientique illustratis interpretatione, ut ipse ait, accepit, probavitque. Propterea in cunctis, quae ante Synodum dixit vel scripsit, nullimode putandum est (uti praetenditur ab adversariis) Eusebium docuisse, *Christum non esse verum Deum*. Aliter in suae fidei programmate mentitus esset. Et ob hoc Gelasius Cyzicenus de Synodo nicaena c. I. inquit: « Nemo porro existimet ex his, quae de illo (Eusebio) circumferuntur, virum hunc in Arii impietatem unquam concessisse: sed credat, si quaepiam protulit, aut scripsit, Arii dogma tantillum subolentia, ea non ex impio illius sensu protulisse unquam, vel scripsisse, sed ex minus curiosa parumque sollicita simplicitate: uti ipse in Libro apologetico, quem ad orthodoxos omnes episcopos misit, plenius approbavit. »

Ideoque contra hanc assertionem haud facit, quod paulo ante (pag. 60.) ex epistola s. Athanasii *de Synodis* n. 17. notatum est: ubi dicitur Eusebius Caesareae ad Euphrationem scripsisse: *Christum non esse verum Deum*. Haec autem blasphemia inter calumniosas imputationes committenda est, vel ab ipsis arianis super hanc Eusebii epistolam extructa ex proprio ingenio expositam et corruptam; vel uti glossa quaedam reputanda est postea ab aliquo amanuensi ariano intrusa in textum genuinum Athanasii. Quomodocumque sit, pa-

tet quod ipse Athanasius paulo post n. 18. dicit, se illas arianorum epistolas tam Eusebii nicomediensis, tam hujus Caesareae, tum aliorum penes se non habere: « Porro, ait, epistolas illorum penes me non habeo; alioquin earum exemplaria vobis misissem: missurus sane si, Deo volente, nactus fuero. »

Suspicio vero de falsatione vel intrusione hujus Eusebii epistolae augescit ex contextu: ubi s. Athanasius peculiari nuncupatione nomina eorum citat, qui priusquam Synodus adunaretur, Ario adhaerebant. Scribit enim: « Antequam vero nicaena Synodus celebraretur eorum (arianorum) similia scripserunt Eusebius, Narcissus, Petrophilus, Maris, Paulinus, Theodotus, et Athanasius Nazarborum. Quorum Eusebius nicomediensis eo progressus est, ut haec Ario scripserit etc. » Deinde citat Eusebii caesariensis epistolam, ac postea aliam Athanasii Nazarborum. Interim observandum est hujus Eusebii caesariensis nullam fieri mentionem distinctam inter praecedentes, quos nominatim ait similia arianorum professos esse. Quum necesse videretur ut antea illum memorasset cum ceteris, ut inde ipsius epistolam citaret in sui sermonis confirmationem. Cujus tamen nomen in praemissis desideratur. Quod insuper ex consequentibus roboratur n. 18: « Uno verbo illa illi scripsere, quasi singuli certarent atque contenderent, quisnam haereseos impietatem plus augeret, et apertius illam detegeret. » Quae tamen nullo jure putanda sunt de Eusebio Caesareae, qui postquam Synodo subscripsit, coram Ecclesia suae fidei orthodoxae professionem evulgavit, rationemque reddidit, cur antea renuerat cum ceteris episcopis Synodi convenire definitioni. In qua confessione tam firmiter sic se continuit, ut deinde in Libro I. c. I. ex Apostolo ad Galatas Marcellum redarguens, ei dixerit: « Ubi vides, manifeste Servatorem nostrum Filium Dei extitisse, atque adeo fuisse Deum .... Deique Filium extitisse, priusquam huc in carne adveniret. »

Hoc autem amplius constiterit, inita amborum et Origenis et Eusebii collatione in vocabulorum usu, quae talia de Verbo divino exprimebant. In Libro IV. c. III. *Demonstrationis Evangelicae* scribit iste: « Docet Theologia υἱὸν γεννη-

τὸν, οὐ χρόνοις μεν τίσιν ὀυκ ὄντα, ὕστερον δὲ ποτε γεγονότα· ἀλλὰ πρὸ χρόνων ἀιωνίων ὄντα, καὶ πρόοντα, καὶ τῷ πατρὶ ὡς υἱὸν διαπαντὸς συνόντα, Filium genitum non qui a temporibus quibusdam non existeret, ac postea aliquando sit natus: sed qui ante tempora aeterna esset et anteiret; et Patri tanquam Filius perpetuo coexistens. » Idem vero confitetur similibus locutionibus. Ex. g. *ἀυτολόγος, ἀυτοκαλὸς, ἀυτοζῶν, ἀυτοαγαθὸς, ἀυτονοῦς, ἀυτοσοφία, ὄυτος μονογενὴς Θεὸς, ἀυτὸς Θεὸς λόγος, ἀυτοθεὸς.* Quibus omnibus luculenter exprimitur Verbi divina natura et consubstantialitas cum Patre. Adeo ut ex his ultimum vocabulum considerans Valesius in notis Libri X. c. IV. Historiae Eccles. scripserit hoc sufficere ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium nostrum ariani dogmatis labe aspersum fuisse crediderunt. » Porro et ipsamet quidem vocabula occurrunt in Origenis scriptis sive quoad usum sive quoad significationem, uti superius patefactum est: adeo ut liquido constet, ambos coalescere in una eademque fidei professione circa divinae Trinitatis mysterium, sicuti docet, docuitque perpetuo Ecclesia Catholica.

Haec enim in Symbolo dicit: « *Fides autem Catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.* Huic professioni adhaerens Eusebius in Libro XI. *Praeparationis Evangelicae* c. X. scribit: « Quum autem Scriptura hebraeorum cum Patre et Filio Spiritum Sanctum numeret; ac beatissimam, sanctissimamque Trinitatem unum Deum esse significet, quod expressius et Ecclesia sentit et praedicat etc. » Et paulo post adversus platonicos concludit: « Divina vero Scriptura Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum rerum omnium principium esse confirmat. » Et in c. VI. *De Laudibus Constantini*, circa numerum ternarium inquit: « Atque haec mysticae sacrosanctae et regiae Trinitatis imaginem referunt; quae cum in natura consistat experte ortus et principii, omnium, quae ortum habent, substantiarum semina, rationes et causas in se continet. »

Ista sane etsi brevi sed perspicuo exposita sermone, non aliter exprimunt quam Symbolum fidei nicaenae, et quae ante illam Synodum uniformiter confessus est, scriptoque mandavit Origenes. Is enim, praeter ea, quae superius de ipso dicta sunt in Parte secunda, de hoc tractans mysterio, Homilia V. *in Exodum* n. 3. inquit: « Denique cum confitearis unum Deum, eademque confessione Patrem et Filium et Spiritum Sanctum asseras unum Deum, quam tortuosum, quam difficile, quam inextricabile videtur hoc esse infidelibus? Tum deinde cum dicis Dominum majestatis crucifixum et Filium hominis esse, qui descendit de coelis, quam tortuosa haec videntur, et quam difficilia? Qui audit, si non cum fide audiat, dicit quia errant isti. Sed tu fixus esto; nec dubites de hujusmodi fide, sciens quia Deus tibi ostendit hanc fidei viam. » Et paulo post Homilia VI. n. 5. amplissime hoc Trinitatis mysterium ac una tres personas, nullo inter eas cedente discrimine, celebrat, dicens: « Nullus ergo in diis similis Domino: nullus enim invisibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio et sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio et Spiritu Sancto. »

Cum igitur Origenes in eadem fide cum Eusebio conveniat; et Eusebius eadem profiteatur quae Origenes; et cum uterque sive antea, sive post circa hoc dogma Synodo nicaenae consentiat, uti in ipsa definitum est de hoc mysterio, nostrum invalescit propositum; et gladii obtunduntur adversantium in quaestione origeniana.

Postquam vero plura discussimus pro Eusebii orthodoxia, inde quoque revolvenda in Origenis laudem, non sunt praetermittenda veteris Ecclesiae documenta de hujus episcopi sanctitate. In prisco Breviario (testis est Valesius in vita illius) Ecclesiae lemovicensis celebratur memoria s. Eusebii episcopi et confessoris: « Hic cum aliquando ariana haeresi laborasset, ad Synodum nicaenam accedens, Spiritu Sancto inspiratus Patrum sententiam secutus est. Ac deinceps usque ad mortem sanctissime cum orthodoxa fide vixit. » Item in Martyrologiis Usuardi et Notcheri die 21. mensis Junii festum s. Eusebii episcopi et confessoris. Et in quodam antiquissimo codice parisiensi, qui Historiae Ecclesiasticae libros

ab eo elaboratos continet, legitur: « In nomine Dei summi incipit Historia sancti Eusebii episcopi caesariensis. Hos autem praeivit Victorius, qui ex vetustis scriptoribus in Canone Paschali scribit: « Recensitis igitur fidelibus historiis veterum, beati scilicet Eusebii caesariensis Palaestinae civitatis episcopi, viri in prius eruditissimi et doctissimi: » Et Hieronymus ipse, antequam irrumperet in Origenem, *virum admirabilem* vocat Eusebium.

Cunctis pro Eusebio discussis ac una pro Origene, erga quem intendit nostri studii summa, ut quidquam Hieronymi illusioni condonetur, notandum manet, arianos in propriae impietatis suffragium, quomodocumque poterant, patronos quaerere; ita ut, qui vulgo orthodoxi, fideique sincerae putabantur, ab eisdem tamen uti Arii fautores vocarentur. Quod Eusebio accidit et aliis sanctis Ecclesiae viris.



CAPUT VII.

Alexandri alexandrini, Methodii tyrii. Eustathii antiocheni et Didymi alexandrini exploratur sententia circa Origenis doctrinam.

Post haec eodem studio pergentes in veterum Patrum scriptis investigandis de suscepta quaestione speciatim quoad Trinitatis mysterium, ac Verbi divini unam et eamdem cum Patre inseparabilem naturam, aeternitatem etc. adversus praefatorum Scriptorum suppositum, Origeni inscribentium Arianismi fontem, valde nos juvat Epistola synodica Alexandri apud Labbaeum sub an. 321. contra Arium. In hac porro Epistola notatu digna sunt ab eodem Episcopo discussa circa hujus haereseos praecursores; de quibus sic loquitur: « Verum quamvis de hac re multa habeam dicere, carissimi fratres, tamen ea missa propterea facio, quod absurdum putem doctores fidei doctrina consentientes, pluribus admonere; quippe cum sitis et ipsi docti a Deo, et non ignoretis tum Ebionis et Artemae doctrinam, quae non ita pridem verae Ecclesiae pietatem oppugnare caepit; tum pestiferum studium Pauli samosateni episcopi Antiochiae: qui consilio omnium ubique episcoporum, atque adeo judicio ab Ecclesia ejectus est. Cujus perversae doctrinae Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est tantisper, dum tres episcopi alius post alium Ecclesiam illam rexere, exclusus ab ea mansit. Istorum haereticorum impietatis foeces, hi, qui nuper exorti, Filium Dei ex nihilo ortum asserunt, quippe sunt veluti stolones occulti ex illis nascentes animis, hauserunt, Arium dico, Achillam, et reliquam improborum illis adhaerentium turbam .... Nam isti (ariani) ridicularum fabularum inventores asserunt, nos, dum blasphemiam illam impiam, et a nemine unquam litteris proditam, nimirum quae *Christum Filium Dei ex nihilo ortum* praedicat, aversamur, duo ingenita tradere etc. »

Hinc si priscorum documenta investigans, quosdam Alexander repererit propinquos Arii blasphemiae, cujusmodi

sunt Ebjon, Artema, deinde Paulus samosatenus, alter Lucianus, usque dum Arii aetatem attigerit: quare in eorumdem coetu nomen siluit Origenis? Is enim, acceptis quae ex libris *Periarchon* collegere Theophilus, Hieronymus et Epiphanius, blasphema docens in Filium Dei, tanquam *creaturam in tempore, Patri inferiorem, nec ipsi coaeternum, et relate ad ipsum Patrem mendacium esse; nec istum videre posse Filium etc.* nulla ratione omittendus erat ab Alexandro: cum Origenis nomen et scripta tunc satis nota orbem pervaderent christianum. Ideoque Alexandri silentium latissimum suspicionis spatium permittit, ut dicatur ab hujusmodi blasphemia immunis fuisse Origenes: nec nisi interpolatoribus suorum librorum ipsa esse adjudicanda nefanda dicta.

Quinimmo in citatis Alexandri Litteris locutiones de Trinitatis dogmate obviam fiunt, quae non solum in sensu assimilantur, sed fere verbotenus exprimunt quidquid excutit, docetque Origenes tam de Verbo Dei, tam de Spiritu Sancto. Ita namque paulo post in fidei professione, quam ipse et cum eo ceteri presbyteri emittunt, legitur: « Et in unum Jesum Christum (credimus) Filium Dei unigenitum; genitum quidem non ex eo, quod non est, sed ex eo, qui Pater est: neque id quidem more corporeo per incisionum aut divisionum fluxiones, ut Sabellio et Valentino visum est, sed modo quodam, qui verbis explicari, exprimive omnino non potest. » Haec, inquam, praescripsit Origenes in Libro I. *Periarchon* c. II. n. 6. de ineffabili Filii generatione: « Observandum est, ait, nequis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent; et Deum Patrem, quantum in se est, dividant; cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis est, verum etiam etc. »

Item de Spiritu Sancto consequenter ait Episcopus alexandrinus: « Praèter istam piam de Patre et Filio sententiam, unum praeterea Spiritum Sanctum, sicut nos docent sacrae Scripturae, confitemur: qui non modo sanctos homines veteris Testamenti, sed etiam divinos novi Testamenti Doctores innovavit. » Ista instaurantur in Praefatione Libri I. ejusdem Origenis, ubi legitur. « Tunc deinde (Apostoli) ho-

nore ac dignitate Patri et Filio sociatum, tradiderunt Spiritum Sanctum .... Sane quod iste Spiritus unumquemque sanctorum vel prophetarum, vel Apostolorum inspiraverit; et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur. » Videas ergo tum in Alexandro tum in Origene unam et eamdem fidem, ejusdemque fidei professionem, eadem argumenta et eamdem verborum expositionem, adeo ut dicatur, unus idest Alexander sensus et verba ideo decerpsisse ab Origenis scriptis, ac praecise ab iis, quae corrupta, uti haeretica refutarunt Theophilus, Hieronymus et Epiphanius.

Deinde minime silentio praetereunda sunt, quae s. Methodius initio seculi IV. et paulo post s. Eustathius episcopus antiochenus tradiderunt de Origenis libris, ubi eisdem visus ipse est errasse. Unus enim idest s. Methodius restitit Origeni ob ea, quae putavit de futura corporum resurrectione, de aeternitate mundi, de tunicis pelliceis idest de corpore post peccatum Adae imposito ad poenam. Alter nempe s. Eustathius eumdem refutavit de iis, quae scripsit de Engastrimytho (cujus mentio in Libro I. Regum) et praesertim ob immodicum ipsius studium pro allegorico sensu in Scripturis divinis exponendis. Sed de his superius satis disputatum est; perperam enim utrumque probavimus corripuisse Origenem; eoque magis quod unus idest s. Methodius videatur postea palinodiam cecinisse, quippe immerito Auctoris discussiones de corporibus excitandis aliisve refutasset. Quapropter in hac de Methodio quaestione quoad ipsius sensum de Origenis libris, haec addit Valesius in notis Historiae Socratis Libro VI. c. XIII: « Sed objiciet quispiam in illo Dialogo, qui *Xenon* inscribebatur, Origenem a Methodio summis laudibus exornatum fuisse: in Dialogo vero *περὶ γενητῶν Centaurum* a Methodio appellari. Sic enim in excerptis Photii legitur duobus locis. Respondeo fieri posse, ut Methodius, initio quidem Operis illius Origenem perstrinxerit; in fine vero, aut in progressu ejusdem Operis, quasi palinodiam canens, summis eum laudibus affecerit. »

Alter vero Eustathius, etsi opinionem suam non emendarit, attamen amplissimis argumentis ostendimus tum in historia de Ventriloqua, tum de ceteris, in quibus errantem existimavit Origenem, neque jure hunc reprehendisse, nec multo minus acceptanda esse, quae ipse s. Eustathius opposuit eidem in quaestione de apparitione Samuelis. Quapropter utrinque pariter statuitur, nihil inde imminui Origenis decus ob ea, quae scripsit et de resurrectione, et de divinorum Bibliorum interpretatione.

Insuper, si unius sedulo investigentur curae in scriptis origenianis percurrendis, idest episcopi antiocheni, adstruere licet istum (si praesumpti excipiantur errores de allegorico Scripturarum sensu) quoad cetera errata nimirum de blasphemiis Origenis in divinae Trinitatis mysterium, tum de poenarum termino in vita futura, tum de daemonibus convertendis, tum de animarum lapsu a coelo, tum de secunda redemptione, tum de *metempsychosi*, et de ejusdem generis absurdis totum diruentibus dogma christianum (quae fuere postea a s. Epiphanio, Theophilo, et Hieronymo aliisque adscripta Origeni) conjicere licet, dico, s. Eustathium nec legisse, neque in ipsis libris tam nefandos animadvertisse errores.

Praeterea ex eadem Eustathii *Oratione*, etsi ipse praeter modum carpat Origenem ob nimium in allegoria studium; nihilominus ibidem ait, ipsum tunc temporis *amplissima in ecclesiis frui fama, totumque mundum immodica replevisse eloquentia*. Quam tamen famam, fatendum est, cum et ipse cogitavit imminuere, scopum nequaquam consecutum esse superius indicavimus. Vano sicuti et infausto studio elaborasse adversus Origenem manifeste patefecimus: ita ut in corripiendo illius de Ventriloqua commentarium, seipsum in errorem dejecerit s. Eustathius.

Alterum porro pro Origene stat testimonium a scriptis Didymi alexandrini desumptum; cujus operum quamvis deperdita sit maxima pars, tamen ex his quae supersunt, et ex Hieronymi testimonio satis quod disquisitioni nostrae conferat, reperitur. Patet namque Didymum ex Schola alexandrina, ejusdemque praefectum, libros percurrisse Origenis; in quibus videtur non tantum ipsius suppositis haud consensisse er-

roribus, verum ne eos notasse quidem. Amplius eorum conscius, quae Auctori inscribebantur veluti haeretica, horum sensum explanavit aliter ab eo, quod Origenis hostes interpretati sunt.

Et quoad primam partem ex ipsius perspicuis verbis, ac teste Hieronymo, de Deo, deque divinae Trinitatis mysterio prope catholicam fidem sensit et docuit Didymus. De Deo enim incorporeo *in Epistolam* I. Joannis cap. IV. scribit: « His itaque apertis probationibus destruentibus fallacias eorum, qui divinitati derogare noscuntur, idem erat Deus novi et veteris Testamenti, invisibilis existens essentia, cum sit incorporeus etc. » De Trinitate et de Spiritu Sancto plura et recte disputavit contra adversarios, adeo ut Hieronymus hanc pronunciarit sententiam: *Didymus certe in Trinitate Catholicus est.* Item de aeternitate poenarum Ecclesiae dogma per omnia sectatus est et quoad daemones et quoad reprobos. Beati Judae verba exponens *bis mortuae* inquit: « Unum necessario consequens est, ut, cum secundo moriuntur, eradicari videantur, ut nullam spem habeant denuo germinandi... Et imitantur patrem suum satanam, qui in lucis angelum transformantur; verumtamen licet hanc fantasiam celebrare valeant, tamen sydera sunt erroris, quibus caligo tenebrarum aeterna servatur. » Similiter contra manichaeos, probans daemonem ex suo arbitrio peccasse, et non ex natura, dicit Deum satanam punire, sicuti et ceteros, qui libere suae voluntati malae obsequuntur, mitti *in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus.*

Sed quod magis nostra interest de Didymi sensu circa Origenis libros, praesertim *De Principiis*, traditur ab Hieronymo in Libro II. n. 16 adversus Ruffinum, qui pravatos ab haereticis libros istos fuisse putavit. Huic vero nolens acquiescere opinioni s. Doctor ait: « Quid respondebis pro Didymo, qui certe in Trinitate catholicus est? Cujus etiam nos *De Spiritu Sancto* librum in latinam linguam vertimus. Certe hic in his, quae ab haereticis in operibus Origenis addita sunt consentire non potuit. Et in ipsis *De Principiis*, quos tu (Ruffine) interpretatus es, breves dictavit commentariolos, quibus non negaret, ab Origene scripta, quae scripta sunt;

sed nos simplices homines non posse intelligere, quae dicuntur: et, quo sensu in bonam partem accipi debeant persuadere conatur (Didymus). Hoc dumtaxat de Filio et Spiritu Sancto. Ceterum in aliis dogmatibus, et Eusebius et Didymus apertissime in Origenis scita concedunt; et quod omnes ecclesiae reprobant, catholice et pie dictum esse defendunt. »

Et quomodo Pamphilus et Eusebius et Didymus pie et catholice dicta, Origenis dogmata admittere ac fateri potuissent, si in hujusmodi impietates de Trinitate, de reproborum poenis in altero seculo, de metempsychosi, de animabus e coelo delapsis, de natura hominum et angelorum vicissim mutanda et de ceteris hujus generis, lapsus fuisset Origenes? Si ipsi in Origenis opiniones apertissime concesserint, profecto absurda similia complexi fuissent. Et hoc Hieronymo probandum erat, atque ex libris praefatorum auctorum adaequata proferenda testimonia, quibus tales errores ab ipsis acceptos atque ratos fuisse constaret. Verum hoc probatu satis arduum est.

Etenim cum Didymus ex Hieronymi auctoritate haud neget, Origenem *Periarchon* auctorem esse, *non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens;* quomodo fieri potest ipsum Didymum eos libros scrutatum, aequo animo tollerasse ex Origenis ore blasphemiam (quam Hieronymus ipse et Theophilus ei inscribunt) *Filium* scilicet *quoad Patrem esse imaginariam veritatem*; seu *quod Filius nobis comparatus sit veritas, Patri conlatus, mendacium*: et rursus *quantum differt Paulus et Petrus a Salvatore, tanto Salvator minor est Patre*? Qua ratione assentiri potuerit Didymus hos transigens sermones, quin falsitatem comprehenderit, ac blasphemiam? ille ipse, quem dicit Hieronymus catholice sensisse in dogmate de Trinitate; et adeo, ut ex usque modo superstitibus ipsius libris clare hoc compertum sit? In Libro namque I. c. XV. De Trinitate inquit: « Sicut magnus est Pater, cum ob alia, tum etiam quia novit Filium; ita Filius quoque magnus est ex eo etiam, quod cognoscat Patrem: similiterque Spiritus Sanctus. » Item in Libro II. c. VI. « Quum vero Scriptura neque Spiritus Sancti initium esse dicat, sed illum celebret ut Spiritum Dei et ex Deo et divinum et sanctum;

neque in divinarum hypostasium natura prioritatem ac posterioritatem admittat, quinam relinquitur dubitandi locus, utrum ipsae in una increata Deitate sint et aequali honore afficiendae ? »

Insuper cum legerit Didymus in citato Origenis Opere sicuti legit Theophilus : *Verbum nempe Dei, Dei Filium non pertingere nisi ad rationabilia, ad cetera vero nequaquam*, si revera talia intellexisset et scripsisset Adamantius; qualibus argumentis juxta hanc Theophili expositionem, Didymus (qui scholia in illud Opus elaboravit) adstruere potuisset, Origenem haud errasse ? cum ex adverso ille Didymus docuit *in Epistolam* I. Joannis c. V. De Christo inquiens : « In ipso invisibilia et visibilia coelestia et terrestria sunt creata ; et ante omnia est, et in eo omnia consistunt fundamentum habentia, Opifex Verbum. Sic enim (pergit) verum erit etiam, quod dictum est, creata a Deo omnia ; cum utique dicit Sapientia de semetipsa : *ante secula fundavit me, in principio antequam terrena faceret, et abyssos crearet .... Hic est verus Deus et vita aeterna.* Verus Filius Dei est Jesus Christus, verus Deus existens. Et considera quemadmodum consubstantialis Patri, et non idem numero, secundum Sabellium, Filius sit cum Patre ... Quapropter ut (haeretici) inspiciendi, qui alterius substantiae dicunt, et non ejusdem, Patrem et Filium, quatenus, dum una divinitas Patris et Filii asseritur, etiam veritas una et eadem agnoscatur etc. » Quae omnia Origenes contra Celsum (christianis exprobrantem, quod Jesum Deum existimarent, cum mortali corpore constaret) definiens sapientissime et sincerissime, conclusit Libro III n. 41 : « Verumtamen sciant criminatores isti, quem ab initio Deum Deique Filium esse credimus et pro certo habemus, eum esse Verbum ipsum, Sapientiam ipsam, veritatem : mortale autem ejus corpus, et humanam, quae in ipso est, animam ad maximam dignitatem evectam fuisse, etc. »

Ex his omnibus patet quod sensit Didymus de dogmate christiano, e genuinis libris Origenis transcripto; et quam longissime ipsum tum ab ejusdem abfuisse commentitiis erroribus, et tum potissimum (quod nostri laboris est) nullibi Origenem reperisse errantem in iis, de quibus vehemen-

ter a Theophilo et Hieronymo culpatur uti haereticus. Denique in hac quaestione tam pro Didymo tam pro Origene facit scientiae et sanctitatis fama; quae tunc et post obitum ipsius Didymi ubique de eo coruscavit. Revera Socrates Libro IV. c. XXIII. Histor. Eccles. haec narrat: « Sub idem tempus alium quoque fidelem virum Deus in medium produxit eo consilio ut fides testimonio et assertione ejus roboraretur. Didymus enim, vir plane admirabilis ac dissertissimus per id temporis in omni genere doctrinae florebat. Hic admodum adolescens, cum jam prima literarum elementa didicisset, in morbum oculorum incidit: quo quidem graviter vexatus, videndi facultatem penitus amisit. Verum Deus pro corporalibus oculis spiritales ei largitus est. Nam ea, quae oculorum visu percipere non poterat, didicit audiendo. Cum enim a puero egregia esset indole et excellenti ingenio praeditus, aequales suos, qui oculorum acie pollebant, longe superavit: quippe etc... Sed et divina oracula, quae tum in vetere quam in novo Testamento continentur, adeo perfecte norat, ut multos in ea conscriberet libros; ac praeterea de Trinitate tres libros dictavit. Et Origenis libros *De Principiis* interpretatus est, editis in eos commentariis; quibus illos rectos esse asserit, frustraque contendere eos, qui virum illum accusare et libros ejus calumniari conantur. Neque enim excellentem hominis sapientiam intelligentia assequi possunt.

« Siquis igitur (pergit ibidem Socrates) multiplicem Didymi eruditionem et animi ejus ardorem cognoscere desiderat, id ex libris, qui ab illo elaborati sunt, facile perspiciet. Cum Didymo Antonius monachus diu ante Valentis tempora collocutus esset, dicitur, tunc cum propter arianos, relicta solitudine, venit Alexandriam, perspectaque hominis doctrina, haec ei dixisse: Nihil te moveat, o Didyme, jactura corporalium oculorum. Ejusmodi enim oculis orbatus es, quibus et muscae et culices videre possunt. Gaude potius, quod illos habeas oculos, quibus angeli vident; quibus Deus cernitur, et lux ejus comprehenditur. Et istud quidem, diu ante haec tempora ab Antonio dictum est Didymo. Tunc vero maximus fidei patronus ac propugnator Didymus habebatur: quippe qui adversus arianos validissime disputaret, eorum-

que sophisticas cavillationes dissolveret; et falsos ac fraudulentos eorum sermones refelleret. Ac Didymum quidem arianis, qui Alexandriae erant, divina opposuit Providentia etc. »

Sozomenus vero haec item adstruit, augetque inquiens in Libro III. Hist. Eccles. c. XV: « Sub idem tempus Didymus quoque ecclesiasticus scriptor floruit Scholae alexandrinae praefectus.... Fuit autem non vulgare miraculum: multique ejus fama impulsi Alexandriam se contulerunt, alii ejus audiendi, alii visendi causa. Ceterum arianos non mediocri cruciatu afficiebat, dum Synodi nicaenae doctrinam assereret. Persuadebat enim facillime, idque non sermonum violentia sed pro ea, qua valebat persuadendi facultate, unumquemque illorum velut arbitrum controversiae constituens. Omnes autem catholici, singulari benevolentia eum complectebantur. Sed et monachorum agmina in Aegypto degentium, eum magnopere laudabant, et magnus ille Antonius etc. » sicuti dictum est.

His addendum quoque Hieronymi ipsius testimonium, qui in n. 109. *De Viris illustribus* haec notavit de eodem: « Didymus alexandrinus captus a parva aetate oculis, et ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus praebuit, ut Dialecticam quoque atque Geometriam, quae vel maxime visu indiget, usque ad perfectum didicerit. Is plura opera et nobilia composuit, commentarios *in Psalmos omnes*, commentarios *in Evangelium Matthaei et Joannis*, et *de Dogmatibus*, et *contra Arianos* libros duos; et *de Spiritu Sancto* librum unum, quem ego latine verti: *in Isaiam* tomos decem et octo; *in Oseam* ad me scribens, commentariorum libros tres, et *in Zachariam*, meo rogatu, libros quinque, et commentarios *in Job*, et infinita alia, quae digerere proprii indicis est. Vivit usque hodie, et octogesimum tertium annum aetatis excessit. »

Et quis audebit post haec de tanti viri dubitare pietate rerumque divinarum peritia? Probo igitur cum Hieronymo, apertissimum fuisse Origenis propugnatorem Didymum, haud tamen Origenis ipsius praestigiarum et pravorum dogmatum, quae Hieronymus postquam illusus est, putavit docuis-

se Origenem *in Periarchon*. Nec unus enim idest Origenes, nec alter nimirum Didymus, sive de Trinitatis mysterio, sive de rationalibus a communi Patrum sensu abscessere. Nisi quod Hieronymus ex falsatis codicibus *Periarchon* colligens, quae non scripsit Origenes, in ambos amandavit errores, quos nesciere Et unde factum est, ut ab ipso Hieronymo inter perversos et haereticorum consortes vocaretur Didymus, quem antea vocarat *prophetam videntem et oculum habentem sponsae de Cantico Canticorum, et virum apostolicum.*

Demum circa Didymi sanctitatem et doctrinam plures extant testes, et ejusdem aevi praesertim qui cum eo versati sunt, admodum virtutes ejus mirati. In his numerantur Heraclides cyprius diaconus et Palladius: quorum primus, quae superius a nobis de ipso Didymo notata sunt, amplissime confirmat. Ac de his interim, quae Heraclides scripsit, haec modica sufficiant. Scribit enim: « Multi autem viri digni habitaculo beatorum, foeminae quoque obierunt tunc in alexandrinae Ecclesiae civitate: in quibus Didymus erat, oculorum quidem lumine destitutus, divinarum tamen Scripturarum peritia pollens. Quem ego infra decem annos diversis temporibus quater vidisse me memini; quique post octoginta et quinque annos vitae terminum fecit. Hic igitur, quem loquor, captus est oculis, ut ipse retulit mihi cum quartum ageret aetatis suae annum: qui neque magistris traditus litterarum, neque prima unquam elementa cognoscens, habebat insitum bonum semper incolume, naturalem magistrum conscientiam suam. Quem tanta gratia scientiae spiritualis ornabat; ut in eo evidentissime quod scriptum est, adimpleretur: *Dominus coecos sapientes facit* etc. » Haec porro ostendi non tantum ob ea, quae mutuo utrique prosunt Didymo et Origeni, sed ob illud maxime, quod circa aevum Concilii V. Oecumenici, palam excitatum est in Ecclesia adversum eosdem. Ita ut fere universim illorum antiquum in orbe christiano decus perierit.

CAPUT VIII.

Sanctorum Patrum Athanasii, Basilii, Gregorii nazianzeni, Gregorii nysseni, Hilarii, Ambrosii, aliorumque documenta perquiruntur de Origenis doctrina et fide.

Post haec si de reliquis Ecclesiae scriptoribus, seculo quarto ineunte, documenta decerpere velimus in Origenis defensionem, specialia sane vix colligi possunt, sicuti in praecedentibus factum est. Attamen investigatis eorum scriptis, satis probatur, ipsos in Origenis operibus, nequaquam tot tantique momenti errata reperisse, uti deinde praesumptum est, cum jam Auctoris libri prae manibus haberentur et graecorum et latinorum. Eoque magis si consideretur, praefatos Patres non solum transcribendis codicibus Origenis graecis, sed et latine vertendis operam dedisse, ut posteris traderent in fidelium aedificationem et ad christiana dogmata adversus haereticos propugnanda satis accommodatos.

Plurimum interim quaestioni nostrae proderit pro sincera Origenis erga Trinitatis mysterium confessione, quod a divo Athanasio traditur in Epistola *De decretis Synodi nicaenae* contra Arianos; ubi valde ea decreta propugnat ex ipsius Origenis documentis. Queis n. 27. Athanasius prudentissime praeit, comprehendens, plures deceptos esse, earum inscios, quas Auctor disputationis gratia (sicuti pluries antea animadverti) non affirmandi sed disquirendi studio, haereticorum sententias in medium protulerat, ita ut deinde eas excutiens, errores eorum exploderet. Et ob hoc inquit: « Verbum porro aeternaliter esse cum Patre, neque alterius essentiae, aut substantiae, Patrisque sui proprium Filium, ut sancitum est ab illis, qui Synodo interfuerunt, licebit denuo ex laborioso illo Origene audire. Quae enim veluti disputandi, certandique gratia scripsit, ea non tanquam ipsius verba ita cogitantis accipiat quis; sed eorum, qui disputationis ergo contendere cupiebant, accipienda sunt. Hujus sollertis sententia haec est. Post enim ea, quae certandi gratia, quasi in palaestra adversus haereticos adduxerat, statim ista, quae propria ipsius sunt, subintulit.

Si est imago Dei invisibilis, invisibilis quoque est ipsa imago. Quin etiam addere ausim, cum sit similitudo Patris, non posse fieri, ut aliquando non fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem appellat (nam Deus lux est) propriae gloriae splendore caruit, ut quis audeat principium existendi filio tribuere, quasi, scilicet, antea non fuisset? Quandonam vero non erat Verbum, Verbum, inquam, quod et Patrem cognoscit, et est character ac imago ejusdem substantiae, quae digne nec exprimi, nec nominari, nec proferrri possit? Intelligat enim qui dicere audet: Fuit aliquando, cum non esset Filius, *idem esse ac si diceret*: Sapientia aliquando non erat: Verbum non erat: Vita non erat. » *Idem* (Origenes) rursus ita alibi loquitur: « *Verum nefas est, nec periculo vacat propter nostram infirmitatem Deum, quantum in nobis est, unigenito privare Verbo, quod semper cum illo fuit; et illa erat Sapientia, qua delectabatur. Alioquin eum non semper fuisse delectatum, intelligendum erit.* Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. »

Haec ab Athanasio decerpta sunt ex Libro IV. n. 28. *De Principiis;* tantique fit ab eo istud Origenis documentum, ut per illud arianorum contundat audaciam, ostendens inde priores Patres (in quibus Origenem) secum ipso pugnare pro Filii divinitate, ejusdemque cum Patre essentia. Si enim Athanasius in praefato Libro IV. adversus id, quod ipse legit ac citavit, paulo post ex n. 35. sicuti in praecedentibus libris, blasphemias legisset juxta Hieronymi versionem in epistola ad Avitum ad latus alterius Ruffini insertam (quae quidem ab invicem discordant) cumque ceterum latere non potuisset Athanasium, si reapse codex graecus talia praetulisset, uti vertit Hieronymus; quid de hoc cogitasset Athanasius cernens contra seipsum stantem Origenem, sensum pervertisse eorum, quae paulo ante statuerat de Verbo Dei?

Et quomodo in arianos dimicasset Athanasius, adjiciens veteres Patres et specialim Origenem similia tradidisse de Filio prope statuta nicaena? cum et ipse Origenes (Theophili et Hieronymi accepta sententia) impietatibus participasset, quas Arius docuit? Et cur deinde de hac re contra arianos

asserere ausus fuisset s. Doctor, neminem ex veteribus in auctorem citari posse hujus impietatis? cum Origenes (quem consubstantialitatis vindicem Athanasius nuncupavit) ex Hieronymi opinione *dux arianorum* haberetur? Subdit enim ibi Athanasius: « Vos autem o novi judaei et discipuli Caiphae quales verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis? Sed ne unum quidem ex prudentibus et doctis in auctorem citare potestis. Cuncti enim vos praeter diabolum istius vocis a Christo defectionis auctorem, aversantur. Ille et olim vobis hanc impietatem inseruit; et nunc vobis auctor est, ut orbis terrarum Concilium vituperetis. » Ex his amplius ponderatu dignum est, Athanasium, cum ibi de recta Origenis fide agat, ipsum quoque Ecclesiae Patrem appellasse: quod sane nostro proficiet argumento.

Deinde et haec proposito nostro faciunt, quae divus Pater n. 23. citatae Epistolae *De Synodi nicaenae decretis*, ubi pro Filii cum Patre consubstantialitate decertans, ab exemplis arguit: « Certe rem, ait, ita se habere patet ab exemplo lucis et splendoris. Non enim instar ignis, qui ex calore solis accenditur, ac postea solet extingui, Verbum se ad Deum habere sancti censuere; ita quippe externum et creatum effectoris opus esset. Verum Filium omnes splendorem esse dixere, ut eum proprie ac sine divisione ex substantia esse, ejusque cum Patre unitatem significarent. Namque hoc pacto constat vere eum immutabilem, expertemque varietatis esse etc. » Profecto in his sanctis, quorum meminit Athanasius, primum locum tenet Origenes, qui frequentissime hanc adhibuit similitudinem. Et, ut ex pluribus nonnulla citem, in Libro I. c. II. n. 7. *De Principiis*: « *Deus lux est,* inquit, secundum Joannem. Splendor ergo hujus lucis est unigenitus Filius ex ipso inseparabiliter velut splendor ex luce procedens et illuminans universam creaturam. » Paulo ante dixerat: « Lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed nihil habet commune ad solis hujus lumen. » Item n. 11. *Deus lux est;* splendor autem lucis ejus sapientia sua est, non solum secundum quod sempiterna lux est etc. Et sic de ceteris, quae occurrunt in Joannis Evangelii commentario. Unde liquet Origenem in suis

Operibus satis praebuisse argumentorum, quibus Filius Patri consubstantialis eique coaeternus dicebatur, veluti a Patribus nicaenis sancitum est.

Novissimo, quod sane mirum est, Athanasius idem (uti testatur in Epistola ad Serapionem) legens scripta Origenis nullibi sibi occurrisse ait sphalmata ipsius nec de Trinitate, neque de animarum transmigratione, nec de secunda redemptione, nec de natura convertibili angelorum et hominum, neque de animabus de coelo ob crimina dejectis, neque de suppliciorum termino apud inferos etc. (1)

Deinde inter Origenis patronos, speciatim quoad *Periarchon* libros numerantur quoque ss. Basilius et Gregorius nazianzenus, qui sub *Philocaliae* nomine libellum elaborarunt, decerptis hinc inde e diversis ipsius commentariis, quae illis utilia ac sapienter excogitata putabantur. Clarissimus Tarinus haec edidit latine ex graeco versa; in quorum initio ista leguntur: « Delectum hic liber continet quaestionum Scripturae ac solutionum ex variis Origenis commentariis ab illis divinarum rerum consultissimis Gregorio et Basilio confectum; quem horum alter Gregorius Theologus ad Theodorum Tyaneum id temporis episcopum in tabellis misit, sicuti haec ad eum scripta epistola declarat: *Et festae diei laetitiam nobis litterae tuae repraesentant; et quod longe praestabilius est, tempus ipsum praevertis, et anticipandae celebritatis, quae tua est liberalis voluntas ac propensio, copiam facis. Ea sunt quae a tua pietate proficiscuntur. Nos quo maxime possumus, precibus respondemus. Atque ut a me aliquod ipse quoque habeas et a s. Basilio monumentum,* Electorum *Origenis Libellum ad te misimus: in quo excerpta habentur studiosis utilia, quae tu accipere ne gravare; tum quid inde fructus, et studio et spiritu adjutus ceperis, significa.* »

(1) Quod autem legitur in Libello sub Athanasii nomine *de Communione Essentiae Patris et Filii et Spiritus Sancti* n. 49. ubi accusatur Origenes, finem aliquem poenarum constituens, ac tandem remissionem peccatorum hominibus pariter ac daemonibus a Deo concedi praedicans, notandum est hoc scriptum Athanasio abjudicari; quippe a veteribus uti opus suum non memorari, nec in ejusdem manuscriptis reponi. Ita Editores in Notis.

Verum ut magis fulgeat horum Patrum in Origenis libros reverentia, testis subeat Socrates in Libro VI. c. XXV. Hist. Eccl. ubi horum studium in scriptis illius comparandis commendat, quippe ea aetate per universum orbem celebris erat fama ipsius: « In his igitur, inquit, libris legendis cum se se exercuissent, adversus arianos fortissime dimicarunt. Et quamvis ariani Origenis scripta ad dogmatis sui, ut putabant, confirmationem adducerent; illi tamen eos redarguerunt, et Auctoris doctrinam, ab iis nequaquam intelligi, demonstrarunt. » Adsit quis modo, ac dicat; si impietates, quas describunt Theophilus et Hieronymus ex Opere *De Principiis* decerptas, veluti foetus genuinus haberentur Origenis, qualis disputationis exitus Basilii et Nazianzeni contra Arianos? Tandem Nazianzenus apud Suidam ait: « *Origenes omnium nostrum ἀκόνη cos.* »

Quae vero de scriptoribus graecis hausimus pro orthodoxa Origenis fide; haec eadem repetenda sunt a latinis Patribus, qui seculo quarto in Ecclesia excelluere. Quotquot illorum enim, idest Hilarius, Ambrosius, Victorinus, Eusebius vercellensis, Origenis Tractatus sive paucos, sive plures transcripserunt, verterunt, exposueruntque, neminem reperitur, quidquam animadvertisse impietatis in Deum ac in divinissimam Trinitatem ab Adamantio suis insertum libris; neque contra dogma de poenis aeternis in futuro seculo, nec multo minus de Deo corporeo, de secunda redemptione, de rationalium natura variabili etc.

Et amplius, cum non solum in *Periarchon* sed in ceteris libris hujusmodi errores ajunt adversarii profudisse Origenem, ob hanc suppositionem profecto celebrati Patres valde stolidi reputandi forent, ut ex pluribus quaedam haeretice et impie dicta non comprehenderent; proindeque ne ab eis caverent quidem fideles. Satis arduum, inquam, mihi hoc videtur, ipsos nempe non percepisse hujusmodi errata; ac ea dignoscentes, non emendasse nec confutasse, et se et suos ab iis removentes. Ceterum si ipsi nec de erroribus origenianis nec de emendationibus in propriis scriptis mentionem egerint; conjiciendum est, eosdem in citatis Origenis operibus legendis, vertendis, enucleandis, nihil ecclesiastico dogmati ad-

versatum adinvenisse; aut saltem illius errores ejuscemodi gravitatis haud fuisse, ut censura aliqua digni crederentur.

Ut autem ex his nominatis, quaedam eorum dicta referam, adest s. Ambrosius; qui non tam sanctitate, zeloque, quam scientia in domo Dei laboravit, illibatam servans apostolorum traditionem. Proindeque haud ipsius videtur respuenda auctoritas. Is itaque quoties de Origenis libris egit, vel citavit, non nisi veneratione et aestimatione de eo locutus est. Sermone namque IV. n. 16 *in Psalmum* 118. ait: « Origenes, qui multorum interpretationes diligenti discussit indagine. » Et in Epistola 75. Secundae Classis addit: « Etsi sciam, quod nihil difficilius sit, quam de Apostoli lectione disserere; cum ipse Origenes longe minor sit in novo, quam in veteri Testamento; tamen etc. » Sicubi igitur s. Ambrosius manifeste dicit, se in veteris et novi Foederis Scripturis commentarios Origenis percurrisse, eosque esse perscrutatum, suosque fecisse ad fidelium aedificationem (studium namque peculiare Origenis potissimum enitet in Bibliorum sacrorum investigatione) nihilque addit de erroribus et quidem perniciosissimis ex. g. de Deo, de Trinitatis mysterio, de vita futura, de angelis, de anima etc. quibus velint adversarii inspersa fuisse Adamantii scripta (quae errata sane non latuissent s. Doctorem) perspicue indicatur, eumdem aliter in his libris comprehendisse Auctoris mentem, quam suspicati sunt deinde Hieronymus ceterique recentiores.

Deinde non est hic praetereundum, s. Ambrosium Origeni exprobrasse, quod nimium graecae philosophiae indulserit; uti legitur in Libro II. de Abraham c. VIII. n. 54. Geneseos verba interpretatus: *divisit Abraham corpora*, *et consedit illis etc.* Ibi s. Patriarcham ab aruspicinae superstitionibus defendere conatus, inter alia haec scribit: « Plato autem dulces quosdam sonitus siderum mutuavit sphaerae coelestis generari conversioni, famam magis et pompam quam veritatem secutus. Nam licet Origenes quoque noster, hoc est vir ecclesiastico officio deditus, planetarum stellarum quamdam inenarrabilem motum harmoniam esse suavissimi illius soni coelestis asserat; tamen etiam ipsum plurimum indulgere philosophorum traditioni, pleraque ejus scripta testan-

tur: quod eo scripsi, ut et ab aruspicinae et a philosophiae traditione sacrificii istius interpretationem secernerem. Velint alii doctrinam probare suam; ego juxta Apostolum timidus malo, quam doctus videri, qui ait: *videte nequis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam* etc. »

Ex his dictis primum eruito Ambrosii sollicitudinem in libris Origenis evolvendis, ac una animi illius ingenuitatem in dijudicanda ejusdem doctrina. Nemo enim ignorat quanta religione, quali fide et sapientia dogma catholicum propugnavit Ambrosius: cui omnes coaevi, incipiendo ab Augustino, testimonium amplissimum obsignarunt, eximium ipsius zelum commendantes. Quapropter Ambrosii sermoni attendentes, ac praesertim ubi ait *Origenes noster et ecclesiastico officio deditus*, comprehendimus, quod non ideo extra Ecclesiam Origenem fecerit Ambrosius; quinimmo in Ecclesia fideliter laborasse in munere sacro declarat illud *Origenes noster*; qui pari ratione ministerio ecclesiastico functus ad honorem Dei zelo flagravit. Et ob hoc, quamvis non vereatur Ambrosius Origenis in philosophos indulgentiam talem corripere (in eo tantum quod putavit de ordine astrorum) tamen damnare eumdem abnuit, haud inscius alios hujusmodi Auctoris studium non improbasse. Unde conjicere licet, si de his minimis Origenem culpaverit quodammodo Ambrosius; quid acturum fuisse s. Doctorem putandum erit de ceteris revera erroribus, aut potius blasphemiis et impietatibus; si talia scripsisset, et propugnasset Origenes? Secundo neminem quoque latet, quod ad hujusmodi criminationem attinet, jam ab ipsius Origenis aevo nonnullos eidem increpasse istud in philosophia graeca studium. Quibus per litteras respondens (ait Eusebius in Libro VI. Hist. Eccl. c. XIII.) rationem reddit, cur id ageret; ob eos nimirum et haereticos et philosophos, quibuscum sibi de rebus fidei pugnandum erat; ut, si fieri posset, eosdem et ex graecae philosophiae institutionibus confutaret: et hoc ab exemplo praedecessorum suorum Pantaeni, Heraclae, ceterorumque perfecisse dicit.

Item s. Hilarius, cujus libros, inquit Hieronymus quemquam securo pede decurrere posse, ab ipso dicitur Origenis commentarios *in Job*, *in Psalmos*, et quaedam alia latina ver-

tisse. Ex his porro putat Hieronymus (aptis tamen testimoniis carens) noxia ipsum quaeque detruncasse, et utilia transtulisse. Sed et amplius Editores in Prologo ejusdem Hilarii commentariorum *in Psalmos*, suspicati sunt, ipsum plura Origenis expositionibus de suo addidisse, rationem ideo reddentes, quod in praefatis commentariis dogmata sincera reperiantur de Christi divinitate, de poenarum aeternitate, de resurrectione etc. : *et quis*, inquiunt, *sibi persuadere poterit, ista Hilarium mutuatum esse ab Origene?*

Mihi autem, quoad hanc Hieronymi et Maurinorum opinionem de s. Hilarii studio et labore in scriptis Origenis, vix mihi, dicam, credendum est, s. Doctorem fidei nicaenae propugnatorem, silentio prorsus praeteriisse tam prava dogmata de Deo, de Trinitate, de vita futura, de animabus etc. quin de ipsis mentionem ageret, et confutaret; et fideles omnes amoveret ab horum librorum lectione, si revera talia invenisset. Denique mihi quis ostendet ex graecis adhuc superstitibus *in Psalmos* commentariorum exemplaribus, similes errores, quibus culpatur Origenes? Respondeat, qui poterit: diversimode ex Hilarii scriptis de integra et catholica Origenis fide manebit nostrum ab initio institutum.

Cum autem hucusque plura Patrum sanctorum testimonia undequaque decerpserim; in quibus recta manifestatur Origenis fides; ac ideo tunc jure ab Ecclesia habitum fuisse inter propugnatores catholicae veritatis, haud praetereundum est, quod scribit Auctor Epistolae Justiniani ad Mennam in Origenis ejusdem ignominiam ex s. Basilii Sermone III. *in Hexameron:* ubi ex hujus auctoritate tanquam ab Ecclesia ejectum fuisse Origenem ab eo tempore ostendere conatur. Ex ipso namque Sermone Auctor epistolae quasdam circa aquas superiores ab inferioribus divisas (de quibus in Genesi mentio fit, quasque suo loco expendimus) legens parum ab eodem Basilio probatas discussiones, hujus ad litteram citat verba, quae sane Origenem pertingunt: « *ἡμῖν δὲ πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐστὶ τὶς λόγος.* i. e. Nobis autem, ait Basilius, quidam sermo est ad eos, qui sunt ab Ecclesia. » Haec verba Auctor epistolae ita exposuit: « Attendendum porro est auditoribus, Patrem illo modo loquendi usum: *nobis au-*

tem quidam sermo est ad eos, qui sunt ab Ecclesia, de Origene disserere a Dei gratia et sancta Dei Ecclesia expulso, ejusque sequacibus. Non enim dixit: *ad eos, qui sunt in Ecclesia*: sed: *sermo quidam nobis est ad eos, qui sunt ab Ecclesia*. Et per illud quidem, quod dicit *nobis*, Ecclesiae homines significavit. Per illud autem *qui sunt ab Ecclesia* dejectos ab ipsa denotavit. »

Attamen quis non senserit epistolae Auctorem in hac interpretatione illusum, ac omnino mentem evertisse s. Doctoris. Cum namque Basilius ait se loqui ad eos, *qui sunt ἀπὸ ab Ecclesia,* non illos dicit, qui extra Ecclesiam sunt, haereticos; at contra, illos vocat, qui in Ecclesia sunt, catholicos: quorum nihilominus non accipiebat sensum allegoricum de divisione aquarum in firmamento coeli. Particula ἀπὸ *ab* ita constructa non exclusive, sed inclusive sumitur; et a graecis hujusmodi dicendi formula ita praefertur, et speciatim ubi agitur de variis philosophorum scholis: uti videre est apud Lexicographos. Ex g. οἱ ἀπὸ τῶν φιλοσοφῶν καὶ λογῶν i. e. *philosophi et litterati*. Item οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς i. e. *qui sunt a Porticu*, nimirum *stoici*. Similiter vero οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου i. e. *e Schola peripatetica*: unde Hedericus concludit: « ἀπὸ *ab, ex, dicitur de quibuscumque rebus, a quibus aliquid provenit efficitur, oritur*. Et ob hoc interpres latinus Operum s. Basilii praefata verba ita vertit: *Nobis vero et adversus quosdam, qui stetisse ab Ecclesia videntur, sermo est*. Et quidem jure hoc egit. Nihilominus textui sibi addere visum est vocabulum *videntur*, quod in graeco desideratur: quod sane aliter dicit quam voluit s. Basilius. Iste enim non apparenter, sed realiter existimavit Origenem ad Ecclesiam pertinere; quamvis parum sibi satisfaceret allegorica ipsius expositio in Geneseos verba. Quapropter Auctor Epistolae ad Mennam, qui falsitatum rapsodïam recensuit ex veterum monumentis in Origenis probrum, alteram de suo adjecit, Basilii sensum pervertens, alioque trahens, quo s. Pater non intendit.

Cum autem de nysseni Episcopi erga Origenem sensibus sermo succedat, nos haud latet, quod adversarii nostri ostentant, istum videlicet non solum Origeni erranti adhaesisse, sed et eumdem laudibus prosecutum esse. De qua re

quae parva sunt. » Et ad eumdem Papam Epistola 36. de ipso scribit: « Nam et Origenes in quarto Pauli ad Romanos commentariorum Tomo, de Circumcisione magnifice disputavit: et de mundis et immundis animalibus in Levitico plura disseruit, ut si ipse invenire nihil possem, de ejus tamen fontibus mutuarer. » Huc quoque revocentur quae scripsit ad Paulam in ipsius Origenis commendationem, uti superius dictum est. Similiter in propositum pergens ad Paulam et Eustochium scribit de versione Homiliarum ejusdem: « Et per hanc, inquit tunc videre poteritis, immo per vos romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit, et scire nunc caeperit. » Item obtestatur s. Doctor in Libro I. c. XXII. adversus Ruffinum sub an. 402: « Decem et octo ferme anni sunt, ex quo istos dictavi Libros (commentarios in Epistolam ad Ephesios) eo tempore, quo Origenis nomen florebat in mundo, quo *De Principiis* illius Opus latinae aures ignorabant etc. » Omissis modo, quae de hoc opere postea dicenda sunt, quid hoc sicuti et cetera encomia de Origene contexta a Hieronymo, quid sane indicant, nisi quod Adamantii doctrina sanctitatis sonum in auribus christianorum et maxime episcoporum ubique antea emitteret, quin contra ipsum nec haereseos nota, nec aliud quidquam manifestaretur in sacras suas institutiones?

Verum non solum latinae aures, ut ait s. Hieronymus, ignorabant errores Origenis in Libris *De Principiis* sicuti in ceteris ejusdem scriptis, sed et ecclesiae Palaestinae; quarum episcopi ad hoc congregati in Synodo hierosolymitana, obtestati sunt pariter, se usque eo latuisse, quod sane mirum est, ipsa nefanda dogmata eidem Adamantio inscripta. Et hoc eruitur ex Synodi ejusdem responso ad epistolam Theophili versam a s. Hieronymo, suisque insertam n. 93. quae haec tradit: « Et quia scripsit Sanctitas tua, repertos quosdam in Aegypto, qui ex Origenis dogmatibus pestifera quaedam velint introducere in ecclesiis, et simplicium corda decipere; ideo necessarium duximus significare sanctitudini tuae quod hujusmodi praedicatio a nostris auribus aliena sit. Neque enim audivimus unquam docentes, quod Christi regnum aliquando sit terminandum. » Et sic de ceteris blasphe-

miis in sanctissimam Trinitatem, et de daemonis salute; quas ipsi damnare dicunt, si sint aliqui qui ita doceant.

Quod autem nobis amplius satisfacit, legitur in Epistola 84. ejusdem Hieronymi ad Pammachium et Oceanum; ubi s. Doctor varia responsa citat defensorum Origenis, queis displicebat tanta viri condemnatio; et hoc ob propitiam opinionem, qua antea in mundo christiano fruebatur, veluti hucusque ex perspicuis monimentis exhibui. Sic enim Hieronymus ex horum ore, damnationi subscribere renuentium, respondet: « Alius, non possum, inquit, damnare (in Origenis libris) quod nemo damnavit Alius dicit: nihil super hoc a Patribus statutum est; ut, dum totius orbis provocatur auctoritas, subscribendi necessitas differtur. Quidam constantius, quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus nicaena non tetigit. Quae enim damnavit Arium, damnasset utique Origenem, si illius dogmata reprobasset. Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debuere eo medicamine curare: et idcirco Spiritus Sancti neganda majestas est, quia in illa Synodo super substantia ejus silentium fuit. » Haec omnia aeque ponderata contra ipsum Hieronymum agunt. Ex discussis enim in praecedentibus praeclare constat, nunquam Origenem instar Arii blasphemasse, negantem Filium esse de Patris substantia; sicuti certum est, nihil in Synodo nicaena decretum esse contra Origenem. Ideoque ex hoc silentio tenendum est Patres nicaenos ignorasse ejusdem Origenis haereticos sensus de Verbo Dei; ac (ut testis est s. Athanasius) Auctoris mentem aliter comprehendisse de Trinitate, quam deinde, falsatis illius scriptis, ceteri reputarunt, haud conscii de malitia perversorum in falsandis illius scriptis.

Ac interim tam ex illis, quae supra ex Patribus nicaenis circa Origenis doctrinam excussimus, tam ex his quae ipse Hieronymus de monachorum obtestationibus narrat damnationi resistentium, ac de aliorum similibus dictis, consequitur aperte s. Doctorem, a Theophilo deceptum in hac quaestione, propriam subscripsisse illusionem. Quod inferius magis patefiet.

Insuper circa famam Origenis apud graecos in magno pretio habitam, priusquam Theophili opera et Hieronymi, ipsius ederentur errores, fidem facit Macarius Monachus, qui opuscula adversus Fatum compingens rogat Ruffinum, ut sibi indicet quid in hac quaestione sentiret Adamantius: « Quid porro Origenes (scribit Ruffinus in Libro I. n. 9. *Invectivarum* adversus Hieronymum) quid porro Origenes, quem opinàtissimum apud graecos audierat, sentiret de talibus, percunctatur; breviterque sibi ejus ac de singulis quibusque sententias rogat exponi. » Et sicuti apud graecos in Oriente tunc fama de Origenis sensibus ac pietate pervadebat illustris; item in Occidente usque ad Anastasium Papam fideles et maxime episcopi *fide simplici*, ait s. Hieronymus, ipsius scripta percurrebant, nullum in ipsis animadvertentes sphalma, unde corriperetur.

Hoc autem ita se habere amplius constat firmatum a Joanne Hierosolymorum episcopo et ab Isidoro, quorum testimonium obsignat Hieronymus in Libro contra ipsius Joannis Apologiam, quam is pro suipsius ac Origenis fide elaboravit. In ea enim ambo Joannes et Isidorus (inquit Hieronymus): « non semel, non tertio, sed frequentissime juraruut, se eum (Origenem) de quo quaestio erat, scire orthodoxum, nec unquam in suspicione habuisse haereseos. » Quae obtestatio vix in utroque sine manifesta temeritatis nota concipi posset, si revera tot impia dogmata congessisset Origenes. Cur porro Hieronymus hanc utriusque confessionem *apertum et impudicum mendacium* dixerit, jure ne an immerito, infra decernetur.

Praeterea hoc idem ad Pammachium et Marcellam Hieronymus scribens in Epistola 97. n. 2. notavit de Origenis fautoribus, cum dicerent, *audivisse se tunc primum, quae magistrum dicere ante nescierint.* Et hoc item significavit Theophilus in Epistola Paschali I. apud praefatum Hieronymum 96. n. 6; « Equidem scire non possum, qua temeritate Origenes tanta confingens, et non Scripturarum auctoritatem, sed suum sequens errorem, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre; nec aestimarit ullum hominem fore unquam, qui suis assertionibus contrairet etc. » Nullum sane, dico ego fuisse,

qui ejus assertionibus contrairet, manifeste scientem, Origenem nunquam errasse, nec ideo reperiri, qui eum confutaret: ac itaque quae Theophilus confutavit, damnavitque, nunquam docuisse Adamantium, sed errores eidem confictos fuisse a calumniatoribus, quorum malitiam nescierunt Theophilus et Hieronymus.

Propterea Socrates in Libro VI. c. XII. Histor. Eccles. coaevus et hinc oculatus testis omnium, quae tunc gesta sunt in damnatione librorum Origenis, de s. Epiphanio narrat, ipsum Constantinopoli ideo synodum congregasse. In qua cum hoc negotium discuteretur, ait Theothimum Scythiae episcopum, virum pietate et sanctitate eximium, in medio concilii stantem, ita eidem Epiphanio respondisse: « Ego, Epiphani, neque eum, qui jam pridem pie defunctus est, contumelia afficere volo; neque impium facinus aggredi audeo, ut ea condemnem, quae majores nostri minime repudiarunt: praesertim cum sciam, nihil malae doctrinae in libris Origenis reperiri. Simul proferens quoddam Origenis scriptum, recitare caepit; ac expositiones in eo ecclesiasticas ostendit. Deinde haec verba subjecit: *Qui istos libros contumelia afficiunt, ii certe non animadvertunt se iis contumeliam inferre, de quibus libri isti disserunt.* »

Verum nobis admodum satisfaciunt, quae in capite sequenti narravit Socrates, priscorum nomina recitans ante illud tempus, idest seculum quintum, ab Origenis legendis libris animos avertentium: quorum tantummodo tres memoravit, his adjecto quarto Theophilo. Ait enim: « Laboravit hoc morbo primum Methodius Olympi Lyciae civitatis episcopus; deinde Eustathius, qui exiguo temporis spatio antiochensem rexit ecclesiam: post hunc Apollinaris; ac postea Theophilus. Haec est quadriga maledicorum, qui non eadem via incedentes Origenem calumniati sunt. Alius enim alia de causa in accusationem ejusdem prorupit, eorum quisque ostendens, se, quidquid non reprehendebat, hoc penitus recepisse. Nam sicubi alius aliud dogma singillatim refutare aggressus est, perspicuum est, singulos pro vero admisisse id, quod minime insectati sunt: tacite scilicet comprobantes ea, quae non exagitabant. Methodius quidem, cum in suis libris Origenem diu

multumque insectatus fuisset; postea tamen quasi palinodiam canens, in dialogo, quem *Xenonem* inscripsit, summa ejus admiratione prosequitur. Ego vero ex illorum reprehensione aliquid amplius ad commendationem Origenis affirmo. Qui enim omnia undique conquisierunt, quae reprehensione digna existimabant, hi, certe cum minime illum reprehenderint tanquam de sancta Trinitate male sentientem, rectae ac sincerae pietatis testimonium ei perhibere manifestissime convincuntur. »

Nihilominus in eo, quod ex priscis scriptoribus sinceram Origenis fidem de divina Trinitate se habere dicit Socrates, in illis ipsum puto noluisse censitum Theophilum; quippe iste ea aetate vivebat, ubi actum est de Origenis anathemate; cujus ipse auctor praecipuus cum fuerit, probatur eumdem haud dissimulasse accusationem contra Origenem de hoc mysterio, quinimmo ipsum nuncupasse blasphemum contra Dei Filium, ejusque cum Patre unitatem, essentiam, aeternitatem. Quod porro scribit Socrates de Methodii palinodia tanquam antea fuerit Origeni infensus, deinde patronus, testatur Hieronymus ex Eusebio in Libro VI. Apologiae, dicentis : « Quomodo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere, qui haec et haec de Origenis locutus est dogmatibus. De reliquo nihil mirum, Methodium palinodiam cecinisse in iis, quae scripsit contra Origenem, cum argumentis eisdem de Resurrectione usus sit, quae Origenes ipse discussit, ac propugnavit contra hujus dogmatis mentitores. Item de Eustathio episcopo antiocheno superius in secunda Parte amplissime disputantes, ejus argumenta diluimus haud prospere adversus Origenem adinventa. Similiter de Theophilo, qui primum, uti ait Theodoretus, Origenis libros comprobavit; deinde anathematizavit; tertio iterum de ipsis mitius locutus est. Similiter dicendum est de Hieronymo, ac de aliis nonnullis, infauste in hac quaestione illusis et inconstantibus. Quid autem haec sibi velint, prudens lector judicet.

Quod autem hucusque diximus de Ecclesiae orientalis et occidentalis episcopis, qui Origenis (quin ulla ratione ei detraherent) laudibus et personam et scripta celebrarunt; ab eisdem quoque haud segregandi sunt Ecclesiae africanae

praesules. Inter eosdem namque, praecipuum locum tenet s. Augustinus: Ex hujus testimonio neminem eruitur contra Origenem antea nec scripsisse nec quidquam haereseos in eo suspicatum esse indicium; et istud ex praevia illius docti viri fama, patria traditione roborata. Reapse ipse Augustinus ad Hieronymum scribens sub an. 394. eumque rogans ut latina graecorum Patrum volumina et praesertim Origenis transferat: « Petimus ergo, ait, et nobiscum petit omnis africanarum ecclesiarum societas, ut in interpretandis eorum libris, qui graece Scripturas sacras, quam optime tractaverint, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus illos tales viros et unum potissimum (Origenem) quem tu lubentius in tuis litteris sonas? »

Item in alia ejusdem Augustini Epistola (quae sicuti et prima inserta s. Hieronymi epistolis, legitur) sub an. 397: « De Origene, inquit, autem quod rescribere dignatus es, jam sciebam non tantum in ecclesiasticis litteris, sed in omnibus recta et vera, quae invenerimus, approbare atque laudare; falsa vero et prava aeque reprehendere. Sed illud de prudentia, doctrinaque tua desiderabam, et adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa ejus errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. » Unde satis patet, nescisse eousque Augustinum, qui Origeni in suae fidei professione objiciebantur, errores; sed et amplius ex ejusdem s. Doctoris ore firmatur vulgata undique ecclesiarum fama de praestanti ipsius Origenis doctrina ulla absque erroris nota, adeo ut illum vocarit *tantum virum*.

Quapropter jure consequitur quae postea scribit s. Doctor in Libris *De civitate Dei* sub an. 413 de daemonum ac reproborum poenis in futuro seculo desinendis ex praesumpta Origenis sententia; et quae item subdit sub an. 415 alios ipsius Adamantii confutans errores: et quae demum scripsit in Libro *De Haeresibus* sub an. 427. vulgatam jam errorum origenianorum rapsodiam notans, haec omnia antea nesciens Augustinus, cum nihil tale ex praedecessorum suorum schola didicisset, postea ab Hieronymo accipiens, posteritati tradidit, et in haereticorum numero censens virum, eo usque a se et ab ipso Hieronymo encomiis celebratum.

Sed quid dicam de Romae episcopis, Damasum inquam Papam ac Siricium successorem suum in Pontificatu? Ambo enim et ex Hieronymi ejusdem obtestatione nil contra Origenem suaque scripta intentarunt ob eos praesumptos errores; quinimmo ejus eruditionem in Scripturis sacris sicuti et in ceteris sinceram mirati sunt. Et quoad Damasum, huic ideo Hieronymus expositionem inscribit Cantici Canticorum, inquiens: « Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. » Ruffinus item in Prologo Libri I. *De Principiis*: « Scio ait, quamplurimos fratrum scientiae Scripturarum desiderio provocatos poposcisse ab aliquantis viris et graecarum litterarum peritis, ut Origenem romanum facerent, et latinis auribus eum donarent. Inter quos etiam frater et collega noster ab episcopo Damaso deprecatus, cum Homilias duas de Canticis Canticorum in latinum transtulisset ex graeco etc. »

De Siricio vero Hieronymus in Epistola 127. n°. 9. ad Principiam scribit Ruffinum Romae versionis suae librorum *De Principiis*, asseclas habuisse sacerdotes, monachos aliosque seculi homines, in assensum suum eos trahentem; ac simplicitati illudentem episcopi Siricii, qui de suo ingenuo cetera aestimabat. Paulo post de discessu locutus Ruffini ab urbe Romae, dicit ipsum a praefato Papa obtinuisse litteras formatas, sive communicatorias; quae erant veluti publicae tesserae fidei orthodoxae iis longe peregrinantibus. Quocum amplissime invalescit studium nostrum, diuturnis discussionibus excultum, de integritate codicis *Periarchon* a Ruffino versi, ejusque versionis sinceritate, et amplius de doctrina origeniana in hoc Opere orthodoxe discussa ulla absque haereseos nota, adeo ut offenderentur Ecclesiae Romanae viri. Qui quidem ullo absque offendiculo hanc Ruffini legerant versionem ex genuinis erutam Codicibus: etiam si hoc valde postea aegreferret s. Hieronymus a falsatis codicibus illusus, et a Theophilo.

Propter hoc valde mirum quoque est, sicuti nostra refert, quod ipse Hieronymus in Origenis gratiam de se et de tota Ecclesia Occidentali fatetur; quae una secum usque ad Theophili simultates contra Origenem et origenistas, aut usque

ad Synodum alexandrinam circa annum 400. ubi Origenes et origenistae tumultuarie condemnati sunt, tantum reverita est virum. Hieronymus namque praeter ingenuam confessionem in Epistola 84. ad Pammachium et Oceanum n. 3. emissam, se nimirum eo usque origenistam fuisse, idest Origenis doctrinam miratum et quidem orthodoxam, et altius commendasse, postea vero ab hoc cessavit: *Si mihi creditis*, ait, *origenistes nunquam fui: si non creditis, nunc esse cessavi:* nimirum postquam legit Theophili scripta, tot praeferentia calumniarum capita adversus Origenem, antea ab ipso ignorata, sicuti praemissa ejusdem testimonia suffragantur. Nisi quod a Theophilo deceptus, et alius factus, etsi non neget, cunctam Ecclesiam Occidentalem eadem prosecutam fuisse reverentia Origenem suaque scripta, ad praefatos tamen scribens, et suam et illorum opinionem spernit dicentium: *Origenem sic fertis in coelum, ut nihil eum errasse dicatis*: sicuti revera non errasse hucusque ostendi.

Quamobrem in Epistola 97. ad Pammachium et Marcellam haud celans quod vulgo credebatur de librorum et dogmatum Origenis falsatione; nec et gravem occultans difficultatem, in qua praevidit versari episcopatum Occidentalem, anathemati renuentem subscribere Origenis, ait: « Orate igitur Dominum, ut quod in graeco placet, in latino non displiceat: et quod miratur atque praedicat totus Oriens, laeto sinu Roma suscipiat. Praedicationem quoque Cathedrae Marci Evangelistae, Cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis haereticos persequitur; et ejus litterae doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Cui multos annos etc. » Interea communis Ecclesiae Occidentalis opinio erga Origenem suosque libros (ex ipsius Hieronymi confessione) quod quaero, modo sufficiat. Quid autem egerit Anastasius Papa de hac quaestione; sive quomodo acceptaverit Synodum alexandrinam adversus Origenis libros et origenistas monachos adunatam, in sequentibus disputabitur. Tantummodo hic audire praestat, ac novisse, conditionem Hieronymi in Palaestinae monaste-

rio hujusmodi fuisse, ut nec Theophili malitiam, nec disceptationis fontem apprime calleret, nec perversorum ambitum, qui in tantum Ecclesiae scandalum insudarunt.

Ex his tandem discussionibus, quid consequitur? Quo mea in his sollicitudo intuita est? Illud praecipue contundere volui Theophili testimonium, quippe a libellis comparatum illorum, quos antea refutaverat s. Pamphilus: Theophili, inquam, tunc insimulationum et insimulatorum principis, insidiarumque structoris adversus excelsam Origenis famam, et monachorum ipsius Origenis fautorum et probitatem et pietatem. Qui ideo, inquit Gennadius *de Viris illustribus* n. 33. scripsit grande volumen. *In quo omnia pene ejusdem Origenis dicta et ipsum pariter damnat, simul docens, non a se primum ipsum, sed ab antiquis patribus et maxime Heracla fuisse damnatum, et a presbyterio ejectum et de Ecclesia pulsum, et de civitate fugatum.* Et quomodo ista sincera, rataque habebuntur, cum tot hominum sanctorum testimonia, et ipsa Origenis gesta ecclesiis omnibus nota contrarium dicunt Theophili assertionibus?

Et quare damnatus vir, e presbyterio per Demetrium et Heraclam ejectus, et a civitate fugatus, de Ecclesia pulsus, qui a pueritia ad senectutem usque perpetim in domo Domini elaboravit, pie et fideliter, Deique honoris quotidie zelo flagrans? Quomodo vir tot impietatum auctor, tot onustus criminationibus, ac ideo a presbyterio ejectus, et ab Ecclesia damnatus, et fugatus, nihilominus nobis per sinceros testes repraesentatur huc illuc Christi ecclesias discurrens, et ab episcopis conquisitus, complexus, rogatus; eorumque cedens instantiis publice et privatim docens, sublimique munere concionandi adauctus? Et cur amplius etsi anathemate perculsus Origenes, Synodis tamen adstat vocatus; ac supra annos sexaginta natus adversus haereses dimicat, christiana dogmata episcoporum plausu propugnans, devios ad meliorem frugem reducit: discordias fidelium extinguit? Et cujus Arabiae non solum, sed et Palaestinae, Phoeniciae, et Achajae ecclesiarum praesules scientiam ac pietatem mirati sunt? Et forsitan ad Berylli errores confutandos, ac discordias fidelium sedandas, Arabiae episcopis ob scientiae

penuriam, aut virorum doctorum defectum, necesse erat opera presbyteri depravati, exauctorati, anathematizati, profligati, ad quem confugerent pro dogmatum divinorum incolumitate servanda?

Nonne tandem inter teterrimas calumnias Theophili, suorumque comitum adversus Origenem mandandum erit testimonium? cui resistunt praedecessorum suorum ac sanctissimorum virorum ad duo secula obtestationes: qui in Ecclesia Christi micuere doctrina, pietate, omniumque virtutum genere cumulati? Quorum nonnulli cum Origene versati sunt et discipuli, et verborum suorum suorumque morum testes: aliique successores, priscorum traditiones suscipientes, ac origenianorum librorum scrutatores, quos percurrerunt studiosissime? Dionysium dico alexandrinum, Gregorium Neocaesareae episcopum, Africanum, Alexandrum Hierosolymorum antistitem, Hippolytum, Theoctistum Caesareae Palaestinae, Firmilianum Caesareae Cappadociae, Plutarchum, Serenum, Heraclidem, Heronem, Heraim, Basilidem, Athenodorum, Tryphonem, alios ex his martyres, confessores alios; et post mortem s. Pamphilum, Eusebium, s. Athanasium, Didymum alexandrinum, s. Gregorium nazianzenum, alterum nyssenum, ceterosque?

Horum enim alter virum nuncupavit Origenem *pium*, *sacrum*, *continentissimum*, *amore Christi ad martyrium usque flagrantem*. Alter dixit eumdem *dissertissimum*, *in vera philosophia excellentem : sedulum philosophorum scrutatorem*. Alius illum vocavit *munere divinitus cumulatum in interpretatione Scripturarum coaevos omnes doctrina et eruditione superantem*: *christianae philosophiae principem*. Alter ipsum proclamavit *haereticorum malleum*: *perpetuo dogmata falsa et haeretica detestatum : in Romanum Pontificatum obsequentissimum*. Alius dixit *Scholae alexandrinae decus* : *omnium fidelium ἀκόνην cotem*: *virum apostolicum* : *virum prope divinum*. Alter *Ecclesiae Doctorem*: ille *Ecclesiae Patrem* : iste *episcoporum Magistrum* : alius *Ecclesiae columnam* acclamavit. Ac tandem, ipso Hieronymo teste, *ecclesiarum post Apostolos Magister* nuncupatus fuit Origenes.

Et quis denique nesciat, ob tot titulorum gloriosorum coronam, ubique totius orbis christiani fulgentium, s. Joannem Chrysostomum et s. Theotimum coram Epiphanio (inconsulto Origenis adversario) obtestatos esse, ut inferius dicetur, se nolle condemnare nec Origenem nec ejusdem libros quos Ecclesia antea non damnaverat: ac ideo *consultius agendum esse de ejusdem Operibus*: *quae Patres sanctissimi hactenus susceperunt?* Et quomodo condemnare virum, qui pie in Ecclesia obiit, vestigia Crucis Christi in suo corpore gestans usque ad mortem ob tormentorum vim? Et cujus post obitum encomium contexuit discipulus suus celebratissimus et sanctissimus vir Alexandriae episcopus Dionysius? Et cujus demum fidei sincerae usque huc irrepugnabile monumentum stat in civitate Tyri gloriosum sepulchrum: quod contra omnes adversarios suos manifeste et perpetuo obtestatur?

Quid interim ex hac testimoniorum serie inferendum jure sit juxta argumenti nostri terminum, judex es, qui legis. Quod autem a fine seculi quarti et deinceps factum sit de Origenis libris; et quales subierint causae, unde ipsius nomen ita obtrectaretur in mundo, in sequentibus disputabitur.



CAPUT X.

Mutuae disquiruntur contestationes Hieronymi cum Ruffino: item Epiphanii et hieronymi cum Joanne Hierosolymitano, inspecto praecipue adversus hunc Joannem Hieronymi Libro de erroribus Origenis.

Ex praecedentibus probato, ab impietatis, blasphemiae, haeresisque nota vindicatum fuisse Origenem ab Ecclesiae Patribus ex ejusdem aevo usque ad seculi IV. finem, initium quaeritur, quomodo et unde hujusmodi contra eum ejusque scripta instauratae sint accusationes, suumque nomen sit ex albo sanctorum Patrum penitus deletum, et quidem summa ac patenti Auctoris injuria, et eorum, qui ipsius partes susceperunt.

Interim ab hujus capitis exordio repetantur, quae alias prediximus ex s. Pamphili Apologia; in qua Origenis fidem, scientiam, pietatem ceterasque excelsas animi dotes contra suos detractores extollit. Et specialim sequentia nobis adsint ipsius s. Martyris dicta admodum nostrae disquisitioni apta; ubi postquam praefatas Auctoris virtutes enarravit, subdit: « Quae si omnia ad revocandam linguam, comprimendumque sermonem sufficere non possunt, illud saltem contemplari debuerant (adversarii) quantam ridendi materiam gentilibus, quantamque haereticis praebeant, cum eos, quos assertores christiani dogmatis et defensores putabant, confutari nunc videant, et refelli a propriis; ac velut civili bello gaudeant impugnatum, quem ipsi hostiliter impugnare non poterant. Quoniam ergo quam plurimi ex simplicioribus quibusque fratribus a supra dictis laeduntur, non solum de his, qui de ipso male sentiunt, sed etiam de his, qui studio scientiae et intelligendarum Scripturarum inter ceteros libros et ipsius scripta conspiciunt, ita ut vos quoque ipsi in dubium veneritis, ne forte vel multitudini, vel auctoritati calumniatorum fides debeat adhiberi de his, quae passim sine ullo respectu diffamantur: visum est nobis, primo quidem curare suspicionem vestram; ac simul etiam per occasionem vestri, omnium qui ei obtrectant, confutare calumnias etc. »

Verum si ipsius Pamphili labor prosperum attigerit terminum; ejusque argumenta apprime obtrectatoribus Origenis restiterint; atque istius scripta sub sancti viri tutamine probata ubique et accepta legerentur a fidelibus, ex quo veritatis assertor et non mendacii repertus fuerat, et id usque ad seculi IV. finem; ulterius tamen non prodiit eadem opinio, quin ipsa denuo in magno discrimine versaretur; ac rursus procella et quidem vehementior contra Origenis scripta irrumperet: fieretque ut omnium fere ore tanquam impia damnarentur ipsius dogmata; atque in abyssum dejecta fama illius, ibi hucusque maneret. Sed undenam ista commutatio mentium post centum quinquaginta annos, ut, qui *vir apostolicus et ecclesiarum magister* dicebatur et in sanctorum Patrum coetum accersitus fuerat, tam repente conversa sit illius sors, adeo ut arianae haeresis princeps, variique generis impietatum haberetur opifex?

Utinam, mihi interea liceat exclamare, a quaestionis ortu inter Ruffinum et Hieronymum prisca amicitia servata, in unum convenissent de Origenis doctrina consultori; et priusquam utriusque animi mutuis contestationibus exardescerent, utinam pacate ac mutuo consilio, solertique studio graecos Auctoris codices perscrùtati cum iis, quos prae manibus uterque habuit, probe contulissent! Tunc enim sane spondecrem, eosdem quam maximis in eisdem codicibus detectis varietatibus, et hinc earum varietatum fontem rimatos, calamum fraudulentum scriptis Origenis fuisse animadversuros, unde celebratissimi viri nomen obscuratum est. Ac ita caute simul incedentes ambo, mutuo opere praestito, discooperuissent facilius venenata dogmata, quae fuerant genuinis scriptis conserta, et in vulgus per libellos publicata sub Origenis nomine. Proindeque tutius junctis armis, animo foederato, non contra Origenem pugnassent, sed illius gratia irrupissent in falsarios, horum diruentes officinam dolose extructam; ubi sincera Auctoris fides sicuti et ecclesiastica dogmata fideliter propugnata ab ipso, subversa sunt in fidelium scandalum, piique viri dedecus.

Attamen Ruffinum (in ejus laudem dicendum est) istud studium prudentissime Hieronymi amicis ac discipulis, quam-

vis frustra, obtulisse probatur; cum in Libro I. n. 18. circa codicum discrepantiam, speciatim in Libris *Periarchon* inquit: « Quod si hoc in meis litteris invenisset, (queritur Ruffinus de versionis suae interpolatione) et vere scrupulum ex ipsa lectione cepisset, cum sicuti ipse nosti (Aproniane) Romae positum haberet praesentem, continuo utique perquisisset; et ipsa ad me scripta detulisset: quippe qui usque ad ipsum tempus etiam videre me et salutare, et in oratione communicare solitus erat; contulisset sine dubio mecum de his, quibus videbatur offendi: inquisisset, quomodo a me fuisset prolatum, quomodo haberetur in graeco etc. » Et sane si Ruffini propositionem accepisset Hieronymus, collatione inita codicum *Periarchon*, quos uterque legit, vertitque, contentio quievisset: et Origenis fama ab eo usque saltem in Occidente mansisset incolumis.

Sed quod tunc non videtur impletum, modo mihi liceat in arenam descendenti, quaestionem de hac re instaurare, accurate expensis, de quibus inter se decertarunt Hieronymus et Ruffinus, praecipue in iis, quae excussa sunt in citatis *Periarchon* libris, adjectis quae ex recentiorum criticorum studio utiliter obtineri possunt.

Interim repetantur, quae superius ex Libro I. scripsit Ruffinus contra Hieronymum ob ea Origenis verba: *non tibi statim impium vel absurdum videatur, quia sicut Filius Patrem non videt; ita nec Spiritus Sanctus videt Filium,* ita ab ipso Hieronymo versa aliter ab interpretatione Ruffini. Et ob hoc, ultimum vidimus secura mente et alacriter pugnare pro integritate codicis ac Origenis sensu contra alterius expositionem, ac amplius eos corripientem, qui suam mutilarunt versionem, ea inserentes quae ipse non legit in graeco originali eorum librorum, nec vertit, nec scripsit. Quocirca dicit, eos ita fecisse, ut majus dedecus sibi obveniret ex adversariis suis ob hanc translationem; ideo amplissimis ostendens argumentis, ea esse suae versioni a falsatoribus intrusa. Et quamvis codices graeci, quos ipsi (Hieronymus aliique) prae manibus habuere, eam lectionem exhiberent: nullimode tamen ait Auctoris sensui convenire, neque ipsius doctrinae accommodari, quam alibi tradidit, uti superius a me patefactum est ex Libro I. *Periarchon* c. I. n. 8.

Ceterum satis constat, Ruffinum, adversariis eum de falsatione textus Origenis redarguentibus cum respondisset, *quia nec quidem verum dicunt,* apertissime indicare, nihil se mutasse de codice graeco: ac ideo, ubi Origenis hostes ipsum impietatis criminabantur, ibidem ex adverso tanquam pium et catholicum ejusdem nomen eminere. Et id non ex Ruffini emendatione codici inlata, sed ex ejusdem codicis genuina et authentica lectione. Si namque dicit Ruffinus se alibi quaedam ex originali graeco commutasse ob proximam antithesim, in quam sensus offendebat, in citatis verbis pariter, quam introduxisset correctionem, non mentitus esset. Attamen ipse ait *quia nec quidem verum dicunt*, asserentes, me aliter interpretatum esse, quam fons graecanicus praeferebat. Quapropter ne mendacii reus fiat Ruffinus tam in confessione sua tam in versione praefati testimonii, concludendum est, codicem, quo usus est atque in latinum transtulit, praebere sensum veluti ipse prodidit, ac varium penitus ab eo, quem adversarii contra eum ostentabant.

Verumtamen fatendum est, Ruffinum, postquam ob hanc praesumptam falsationem, hostes suos illusionis insimulaverit, subdidisse : *Sed tamen ponamus, quia sic est in graeco.* Transit Ruffinus ad alteram quaestionem, qua adversarii in eum institerant dicentes in graeco ita se habere, in textu scilicet a Hieronymo verso : « *Sed tamen ponamus*, inquit, *quia sic est in graeco et in latino non scripseram.* Quid ergo cruendum est? fortasse talia revera cogitasse, scriptoque commisisse Origenem? Nequaquam. Adeo namque ex contextu Ruffino persuasum fuit, hujuscemodi impietatem eloqui nequivisse Origenem, ut desierit quoque a quaestione de eo, quod Hieronymus quique cum eo foederati tenebant, sic reperiri in graecis exemplaribus, quin tamen, quod Ruffinus praemiserat, contrairet.

Etsi, ipse ait, codices graeci hanc praeferant lectionem ab ea variam, quam tradidi; nihilominus necessario in Hieronymi exemplaribus, neque vero in iis quae transtuli, statuendum est irrepsisse interpolationem : « Quatuor libri, subdit n. 18. sunt isti, quos interpretatus sum; in quibus de Trinitate sparsim per singulas pene paginas disputatur. Re-

legantur universa, si usquam talis aliquis de Trinitate inventus fuerit in interpretatione nostra sensus, qualem in isto capite calumniantur; tunc demum credatur etiam hoc eo sensu, quo isti confingunt, esse prolatum. Si vero per omne librorum corpus nusquam sit illa differentia Trinitatis, nonne vesanum stultumque pariter commentum est dicere, quod uno solo capite haeresis confirmata est ab eo, qui eam mille capitibus expugnaverit? »

Praeterea admissa Hieronymi versione, quemadmodum superius notavit Ruffinus, ubi nexus sermonis? ubi totius consonantia argumentationis juxta thema principale Origenis? Quomodo stat illatio: *sicut Filius non videt Patrem; ita nec Spiritus Sanctus videt Filium*? cum de Spiritu Sancto non intendatur sermo; sed de Filio tantum, *qui est imago invisibilis Dei;* et in hoc testimonio versatur Origenis studium? Si enim admittatur interpolatio, ut in codice Hieronymiano legitur; tunc praecipuum Origenis argumentum non de Patre versaretur, nec de Filio, sed videretur in Spiritum Sanctum referri, quod omnimode a termino quaestionis abhorret. Tandem, ut summatim dicam, a principio hujus capitis ad exitum usque, sive velis, sive nolis, aut in ordine dogmatis, seu in ordine sermonis, sive quavis de causa, uti spurius foetus, de qua agitur, pericope reputanda erit, ideoque nullius momenti contra sinceram Origenis de Trinitate confessionem. Ac novissime concludendum, Hieronymi codicem in loco citato corruptum pravatumque fuisse, non tamen ab eo, verum a manu perfida: quam Hieronymus non sensit. Quod tanto viro Origeni contulit vituperium sicuti contentionum praesentibus posterisque fomitem.

Quod autem apertissime ostendimus de falsatione codicis Hieronymiani in praefata sententia *quod Filius non videt Patrem*, item dicendum est de altera interpretatione verborum, quam profert Hieronymus ex Origenis ore *Filium* dicentis *quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit et Spiritum Sanctum inferiorem Filio in sanctis quibusque versari* etc. Si enim ambo interpretes codices suos una collatos accurate expendissent, codicis et versionis Ruffini probata et servata fide, interpolatum codicis sui textum et inde versionem suam

abjecisset Hieronymus, quippe Auctoris non respondentem menti. Quae vero ex opposito latine vertuntur a Ruffino ex Libro I. c. III. *De Principiis*, iis consonant, quae citantur a divo Pamphilo in Apologiae capite IV. Qui quidem, ut antea dixi, graecanica Origenis manuscripta adversariis tunc suis opposuit, calamo exarata fideli; et unde calumnias in Auctorem excitatas dissipare conatus est. Quod testimonium cum s. Martyr fideliter exegisset, Ruffinus deinde pari fide et studio graecam Pamphili Apologiam latine vertens, genuinam tradidit: ex quo illatio subit de manifestissima codicis Hieronymi corruptione.

Verum quoad has interpolationes, libris Origenis furtive insertas, facit quoque Apologia Joannis Hierosolymorum episcopi; qua hucusque desiderata, nonnulla tantummodo manent in Libro, quem contra eum de Origenis erroribus edidit Hieronymus. Quivis enim quae ex ipsius ore tradit s. Doctor, sensum investigarit, etsi ubique Joannis dicta exagitet Hieronymus, eumque Origenis sectatorem, et quidem ipsius praesumptis erroribus vocet participem; validissimum tamen argumentum nobis praebet de falsatione Operum Auctoris, praesertim *in Periarchon*. Quas falsationes uti genuinos sensus existimans Hieronymus, eosque cum suo Auctore damnans, Joanni exprobravit, quod suam pro Origene Apologiam quaquaversus, misisset, et Romam usque, ut romanorum sacerdotum animos praeoccuparet.

Et ideo ait Pammachius Hieronymo scribens: « multorum animos in diversa distractos fuisse, alios Salamini, idest Epiphanii, aliis hierosolymitani episcopi, Joannis nimirum causam defendentibus. » Praenotandum vero est, a Joanne conflatam Apologiam, ut Epiphanio respondens suaderet, se non esse origenistam, nec praesumptorum Origenis errorum vindicem, veluti illi inconsulto exprobravit Epiphanius, in ipsa Epistola, asserens illas in Deum blasphemias, ceterosve errores reperiri in Libris *De Principiis*: *et ita locutum esse Origenem*. Et hic revera, hic sane lapis offensionis et petra scandali, quo irruperunt et Epiphanius, et Theophilus, et Hieronymus. Ast ad Apologiam Joannis revertamur; quam etsi Hieronymus parvipendat, tamen operae pretium existimo,

plura ex hoc Hieronymi Libro lectoribus objicere, satisque apta argumento.

In primis queritur s. Doctor, cur Joannes nonnullis tantummodo Epiphanii criminationibus responderit. Deinde defensionis ipsius Joannis, fideique suae professionis verba scrutatur Hieronymus. Ac interim n. 8. enumeratis Origenis erroribus, quibus suspectus fuit Joannes, huic adjicit Hieronymus: « Dic mihi, disputator egregie, de octo capitulis, ad quae responderis, paulisper de ceteris taceas; prima illa blasphemia, quod *nec Filius Patrem ; nec Filium possit videre Spiritus Sanctus*, quibus a te telis confossa est? *Sanctam*, inquit Joannes, *et adorandam Trinitatem ejusdem substantiae et coaeternam, ejusdem gloriae et divinitatis credimus, anathematizantes eos, qui grande aut parvum aut inaequale, aut visibile in Deitate Trinitatis quidquam loquuntur. Sed sicut incorporalem invisibilem, et aeternum dicimus Patrem, sic incorporalem, invisibilem et aeternum dicimus Filium et Spiritum Sanctum.* »

Haec eadem verba summatim ex eodem Origenis capite decerpta sunt, ubi intextum est illud blasphemum dictum; *Filius non videt Patrem* etc. quod quidem siluit Joannes, cum non reperisset in suo codice graeco. Ideoque non erat Hieronymo aegreferenda talis Joannis obtestatio, uti non satis apta ad ventilandam imputationem sibi ac Origeni irrogatam, quasi uterque in hoc ab Ecclesia Catholica dissentiret. Non enim respondit nec excussit Hierosolymorum episcopus, quae non legit in codicibus *Periarchon*. Ideoque Hieronymus frustra culpat Origenem et cum eo Joannem ob praefatam sententiam quod *Filius non videt Patrem* etc. cum patentissimum sit, ipsam haberi interpolationem; proindeque Hieronymum nullo jure nuncupatos viros arianos fecisse liquido constat.

Praeterea ex eodem libro advertenda sunt, quae in ecclesia Hierosolymorum coram populo loquebatur Epiphanius contra suppositos Origenis errores una suadens Joanni Episcopo ut Auctorem suosque errores condemnaret. Cui respondit Joannes, se et populum suum eamdem tenere fidem, quam Epiphanius profitebatur, quamque item populo suade-

bat: « *Quum* (inquit Joannes in sua Apologia) *et nos quadam die ante eum (Epiphanium) loquuti essemus, et praesens lectio (Evangelii) provocasset, audiente illo et universa ecclesia, de fide et omnibus ecclesiasticis dogmatibus haec locuti sumus, quae et semper et gratia Dei indesinenter in Ecclesia docemus et in catechesibus.* »

Ex his verbis cum sincere professionem suam protulerit Joannes, nobis quoque praebetur argumentum, ut dicatur, ipse cum tota Hierosolymorum ecclesia, quamvis Origenis defensor, eamdem tamen fateri fidem, quam universim christiani tenebant. Unde subsequitur, nec Origenem diversa nec contraria docuisse in suis operibus, ac ideo in vanum laborasse Epiphanium, ea edisserendo, ea inculcando, quae Hierosolymitani fideles cum suo episcopo pie profitebantur. Et merito sane Joannes ipse in sua Apologia adjecit: « Quum haec praesente Epiphanio locuti essemus; et ipse post nos honoris causa, quem ei super omnem mensuram exhibuimus, provocatus esset, ut diceret: praedicationem nostram laudavit, atque miratus est; et catholicam fidem esse omnibus declaravit. »

Verum pergens Hieronymus verba Apologiae scrutatus siquid in Joanne reprehensibile reperiret, nobis amplius argumentum praestat de sincera istius fidei professione; ac insuper, quod sane mirum est, indicat quoque, ipsum nec legisse nec interpretatum esse in libris Origenis sphalmata, ob quae ab Epiphanio reprobatur sicuti ab ipso Hieronymo et Theophilo. In quo ego quam maxime laboro contra eosdem, qui sicuti et ceteri, zizania a genuinis Adamantii seminibus secernere omiserunt. Ita namque n. 15. inter alia profitetur Joannes: « Angelos non constitisse natura immutabili, sed mutabili, quia mutati sunt; et ex propria dignitate et gloria magis in daemonum ordinem abiisse cognovimus. Animas vero hominum ex angelorum ruina, aut ex conversione fieri, neque credidimus aliquando, neque docuimus (absit enim); et alienum hoc esse a praedicatione ecclesiastica confitemur. » Et hac interim obtestatione Joannes se et Origenem sincerae fidei patronos constituebat.

Attamen n. 17. instans Hieronymus, ut cogat Joannem fateri, quod Origenes animas humanas ex angelorum ruina substitisse docuerit: « Detestaris eos, (ait ei Hieronymus) qui animas ex angelis asserunt fieri, et illorum ruinam nostram dicunt esse substantiam. Noli dissimulare, quod nosti, nec simplicitate, quod non habes, fingere. » *Nec Origenes* (respondet Joannes) *unquam dixit, ex angelis animas fieri; quum ipsos angelos nomen esse officii doceat, non naturae.* » Siste gradum, lector benevole, et vide quanta sollicitudine Hieronymus petat ab Joanne ne dissimulet, sed fateatur, Origenem in citato opere *De Principiis* potissimum: « dixisse angelos et thronos et dominationes et potestates et rectores mundi et tenebrarum, et omne nomen, quod nominatur non solum in praesenti seculo sed et in futuro, animas esse eorum corporum, quae vel desiderio, vel ministerio susceperint etc. » Quae commenta et quidem absurdissima nunquam dixisse nec somniasse Origenem superius et frequentius patentissimis argumentis probatum est, neque inde libris suis inseruisse: proindeque nec Joannem legere potuisse, quae Origenes non scripsit; quum aliter et penitus contraria scripto mandaverit Adamantius et quidem prope catholicum sensum. Et haec Joannes ipse objecit Hieronymo; quaeque suo loco ex integro Ruffini textu graeco et versione illustravi.

Nihilominus s. Doctor ab his interpolationibus et falsitatibus, quibus sui inferti erant codices, non satis cautus Apologiam ejusque Auctorem, Joannem denuo ac Origenem insimulaturus instat, frustra laborans in iis, quae uterque nec sensit, nec putavit de creaturis rationalibus, veluti antea dictum est. Quod item repetendum est de iis, quae in fine hujus Libri Hieronymus contra eumdem Joannem excitat circa Resurrectionis dogma, ubi, ipsum et cum eo Origenem damnare conatus est, quasi aliter ab Ecclesiae doctrina docentes, praetexens nunquam Joannem in ea disquisitione dixisse *corporis resurrectionem*, sed *carnis*: quando, subdit Ruffinus de eisdem accusatoribus, *corpus humanum aliud nescio quid fingebant esse quam carnem.*

Ut porro constet quam merito hanc distinctionem ceu sensu vacuam spreverit Ruffinus, audiantur quae ideo ait

s. Pamphilus in capite VII. Apologetici adversus Origenis calumnias: « Sed ostenderunt se, scribit, ne haec quidem intelligere potuisse obtrectatores ejus, quae ille ab aliis non recte dicta coarguit; et quae sunt, quae ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam retundánt, qui dicunt eum, corpus quidem resurgere confiteri, carnem vero negare. » Istud autem stuporem non modicum provocat, dum novimus, adversariorum quosdam Origenem vellicare, quod docuerit corpus resurrecturum, carnem vero nequaquam: Hieronymum vero ex illis unum reprobare Joannem Origenis defensorem, quod dixerit carnem resurrecturam, corpus vero nequaquam. Et quo tandem confugiet vir innocuus?

De reliquis, quae pro Joanne et Origene hic edisserenda forent, satis fiant. Alibi ex hujus operibus excussa sunt, ac praesertim in libris contra Celsum, ubi ipsius fides de corporea resurrectione plane recto dogmati concordat. Et sic de ceteris dicendum interpellationibus; quibus etsi, uti velit Hieronymus, haud seorsim respondeat Joannes; tamen summatim ibi capitur, omnes devolvisse et confutasse, suam ac Origenis eamdem ostendentem fidem, uti Epiphanius coram se et in fidelium concione docebat; ac ideo quod s. Epiphanii zelus sicuti et Hieronymi intendit pro fidei rectitudine erga Joannem episcopum, ut ipsum suosque pariter a tramite dogmatum Origenis abducerent, nec ipsum episcopum nec alios presbyteros Hierosolymorum nec fidelium coetum pertingere. Non enim ipsi Origenis (quorum Auctorem ipsum criminabantur) profitebantur errores: nec Origenes apud eos, quibus praeerat episcopus, in suspicionem advenit haereseos. Quare omnibus patet, praesumptos errores non Origeni committendos, ast suorum corruptoribus et falsatoribus operum; quibus ambo Epiphanius et Hieronymus inscii ac nolentes praestiterunt fidem: et unde praeclarissima ipsius Origenis fama, in ignominiam versa est omnem discurrentem orbem.



CAPUT XI.

In eadem quaestione, Theophili, Hieronymi et Epiphanii imminuitur auctoritas: et ex adverso Ruffini et Joannis hierosolymitani sententia roboratur pro integritate doctrinae Origenis.

Post haec pergentes in praefatorum virorum contestationum examen, eo incidimus, ubi ex praesumptis erroribus Ruffinum reprehendit Hieronymus in Libro II. n. 15: « Quamvis, inquit, de Eusebii libro multa subtraxerit, et in bonam partem de Filio et de Spiritu Sancto nisus sit commutare; multa tamen in illa (Apologia nempe s. Pamphili pro Origene) multa in illa reperiuntur scandala et apertissimae blasphemiae. Dicit Eusebius, immo ut tu vis, Pamphilus in isto volumine, Filii et Patris ministrum Spiritum Sanctum non de eadem Patris, Filiique substantia; animas hominum lapsas esse de coelo, etc. » Quae desiderata in versione Ruffini dicit Hieronymus, mutata ab eodem, seu omissa. Sed, cum venia s. Doctoris, quomodo haec fieri potuerint? Nota sunt primo, quae praemisit Ruffinus hujus Apologetici versioni, asserens, se nihil de graeco Martyris exemplari variasse. Secundo, qua ratione fieri potuisset, ut Ruffinus Origenis in Spiritum Sanctum blasphemantis verba mutarit ab eo, quod in sua Apologia s. Pamphilus ex volumine *De Principiis* et ex graecis codicibus genuine obsignarat? Tunc enim s. Martyr fidem Auctoris catholicam propugnans de sanctissima Trinitate, ipsius sensus haereticos, impiosque de eodem mysterio objecisset accusatoribus Origenis; eisque convenisset, eumdem Origenem vere in Deum impietates, et praesertim in Spiritum Sanctum admisisse, ceteris ejusdem comprobatis erroribus. Quam rem abnuit sensus logicus.

Tertio in hanc emendationis hypothesim, a Ruffino scilicet expunctam fuisse istam in Spiritum Sanctum blasphemiam, facit quod tradit Photius de Anonymo graeco; qui Eusebii et Pamphili auctoritati innixus, nihil ait Origenem errasse in eo, quod attinet ad dogma de Trinitate. Si Ano-

nymus (qui certe non Ruffini interpretationem legerat, sed Pamphili codicem graecum) scriptum in Apologia reperisset, *Spiritum Sanctum Filii et Patris esse ministrum*, et insuper *nec ipsum de eadem Patris et Filii esse substantia*: quo jure dixisset, Adamantium recta et catholice sensisse de Trinitatis mysterio? Quarto, si, ut ait Hieronymus, Eusebius aut Pamphilus in codicibus Origenis legissent hanc de Spiritu Sancto impietatem, ceteraque fabulosa commenta (de quibus supra disputatum est) ac proinde ex his Origenem catholicum pronunciassent, eos insanisse dicendum foret. Attamen nisi de Pamphilo, certe quoad Eusebium, qui plures edidit libros, nullibi talia ipsum reperitur docuisse de Spiritu Sancto, de animabus e coelo lapsis, de angelis in homines commutandis et sic de similibus erratis, quorum auctor insimulatur Origenes. Fallitur ergo Hieronymus in hoc sicuti in ceteris, quae ex falsationum libello eruerit adversus Origenem et hujus patronos.

His hucusque sedulo expensis circa codices graecos Origenis (quibus operam dedit Joannes Hierosolymorum episcopus in Apologia tam pro sua quam Origenis ipsius fide juxta statuta nicaena) quos, et maxime *Periarchon*, discurrens, nihil ibi invenit pravorum dogmatum, unde Theophilus, Hieronymus, et Epiphanius Origenem repetebant haereticum; congruenter huic quaestioni animadvertenda et enucleanda sunt, quae Ruffinus in Prologis versionis praefatorum librorum notavit circa quarumdam elocutionum emendationem, quam iis tantum intulit de divinae Trinitatis mysterio versatis. Cetera vero de creaturis rationalibus et similibus vertens, reliquisse, sicuti in codicibus habebantur, dicit et testatur, sive vera, sive falsa expressisset Auctor. De hac porro emendatione quater mentionem agit Ruffinus, bis in Prologis citatis, ac bis in *Invectivis* contra Hieronymum. Ubi aliqua instaurasse, inquit, quae sibi et Origenis menti et in eodem loco contraire, aut minus aedificationis habere in fide videbantur.

Ideoque, quamvis nobis arduum sit definire qualia et ubi corrigere, seu praeterire visum sibi fuerit vel uti contradictoria, minusve aedificantia: tamen numero paucissima ac de

sola Trinitate sphalmata ipsum reformasse Ruffinum liquet. Paucissima dixi, relate ad ea plurima variique generis peregrina dogmata et de Deo, de Redemptore, deque creaturis rationalibus ab Hieronymo Ruffino objecta, uti genuinos Origenis sensus e *Periarchon* delectos, adeo ut et ipse Ruffinus miratus sit, cum ex citato libello comprehenderit tanta absurda. Quae quidem obtestatus est se non legisse in codicibus graecis, quos ipse consuluit et interpretatus est.

Insuper, si revera blasphema verba reperisset Ruffinus in codicibus, qualia supra citata sunt, non dixisset quodammodo dubius, se nonnulla reformasse, quae menda *sibi videbantur*, *aut minus aedificationis habere*; sed ulla absque ambiguitate sermonis, toto animo totisque viribus asseverasset, libros *Periarchon* continere haereticos sensus, impia dogmata eousque inaudita adversus Deum Patrem, Deique Verbum et in Spiritum Sanctum, sicuti alias hujus generis extravagantias de Christo Redemptore, ejusdemque regno, de mundo, de angelis, de animabus etc. quae sane Ruffinum haud latere potuissent, quantum a fide apostolica abhorrerent.

De reliquo patet, praefatos Operis *De Principiis* codices, quibus martyr Pamphilus Origenis Apologeticum ingenue adornavit, ab omni corruptionis labe adhuc servari immunes; hosque uniformes legisse postea Joannem hierosolymitanum, unde suam et Ecclesiae Palaestinae orthodoxam comprobavit fidem contra Epiphanium et Hieronymum; obtestatus coram istis, se suosque ante illud tempus nec legisse in manuscriptis Origenis, nec audivisse unquam errores, de quibus culpabatur. Quamobrem Auctoris catholica fides magis contra adversarios adstruitur; ac malitia detegitur interpolatorum in ejusdem adulterinis editionibus compingendis, vel in libellis tales capientibus errores, undique postea sub ipsius Origenis nomine vulgatis.

Et si de hoc vis luculentissimum exemplum, legas quid ait Theophilus in Libro *De Oratione*, pessumdata Origenis mente per ea verba: *non esse orandum Filium*, *sed solum Patrem*, cum apertissime et ex textu graeco et ex sermonis nexu Origenem probatur juxta catholicum sensum locutum esse. Profecto si Theophilus et cum eo Hieronymus graecum

De Oratione librum legissent, non sic hujus corripuissent Auctorem. Et quid eo evidentius quam quod frustra accusatur in Origene, quasi Deum dixisset corporeum? Neminem arbitror fore, qui ex supra allatis testimoniis hanc blasphemiam Origeni adscribere audeat.

Porro ob hanc Theophili et Hieronymi incuriam, haud absonum reputo illud quoque addere, quod scribit Hieronymus ipse in Libro I. n. 6. adversus Ruffinum, excutiens quae praemisit in Prologo versionis suae circa nonnullas emendationes exactas in codicibus graecis, ubi sibi corrupti videbantur; et id tantum in tractatu de divinis Personis: « Cetera autem, addit s. Doctor, dogmata de angelorum ruina, de animarum lapsu, de resurrectionis praestigiis, de mundo, de mundis Epicuri, de restitutione omnium in aequalem statum, et multo his deteriora, quae longum esset retexere, vel ita vertisse, ut in graeco invenerat, vel de Commentariolis Didymi, qui Origenis apertissimus propugnator est, exagerata vel firmiora posuisse, ut qui in Trinitate catholicum legerat, in aliis haereticum non caveret. » Nihilominus, quemadmodum superius singillatim de his disputatum est argumentis secundum Ruffini versionem sincere exactam, et ex sinceris fontibus erutam (saltem ubi agitur de creaturis rationalibus) nihil invenimus reprehensione dignum, sicuti nec qui Hieronymo praecessere, Patres s. Pamphilus, et Didymus alexandrinus: quique accuratam navarunt operam in his expendendis *Periarchon* libris. Ideoque nescio unde Hieronymus in eadem Ruffini versione tot sensus haereticos repererit.

Sane quae ex suo codice graeco vertit ac interpretatus est Hieronymus haeretica et impia habebantur; quae vero Ruffinus tradit non sic. Quamobrem sequitur, aut Hieronymum non legisse Ruffini latinam translationem, aut si legerit, sensum interpretis sicuti et Auctoris ignorasse; vel distinctionem non animadvertisse suae cum alterius versione intercedentem; seu haeretica fecisse Hieronymum, quae tamen dogmati catholico non adversabantur; seu tandem Ruffini traductionem judicasse ex sua de codicibus falsatis interpretatione. In quo judex adesto, qui legis.

Verumtamen circa hanc Ruffini emendationem in codicibus graecis *Periarchon* (quibusdam, ut ait, mutatis) sive veri haberentur errores, aut amanuensium incuriae aut dictiones ambiguae, uti conjici licet ex ipsius sermone, quanto jure haec providisset, ut integra Origenis de Trinitate fides pateret, nobis adstat testis saepius memoratus s. Pamphilus. Is enim calumnias dissipaturus contra Origenem, quasi male sensisset de divina Trinitate, sicuti in ceteris, de quibus postea, nunquam se in eodem Opere, seu potius in codicibus graecis, fortasse ipsius calamo Origenis exaratis, quidquam erratum reperisse significavit; nec falsatos eosdem fuisse dubitavit, neque suspicatus est. Sed aliud fuit s. Martyris studium, malentis inde infamiam sustollere tunc in mundo invalescentem sive per sermonem, seu per libellos, quasi impia locutus fuisset Origenes, his ideo et illis vario genere vulgatis erroribus. A quibus totis viribus ostendens Pamphilus abhorruisse Origenem, sibi admodum suffragantibus genuinis Auctoris libris, quos propria manu devolvit sedulo meditatus, non adeo elaboravit, ut errores argueret, seu emendaret, quos admisisset Adamantius, aut furtive ejusdem insertos libris. Sed nihil ejusmodi indicans Pamphilus, solummodo studuit, ignominiosis obtrectationibus confutatis, integerimae ejusdem fidei servare decus. Hominis, inquam, qui totum seipsum Ecclesiae Dei dicavit, spiritu et corpore, die noctuque ad septuaginta fere annos christianum nomen ab infidelibus mendaciis vindicavit: irrumpentes repressit haereses, devios a veritate retraxit, et de persecutorum violentia triumphavit. Quotquot enim percurrit Pamphilus de rebus diversis argumenta ab Origene pertractata, inde plura eruens suam adornavit Apologiam, nullum de interpolatione codicum origenianorum, quos ipse legit, monitum adjecit.

Ea autem patent ex ipsius Martyris sermone Praefationi inscripto, obtrectatoribus Origenis respondentis : « Quod ita, ait, nobis prosequi rectius visum est, ut non nostris verbis assertionibus defensionem paremus, sed ex suis propriis vocibus; quibus ipse aliena sibi haec esse, quae isti objiciunt, proprio sermone testatur, idest *omne quidquid praeter fidem catholicam praedicatur*. Quia si nostris verbis haec asserere

velimus, suspiciosum videri forte posset, eo quod nos amore ejus, siquid ipse prave senserit, celaverimus. Ubi autem ejus ipsius, qui accusatur, vocibus utimur, et ad omnes objectiones accusatorum, suis verbis eum, non nostra assertione defendimus, quae ultra relinqui potest criminationis occasio; saltem his ipsis, qui non veri studio, sed velut libidine quadam culpandi semper agitantur? » Deinde concludit nihil pro defuncto firmius valere, quam ejusdem litterae et scripta. Itaque cum criminationes in eumdem, ait, maxime versentur circa libros *De Principiis*, ex ipsis colligit Pamphilus testimonia contra accusatores Origenis, nihil addens de horum librorum falsatione. Hoc item s. Martyr recenset paulo post tum de hoc Opere, tum de ceteris ejusdem scriptis.

In his tamen, quae ait Ruffinus circa quorumdam ex Libris *Periarchon* dictorum emendationem, quae sibi videbantur vel contraire contextui sermonis, vel minus in fide habere aedificationis, si mihi liceret dubia Ruffini ejusdem interpretari, dicerem tales *Periarchon* codicem graecum errores continere minus ex amanuensium incuria vel ex quopiam interpolatore introductos, quam potius ex ipso graeco dictamine relate ad argumenti difficultatem; uti ipse fatetur in Prologo, ideo dicens hos libros *obscurissimos et difficillimos;* et hinc absurdum esse, ea, quae in his tractantur libris, sine magistro et explanatore putare aliquem posse discere, praesertim in tractatu divinae Trinitatis. In quo, graecorum vocabulorum usum, quibus illud repraesentatur mysterium, nemo est qui ignoret pro loci, et temporis et hominum conditione, quibus scribebat Origenes, quaedam posteris ingerere dubia potuisse, maxime latinae linguae viris, in quibus Ruffino; in transferendo videlicet hujusmodi graecas locutiones, quarum notio potius per traditionem hominum illius linguae et quidem Scholae alexandrinae, quam per seipsas distingui potuisset. Et eo magis hoc asseram, quod ipse Didymus illius Scholae praefectus, etsi graecus, tamen inspecta *Periarchon* obscuritate, non nisi per commentarios, doctrinam horum librorum excussit, non confutando, sed explanando quae latebrosa videbantur; uti amplius ipsi Ruffino visa fuerant.

Quae autem de Ruffino diximus, dici nequit de s. Hieronymo; cujus codex graecus *Periarchon* ab ipso latine translatus, ab initio ad finem falsatus erat ab haereticis; ita ut quae Origenes pie et orthodoxe in his libris scripsit adversus marcionitas, valentinianos et basilidianos, in sensum contrarium versa sint; suoque nomini inscripta dogmata, ad quae expugnanda in hoc Opere studiose contendit et sincere veritatis vindex: et ut ab initio dicit, adversus errantes dimicans, apostolicae et ecclesiasticae traditionis manu ductus.

His igitur praemissis de conditione codicum origenianorum, quos consuluit et transcripsit s. Pamphilus, et eorum quos legit, vertitque Ruffinus, ubi is nonnulla visus est falsata comprehendisse, praesertim de Triade sacrosancta, ad propositum revertamur, varietatem considerantes codicum et Ruffini et Hieronymi in ceteris variisque quaestionibus discussis. Si enim de s. Triade nihil sincerae Ruffini versioni obfuit quarumdam expressionum instauratio ut ista alteri Hieronymi translationi praeferenda existimetur, quid nobis dicendum erit de ceteris tractatibus, et praecipue de naturis rationalibus; in quibus Ruffinus ex graeco latine transferendis se nihil mutasse obtestatus est? Oh utinam, denuo dicam, ambo pro contestationibus a longe mutuo factis, una convenissent et Hieronymus et Ruffinus, textum graecum utriusque codicis, quo uterque separatim usus est, collaturi! Tunc sane s. Hieronymus comprehendisset, atque indubias compertasque habuisset codicis sui, quem latine vertit, interpolationes, corruptiones, falsationes, arbitrarias et ulla absque discretione expletas interpretationes cujusdam graeci glossatoris et quidem malae fidei, qui omnimode librorum Origenis verba pervertit et sensum. Profecto, inquam, de hoc gravi negotio in unum factis Ruffino, Theophilo, Hieronymo et Epiphanio, ac codicum et versionum cujusque eorum varietate inspecta, praeter eas, quas spurias statuimus de Deo Patre, et Filio et Spiritu Sancto blasphemias, quas unquam ne mente quidem revolvit Origenes, in ceteris quoque haud minoris momenti, totidem falsitates praefati viri invenissent, libris *De Principiis* insertas, tanquam ex opere perfidiae emanantes; et quas ubique penitus reprobavit Auctor.

Et ut seorsim has censeam criminationes; novissent inquam falsissimam accusationem Origeni irrogatam, quasi Deo coaeternam docuisset materiam. Item evidentissime falsum, Origenem credidisse, terminum quandoque Deum poenis daemonum ac reproborum apud inferos definiturum, ob illud regenerationis seu restaurationis genus accurate comprehensum. Similiter non eos latuisset, immerito ipsi Origeni adscriptam fuisse opinionem de animabus e coelo lapsis ob peccata, tanquam a charitate Dei frigescentibus, ac ideo corpori ad poenam illigatis; sicuti et alteram praefatae consequentem sententiam quasi ipse nuptias damnasset. Pariter falsissimum quod e suis sermonibus commenti sunt de animarum ascensu et descensu; de secunda in coelis Redemptione. Similiter intellexissent, Adamantium nunquam dixisse nec somniasse quidem de natura hominum et angelorum mutanda, adeo ut et homines in angelos, et angelos in daemones, ac daemones in homines vicissim transformandos esse putaret.

Item gratis assertum contra Origenem percepissent, quasi ipse resurrectioni corporeae mentitus sit; docuissetque, corpora nostra aerea, sive orbiculata futura in resurrectione, et similia de hoc argumento paradoxa. Pari ratione manifestissime falsum, comprehendissent, Auctorem artem magicam admisisse, sicuti et mundorum pluralitatem, et animarum creationem per traducem, earumdemque corporibus praeexistentiam. Praeterea mendacem interpretationem probari, quae, contortis ipsius verbis, ei adscripta fuit de tunicis pelliceis, quibus protoparentes induti sunt post peccatum. Nullimode insuper culpandum Origenem, quod nimium philosophiae platonicae obsecutus esset, eamque divinae Bibliorum auctoritati praetulerit; et sic de ceteris, quae ex his praemissis, uti consectaria derivant; a quibus sincerus Auctoris penitus abfuit animus, quinimmo aversatus est.

Et post haec omnia, mutuis querimoniis sedatis, dexteris porrectis, junctisque suffragiis, Hieronymus cum Ruffino, Epiphanius cum Joanne hierosolymitano, Theophilus cum Chrysostomo, ac cunctorum hinc inde stantium studiis una convenientibus, Origenis innocentiam, pietatem, fidem ab improborum injuria vindicassent. Ac tandem s. Hie-

ronymus plene ab eo, in quo versabatur, errore exemptus, atque ad pristinam opinionem reversus, obtestatus fuisset, suam ad Avitum Epistolam, sicuti et binas Theophili et Epiphanii a se latine versas (quin cetera memorem horum scripta, ubi sparsim instaurantur suppositi Origenis errores) nullum quidem capere verbum, quod jure dogmata Origenis feriret; cum talia eidem adscripta in citatis Epistolis, nec cogitarit, nec senserit, nec multo minus scripto mandarit Adamantius. Verum malevolorum, invidorum, haereticorumque totum fuisse opus improbitati committendum nosset; qui partim textum mutilarunt: alias verborum perverterunt significationem; quandoque istos ipsius latuit mens; alibi adversariorum objectionem cum hujus responso confundentes, haereticorum falsitates tanquam animi sui sensum comprehenderunt; et quas refellebat in Deum impietates, de eisdem eum injuriosissime criminati sunt. Alii philosophorum opiniones ab ipso Origene citatas, uti proprias ipsius inscripserunt. Quae incerta ac modeste tradidit (alios praestolatus, qui melius docerent) uti temeraria ei exprobrarunt. Atque, ut summatim repetam, certa cum incertis miscuere, dubia cum veris. Quapropter qui ad christiani nominis et catholicae veritatis vindicias contra impiorum conamina eximium in scribendo laborem consummaverit, *omnium haeresum condimentarius* nuncupatus est. Et quod, cum adhuc in vivis esset, et post obitum Origenis ad centum quinquaginta annos invidia et improbitas assequi non valuerunt, tandem sub patrocinio Theophili infauste superatum est.

Ac interim, ne recenseam quod ipse Homilia XXV. *in Lucam* ait de iis, qui *tractatus suos criminabantur ob ea, quae nunquam se sensisse profitetur;* argumento nostro satis est divi Pamphili testimonium, plures memorantis Origenis obtrectatores; quorum nonnullos vocat graeci sermonis ignaros; alios ipsius eruditionis capiendae incapaces, multos nescientes ubi, et de quo argueretur. Alii sic dixisse audientes, responderunt; et alii denique sicuti et ingenii compotes, ita et calumniae concinnatores adeo progressi sunt, dicit, ut adversus eum libellos edere ausi sint. Libellos, inquam, libellos sane impietatum promptuarium, qui cum in manus deinde

Theophili et Hieronymi, uti antea dixi, devenerint, zelo christianae fidei permoti, dogmata in his contexta revera falsa et impia, jure meritoque condemnarunt.

Nisi quod minus cauti, hujusmodi falsitatum auctorem haud satis expendentes, virum innocuum et pium, doctrina pariter fideli imbutum, qui secundum veram scientiam in domo Dei incesserat, ac pro veritate perpetuo pugnavit, confuderunt cum quodam seu quibusdam, qui hos errores sive blasphemias sparserunt sub Origenis nomine, ejusdemque auctoritate roboratas in animorum simplicium scandalum, ad pravorum illusionem, cunctorumque fidelium conturbationem. Et quod, stante s. Martyris Apologia, videbatur extinctum, denuo post centum fere annos, defuncti scripta revocantur in discrimen; veteres instaurantur, augenturque corruptiones, interpolationes; novae et arbitrariae suorum operum subsequuntur interpretationes, ita ut nonnulli zizania Origenis superseminata libris, haud segregantes a tritico, omnia reprobarint indiscriminatim.

Et istud quidem extitit perfidiae opus, per quod triumphum egit calumnia, diabolicae fraudis monimentum; libellum dico Origeni creditum, his omnibus, quae supra confutatae sunt et Origeni ipsi abjudicatae, falsitatibus confertum, qui graeco idiomate conscriptus eousque abditus fere, aut inconsideratus manserat, donec Theophili infaustis auspiciis et Epiphanii et Hieronymi opera in lucem apparuit sub Origenis titulo, ac insuper veluti monachorum Nitriae fidei symbolum, unde acerrimae tot partae sunt contentiones, et gravissima in fidelibus scandala. De quo obiter (ut de hoc ipso rursus disputetur, ac utrumque tam de Origene, tam de monachis omnino falsum constet) notare modo placet quid nominati viri prodiderint non tantum de loco ubi iidem instaurati sunt errores, sed et de iis, qui eos propugnasse videbantur. Sic namque scribit Theophilus ad s. Epiphanium.

« Nam Ecclesia Christi, quae non habet maculam neque rugam, aut aliquid istius modi, egredientes de cavernis suis Origenis colubros evangelico ense truncavit; et secundum (alii foecundum) Nitriae monachorum agmen contagione pestifera liberavit. » Item loquitur ad Hieronymum. Insuper in Epi-

stola synodica ad Episcopos Palaestinae n. 1: « Arbitror, ait, quod ante nostras litteras velox ad vos fama pertulerit, quosdam in monasteriis Nitriae Origenis haeresim serere; et monachorum purissimum coetum potione turbida propinare etc.» Subdit deinde Hieronymus, inquiens: «Lustravi monasteria Aegypti, et inter sanctos choros aspides latere perspexi.» Epiphanius denique Haeresi 64. n. 4: « Quod ad Haeresim illam attinet, cujus auctor fuit (Origenes) ea primum fuit in Aegypto propagata; hodie inter praecipuos atque eos maxime viget, qui monasticum vitae genus specie ipsa profitentur. »

Attamen, ut in sequentibus patefiet, *colubri de cavernis Nitriae egressi*, *aspides ibi latentes, contagio eorum pestifera*, *potionem turbidam propinantium,* quibus vocabulis monachi nitrienses vellicantur, non nisi in Theophili somniis inveniantur, et in aestuante illius imaginatione foecundati, praeter omne fas adversus irrumpentis sanctos viros. Qui Origenem piissimum et probatissimum virum honorantes, sicuti universa tunc honorabat ecclesia, sancta ipsius dogmata propugnabant adversus hostium suorum calumnias, et librorum suorum falsatores.



CAPUT XII.

Indiciis manifestis adstruitur praesumptorum errorum Syntagma *ex falsatis Origenis scriptis erutum per orbem vulgatum esse: a quo Theophilus, Epiphanius, et Hieronymus illusi, frustra condemnarunt innocentem.*

Interea nequis dubitet, num revera e falsatis erutum *Periarchon* libris (veluti in secundae Partis Monito praeveni) errorum *Syntagma* extiterit, Origeni inscriptum, et ab aliena manu graece elaboratum, eo usque paucis notum, ac seorsim vulgatum ab operibus genuinis Auctoris, istud hic adstruere juvat, praevia eorumdem maxime Theophili, Hieronymi, et Epiphanii auctoritate. Hi enim revera sunt, qui ex eodem interpolationum fonte bibentes, ostendunt se parum fuisse in disquirendis conferendisque Origenis operibus sollicitos, quam incuriam merito Ruffinus suique asseclae eisdem etsi frustra, exprobrarunt. Ac interea Theophilus *in Epistola Synodica* n. 1. ait: « se, congregatis de tota Aegypto episcopis, pervenisse Nitriam; et coram multis patribus, qui de tota Aegypto convolaverant, lecti sunt libri Origenis, in quibus impio labore sudavit, et consensu omnium condemnati. Nam cum legeretur etc. ».

Hinc intelligas, cum fieri non posset ut Theophilus coram Synodo omnes Origenis libros legeret (ex quo plurima scripsit diuturnaque lectione opus ei fuisset) satis verisimillimum esse, indiculum praesumptorum errorum hinc inde e suis scriptis falsatis collectum, Patribus synodalibus obtulisse; eumque reapse haberi Centonem, de quo supra dixi; cuique magis credidit Theophilus, quam, unde erutus fuerat, sinceris fontibus studens. Eadem porro egit et sensit s. Hieronymus; qui *in Epistola* n. 84. Romam ad Pammachium et Oceanum libros quatuor *De Principiis* latine versos mittens, praefationem apposuit; qua omnes errores eisdem inscriptos, manifestos redderet: et ubi ingenue fatetur, se tunc ideo consilium mutasse de Origene cum antea probe de eo sentiret. Postquam, dico, a Theophilo illusus est ab ipso acce-

ptis insimulationum capitibus adversus Origenem : « Legi Origenem, inquit, et si in legendo crimen est, fateor; et nostrum marsupium evacuarunt chartae alexandrinae. » Idest errorum census Origeni inscriptorum.

Quod amplius firmatur ab ejusdem Epistola ad Avitum; in cujus fine n. 15. haec leguntur : » Quisquis igitur hos voluerit legere libros (*De Principiis*) et calciatis pedibus ad terram repromissionis pergere, necubi a serpentibus mordeatur, et arcuato scorpii vulnere verberetur, legat prius *hunc librum*; et antequam ingrediatur viam, quae sibi cavenda sunt, noverit. » Hinc arguitur, Hieronymum majorem huic libello praestitisse fidem, quam originali, unde transcriptus erat, perfidoque compositus calamo; et in quo omnia conclusa errata legebantur, quae ipsi Doctori visa sunt ab Origene sic scripta, sic tradita, ita ab ipso concepta. Et hunc eumdem libellum teste Cyrillo Scytopolitano in vita s. Sabbae abbatis n. 90. insuper probatur in manus transisse Auctoris Epistolae ad Mennam, easdem praeferentem blasphemias Adamantio adscriptas; proindeque tunc denuo contra ejusdem libros tanquam nefandos instauratum est anathema; uti cuivis constiterit, earum litterarum tenorem legenti.

Quantumvis porro saepe Hieronymus obtestatus sit, se verbotenus Origenis libros *De Principiis* vertisse de graeco in latinum, nec aliquid addidisse, neque dempsisse, graecamque fidem latina integritate servasse; infaustum tamen laborem infaustumque opus dico minus accurate susceptum, in probi viri vituperium, sive libros falsatos consideres sive eorum summarium errorum. Opus, inquam, nec sibi, nec Theophilo, nec Epiphanio satis perspectum fuit, ita ut inter apocryphas, inter spurias falsatorum suppellectiles mandandum esse non senserint. Manifestum namque est, uti in anteactis ostendi, de quadraginta circiter testimoniis ex Opere *Periarchon* excerptis, insertisque Epistolae ad Avitum, atque in hoc libello comprehensis, si studiose dictaminibus conferantur versionis quatuor librorum a Ruffino sincerae, atque super sinceros fontes elaboratae, nullum quidem extare a Hieronymo latine translatum, quod conceptui consonet Origenis, cum praecedentibus cohaereat ac consequentibus. Quinimmo pa-

tentissimam constituit antilogiam nedum cum omnibus, quae vario genere edidit scripta, verum etiam cum ipso eodem argumento, eademque disquisitione de eadem re, in eodem loco, eodemque tempore pertractata; quae, nisi mente captus, dicere haud potuisset Origenes. Et ideo jure (quod valde hujus libelli spurii et existentiam et notam ingerit) Ruffinus, uti in capite praecedenti dictum est, cum ibi legisset tot extravagantias, tot blasphemias, quas quidem non legerat in codicibus Origenis a seipso translatis, exclamasse dicitur, *se eousque ignorasse, talia scripsisse Origenem.*

Praeterea neminem latet, quales inde quaestiones in Ecclesiae Patribus ob has falsationes agitatae sint; dum nonnulli sane moribus pravati et fide, uti Origenis opus ejusque mentem existimarunt quae in eo syntagmate legebantur: quaeque etsi catholico dogmati contraria, nihilominus veluti a tanto viro dictata, accepta ab iis fuisse reputatum est. Cum autem non defuerint tunc, qui Origeni studuere, nequaquam errores ab Ecclesia damnatos defendentes, verum opinati Origenem nunquam talia sensisse nec docuisse, quae dogmatis catholici fundamentum evertebant, de quibus superius actum est, et in Epistolis citantur Hieronymi, Epiphanii et Theophili; ideo isti sub orthodoxorum nomine designandi sunt seorsim ab impietatibus illorum, qui ex schola Marcionis, Basilidis et Valentini oriundi nomen Origenis usurparunt, ut stultitiarum suarum et pravitatum consortem in vulgus proferrent, sicuti ab ipsius aevo factum ostendimus; et de quo ipse valde conquerebatur. Quam sane distinctionem sagaces scriptores sapientissime vindicarunt, tot inspectis viris, qui ejusdem ac sincerorum librorum suorum damnationi restiterint. Quanto porro jure hujusmodi admittenda sit distinctio; et quanta cura opus sit in ejus usu, primum eorum interrogemus historiam, quae facta sunt in monasteriis Nitriae.

Cum enim ibi disputaretur de librorum Origenis proscriptione, steterunt plures, qui a Theophilo vario genere impietatibus in eo libello consertis indicto anathemate, etsi nullimode de earum canonica damnatione dubitarint, valde tamen institere pro persona Origenis, asserentes ipsum nequaquam scripto reddidisse de quibus culpabatur; ast inter-

polatorum illud opus fuisse, seu malevolorum in odium tanti Auctoris, aut aliorum pravis suis obsequentium concupiscentiis et catholicae obsistentium veritati ; contra quos modo nihili interest disceptatio.

Quod autem sane nostra interest, illud extat, tunc reapse adunata Synodo, cunctos Theophili instantiis fideli et concordi animo cessisse, omnibus his, quas opposuit impietates Origeni adscriptas, repudiatis: Origenem tamen harum auctorem firmiter negarunt plures, ideo ejusdem anathemati subscribere renuentes. In quo, quam valde temere egisset Theophilus ulterius expendetur. Quamobrem a Hieronymo mutuati plurium Aegypti monachorum obtestationes de hac re, amplissime in proposito nostro proficiemus tum in vindicando Origenem ab haereseos nota, tum ad amplius, quod aggressus sum, ostendendi studium, tres praefatos viros Theophilum, Epiphanium et Hieronymum falsis cedentes imputationibus, virum innocuum, pium et fidelem haeretici nota insimulasse, sicuti et sanctissimos monachos, qui damnationi restitere. Dicit enim Hieronymus ad Pammachium et Marcellam Epistola 97. Haeresim, quae sibilabat in mundo, auctoritate et eloquentia Theophili oppressam esse. Et paulo post: « En Papa Theophilus tota Origenem arguit libertate haereticum esse : nec illi (qui ei adversabantur in Synodo) nec illi dicta defendunt, sed fingunt ab haereticis immutata ; multorumque dicunt libros similiter depravatos, ut illum non sua fide aliorum tueantur erroribus. »

Insuper in Epistola 84. ad Pammachium et Oceanum obtestationes narrat Hieronymus eorum, qui subscriptioni accedere noluerunt anathematis in Origenis personam lati ; non quod ipsi impia dicta a Theophilo damnationi objecta tuerentur ac profiterentur ; sed quia arbitrati, Adamantium has nedum fuisse impietates locutum, sicuti nec eisdem astipulatum. Scribit enim s. Doctor n. 4 : « Ad subscriptionem (vocati isti) tergiversantur, quaeruntque suffugia. Alius, non possum, inquit, damnare, quod nemo damnavit. Alius, nihil super hoc a Patribus statutum est, ut dum totius orbis provocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantius, quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus

nicaena non tetigit? Quae enim damnavit Arium, damnasset utique et Origenem, si illius dogmata reprobasset. » Hujusmodi responsa et quidem monachorum quos supra nuncupavi, Theophilique adversatos mandato, quisquis, intentis praefatis de hoc argumento discussionibus, studiose legerit, priscorumque animadverterit Patrum testimonia, nec non sole splendidiores interpolationum notas, quas in Origenis scriptis dolose repsisse amplissime ostendi, indubie sentiet, potius contra ipsum Theophilum et Hieronymum, sicuti praemisimus, ea ipsa facere, quam contra Origenem suosque defensores. Et ob hoc quando Cassiodiorus *De Institutione divinarum Litterarum* c. I. inquit, Theophilum alexandrinum triginta quinque sensus Origenis haeretica pravitate distortos catholica veritate convicisse, melius ac jure dixisset: triginta quinque sensus secundum veritatem catholicam ab Origene expressos in pravum sensum a malevolis et perfidis distortos fuisse perspicue convincitur.

Quod autem Hieronymus dicit, in Origenis condemnationem Theophilum admodum (et ego inquam immodice) laborasse et zelo et auctoritate praestantem, eumque primum errantium in Aegypti asceteriis obturasse ora: hoc item de seipso fatetur, cum Theophili ipsius decretis, et quidem incaute, suffultus alibi egerit, et praesertim in Ecclesia occidentali, conatus ut ubique cuncti Origenis libri, et persona sicuti et qui ejusdem videbantur sectatores, pessumdarentur, aversione in ipsos quaquaversus excitata. Cui rei ex ore suo testimonium perhibet adversus Ruffinum scribens in Libro I. n. 12: « Ergo, ait Hieronymus, et epistolae Papae Theophili, et Epiphanii et aliorum episcoporum, quas nuper ipsis jubentibus transtuli, te (Ruffine) petunt, te lacerant. Imperatorum quoque scripta, quae de Alexandria et Aegypto origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. Ut romanae urbis Pontifex miro eos odio detestetur, meum consilium fuit: ut totus orbis post translationem tuam in Origenis odia exarserit, quem antea simpliciter lectitabat, meus operatus est stilus. »

Et quid sibi vult Hieronymi confessio? Nisi quod Theophilus in Aegypto primus, deinde hujus assecla Hieronymus

alibi et maxime in Italia, monstruosum illud opus variis ac inauditis impietatibus contextum, descriptum in epistolis Synodica et Paschalibus et in altera Hieronymi et Epiphanii, tanquam foetum Origenis habentes, illud cum suo Auctore judicantes condemnarunt. Nisi quod, cum ab his utcumque eorum assertionibus, ad auctoris venerimus definitionem; quaerendo quis iste fuerit talia blasphemans; quoties comprobatum fuerit, Theophilum fundamehta jecisse accusationis Origenis per hujusmodi falsitatum commentum, quas nunquam Auctor admisit nec Monachi probarunt: necessario consequetur, quae super hoc fundamentum plane arenosum, magno cum apparatu superstruxit Hieronymus, facile ruere, ruentique domo, structores omnes cum suis artificiis pariter dissolvendos.

Interea, uti propositi nostri adminiculum, notare juvat, quod ineunte seculo V. ait Anonymus in Opusculo *Praedestinatus* inscripto, per Jacobum Sirmondi edito; ubi Auctor collegit *Epitomen Ecdicesios Hygini contra haeresiarchas, et categoricorum Epiphanii contra Sectas, et Expositionum Philastri, qui hos transferens in latinum sermonem vulgavit etc.* Haec interim in paragrapho 42. 43. de Origene et origenianis narrat:

« Quadragesimam et secundam haeresim origeniani inchoaverunt a quodam Origene, non illo, qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo: de quo dicit Epiphanius, quod tam turpia docuerit, ut nec debeant per scripturam ad nostros posteros destinari. Quadragesimam autem tertiam haeresim alii origeniani continuo subsecuti sunt, ut dicit Epiphanius, qui et mortuorum resurrectionem negant: Christi autem creaturam esse Sanctum Spiritum dicunt: paradisum autem et coelos allegorice dicta firmantes. Hi duo Origenes prava quaeque scripserunt. Haeretici et perversi doctores nostro Origeni catholico tractatori miscuerunt, ut adimpleretur, quod dicitur a Domino in Evangeliis: *nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo haec zizania? Qui respondens ait: inimicus homo haec fecit.* Ideo enim Origenem legentes invenimus catholicum, et contra haereses dimicantem et vincentem. Identidem legentes Origenem inveni-

mus haereticum et adversa fidei adstruentem. Litterae verba tradunt et sensus; si possent et facies loquentium demonstrare, errorem nullus poterat de persona doctoris incurrere. Nam et illud cavendum est, quod (praesumpsit) Ampullianus quidam haeresiarches Bithynius, qui docebat post Origenem Ecclesiam Dei.

« Hic incurrit talem haeresem, ut diceret omnes criminosos cum diabolo et daemoniis eousque in gehenna decoqui, usquequo puri redditi, possint inde mundi et immaculati egredi, ad hoc quod antea fuerant alieni a culpa, suo iterum Creatori restitui. Hic dum argueretur ab universali Ecclesia, coepit proferre libros Origenis, quos ipse vitiaverat, et dicere : *ecce quia Origenes ita sensit,* et praecipue in quatuor *Periarchon* libris. Sed qui sani sensus est, et habet splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista; atque cognoscit sicuti si in stragulo coccineo pannos albos, aut cujusque alterius coloris cernat adsutos. Quod ita esse s. martyr Pamphilus docet, qui antequam ad martyrii coronam adtingeret, irreprehensibiliter cathedram episcopatus obtinuit, et sanam doctrinam Dei populis ministravit. Hic edidit Apologeticum, et omnia, quae de Origene catholici ignorantes mentiuntur, exclusit, ostendens ea, quae reprehensibilia inveniuntur in ejus opusculis, Origenis non esse; sed eorum, quos ipse superaverat : alia vero, quae tota perversa sunt, aliorum duorum haereticorum esse; qui Origenis nomen, non fidem, nec conscientiam habuerunt. » Ex hac itaque Anonymi enarratione, qui ex vetustis historicorum monumentis hujusmodi compegit haeresum Epitomen, mea invalescet sententia de eo errorum Syntagmate, quod sub Origenis nomine simplicium invadebat aures.

Praeterea proposito quoque facit, quod tunc Vincentius Lirinensis significavit in *Commonitorio* c. XXIII. Is enim postquam amplissima texuerit Origenis encomia ob ejus pietatem, et eximiam doctrinam, subdit, ipsum deinde, Ecclesiae traditionibus et veterum magisteriis contemptis, a prisca religione ad novam profanitatem transiisse. Nihilominus haud nescius illius, quae tunc versabatur quaestio de librorum Origenis corruptione, inquit : « Sed dicet aliquis, corruptos esse ejus-

dem libros. Non resisto: quin potius et malo. Nam id a quibusdam et traditum et scriptum est, non catholicis tantum, verum etiam haereticis. Sed illud est, quod debemus advertere, et si non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnae esse tentationi; qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui et leguntur et amantur: ut, et si in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem persuadendum Origenis auctoritas valere videatur. »

Et quidem sane libros, quos dicit Lirinensis sub Origenis nomine editos, *Periarchon* praesertim corruptos respicit, et quos s. Hieronymus designavit in Epistola ad Avitum, ac Theophilus antea notaverat in Litteris Paschalibus; iisque damnandos praebuerat, quos in Synodum convocaverat. Unde factum est, ut quod a s. Pamphili aevo usque ad episcopatum Theophili alexandrini parum sollicitudinis tam haereticorum quam catholicorum ingessit animis; ab hoc tempore, instantibus hinc haereticis, sanctorum dogmatum falsatoribus, sicuti et harum falsitatum patronis; inde praevalentibus citatis Theophilo, Hieronymo, et Epiphanio, qui etsi merito has haereticorum blasphemias detegentes confutarint, ipsas tamen fideli et catholico nescientes adscripserunt Origeni (a quibus plane ac perpetim abhorruit vir) ab hoc tempore, inquam, ut anathema Origeni suisque libris conclamaretur factum est. Et quamvis tunc prudentes viri unum ab aliis probe distinxissent, catholicum nempe ab haereticis, impios a pio; nihilominus universim non fuit accepta distinctio. Ideoque siquid in Theophilo, Hieronymo et Epiphanio reprehendendum sit, illud aeque cadit in illorum illusionem, zelique intemperantiam; cum orthodoxos origenistas ab heterodoxis, sincerum hominem a perfidis, fidelem scriptorem a falsatore, ac tandem libros genuinos a spuriis secernere neglexerint. Qui utique, ut ait celebratus Anonymus, *cum sensus haberent sanos, splendidosque oculos, mala ista in Origenis inserta libris cognoscere debuissent, sicuti qui in stragulo coccineo pannos albos, aut cujusque varii coloris cernat adsutos.*

Quae tandem hucusque excussimus de Operum sive sensuum Origenis falsatione, alter antiquus Scriptor eadem

firmans, nobis exhibetur a Photio in Bibliotheca Cod. 117. Qui quantumvis valde sibi conscius, Origenem errasse, eique imputet errores, de quibus culpatur; nihilominus texens veterum scriptorum opiniones de hac re, celebratissimos dicit viros ac plures suae contraire sententiae. In quibus, censitis s. Pamphilo et Eusebio, alterum jungit Anonymum; cujus verba, etsi non universim, cum propositum nostrum juvent admodum, hic describere et illustrare sategi. Sic namque scribit Photius:

« Legimus librum pro Origene, ejusque Deo invisis dogmatibus. Libris quinque opus absolvitur; quod nec Scriptoris nomen in titulo exhibet. Dictio neque clara est, neque pura, nec laudandum quid praeferens. Scriptor autem pro Origene, ejusque sententiis hos fere testes laudat, Dionysium alexandrinum, Demetrium quoque et Clementem, aliosque plurimos. Prae ceteris vero Pamphilo martyri innititur, atque Eusebio Caesareae Palaestinae episcopo. Ceterum haec Apologia non solutio est ut plurimum eorum, quae Origeni objiciuntur, sed accusationis potius adstipulatio. Adeo hic a blasphemis illius opinionibus liber non est omnino. Itaque et animas ante corpora existere fatetur: sacrae quoque Scripturae ac sanctorum Patrum testimoniis ad hunc errorem stabiliendum, ut putat, adhibitis; et corporum quoque aliam fingit resumptionem. Verum de sancta Trinitate nihil erratorum affert. Quin etiam hoc asserit de Origene, nihil eum, quod quidem ad dogma de Trinitate attinet, errasse: pugnantem tantum cum Sabellii haeresi, cujus tum improbitas magnopere se se efferebat, et personarum Triadem manifestam maxime multisque modis differentem demonstrare conantem, ut a recto atque officio etiam in contrariam partem abreptum fuisse videretur. Enimvero pro aliis ejus dogmatibus, quibus neque satis speciose assentiri audet; neque putat praedictam causam posse aptari.

«Pro hujusmodi, inquam, dogmatibus multam adhibet operam, ut demonstret, vel exercitationis causa dumtaxat haec ab eo esse dicta, vel certe ab aliis, qui diversa sentirent, ejus scriptis inserta fuisse. Testem hujus laudat eum ipsum (Origenem) hoc clamantem, atque contendentem, cum viven-

tem etiam talem ipsum deprehendisse fallaciam refert. Ipsa dein capita, ob quae falso illum accusari asserit, quindecim in universum numerat; eademque meras esse calumnias ex ipsiusmet scriptis, allatis argumentis, libro quarto convincit. Ad quae item refellenda, ubi ad quintum venit librum, ceterorum quoque pro ipso affert testimonia. Ipsa vero capita haec sunt. Ajunt illum docere 1. *Filium non esse invocandum* 2. *neque esse absolute bonum*: 3. *neque Patrem cognoscere, ut seipsum*: 4. *rationales naturas in brutorum corpora ingredi*. 5. *esse in diversas corporum species migrationem*: 6. *Christi Servatoris animam non aliam quam ipsius Adami fuisse*. 7. *Non esse poenam delictorum sempiternam*: 8. *neque carnis resurrectionem*: 9. *ad haec Magiam malam non esse*: 10. *Astronomiam eorum, quae fiunt, causam esse*: 11. *Unigenitum a regno cessaturum*: 12. *Sanctos (angelos) delapsos venisse in hunc mundum*. 13. *Patrem esse Filio invisibilem*: 14. *Et Cherubim cognita ἐπίνοιαι esse Filii*. 15. *Rursus quod Dei imago relate ad illum, cujus est imago, quatenus est imago, veritas non est*. Haec depellit, ut diximus, quasi falso Origeni objecta: omnique ope ecclesiasticum esse virum et orthodoxum ostendere nititur. At non, bone vir, siquis ostensus est, haud omnibus omnino modis impius esse, neque, in quibus manifeste blasphemat, poenam effugere apparebit. »

Nonne ex his, generatim loquendo, nonne jure maximo stat, quod praemisi de litteris Hieronymi ad Avitum, ac de Synodali, aliisque epistolis Paschalibus Theophili: nihil nimirum in istis reperiri, quod Origenem haereticum aut impium faceret; cum omnia ibi comprehensa errata merum esse commentum ostenderim ac calumniatorum opus? Et sane Anonymum, cum ita sentiret de Origenis fide, ob oculos habuisse (veluti Ruffinum et s. Pamphilum) codices graecos sinceros adstruitur, et hinc nequaquam in *Periarchon* legisse praesumpta impia et peregrina dogmata de Deo, de Trinitate, de angelis, de cruciatuum termino in vita futura, de magia et similibus. Et amplius Ruffini ipsius et aliorum firmari probitatem ac fidem in *Periarchon* libris transferendis constat.

Porro de reliquis, quae Photius reprehendit in Apologista; tanquam iste et Origenes simul animarum praeexistentiam et aliorum corporum, quam nunc gerimus, resurrectionem in die novissima, admittant: cum desint ipsius Apologistae verba, nescio quomodo et unde is tales Origenis sensus collegerit hujus adstruendae gratia opinionis: et qualia Scripturae testimonia Patrumque dicta potuerint huic suae adstipulari doctrinae. Dummodo, quoad animarum praeexistentiam, non legerit, quas Origenes in *Cantica Canticorum* enarravit varias philosophorum opiniones de hac re (nullo tamen suo mediante judicio) veluti suo loco in secunda Parte egimus, hujusmodi sphalmata ab ipso removentes. Ac ideo uti a veritate devium Origenem criminandi causa, perperam studuisse adversarios ob suppositum ipsius errorem de animarum praeexistentia, probatur; ita et credidisse colligitur de resurrectione non in alia corpora superventura, sed in eadem, quae in hac vita induimus, ab infirmitatibus tamen expianda.

Novissime ab Anonymi sententia illud quoque mihi videtur explanandum, quomodo et Theophilus et Hieronymus quandoque mirati sint, ante illud aevum, idest ante seculi quarti finem per ecclesias tum Orientis tum Occidentis lectos fuisse Origenis libros tanta simplicitate, ut nequis videretur hujusmodi comprehendisse errores, nec de ejusdem Origenis dubitasse orthodoxia, nec ideo repertus, qui ei contradiceret: nisi quando per orbem christianum innotuit corrupta *Periarchon* versio, ac una errorum *Syntagma* ob oculos fidelium expositum fuit, et ex ejusdem Theophili et Hieronymi studio in vulgus prolatum, quo cuncti scandalizati sunt.

Profecto etiam mihi cum ipsis admirationem non minorem contulit, et insuper fere incomprehensibile visum fuit, totum christianum orbem, et praesertim episcopos (sicuti de ecclesiis africanis ingenue fatetur Augustinus) libros Origenis percurrisse tali mentis simplicitate ut in genuinis ipsius scriptis non animadverterint pravos hujusmodi Auctoris sensus, neque comprehenderint erraticam ipsius mentem, totque sphalmata, in quae, ut ipsi ajunt adversarii, impegit. Cete-

rum, dico ego, si orbis christianus quamvis simpliciter legens Origenis libros, tunc nec exarserit in ipsum, nec notarit nec confutarit tam prava dogmata, manifestissimum est, ipsum christianum orbem nec incidisse nec tales legisse in libris genuinis Auctoris, de quibus a Theophilo et ab Hieronymo insimulatur, errores.

Propterea huc revocatis, in quibus desudarunt, scriptis, Theophili Synodica, et duabus Paschalibus Epistolis, item s. Epiphanii Litteris ad Joannem Hierosolymitanum, et quae scripsit de Haeresi 64. similiter Hieronymi Libro adversus praefatum Joannem ac tribus Libris adversus Ruffinum, et Epistolis ad Pammachium et Oceanum ac serius ad Avitum: dogmatis sanctitatem ac puritatem in cunctis miror et recolo. Zelum eorum adversus haeresim alacriter pugnantium laudo; cujusque generis errores ab ipsis confutatos et ab Ecclesia damnatos, condemno. Ubi vero cum tanto studio in his scriptis putarunt Origenem catholicum, cujus partes suscepi, insimulare errantem, haereticum inclamare, et anathematizare ob praesumptos errores, ingenue fatebor ipsos frustra laborantes aerem verberasse. Eadem enim professus est Origenes, quae ipsi profitebantur, qui pari zelo et studio incessanti usque ad mortem ad Dei Ecclesiae aedificationem incubuit: adeo ut de eo ipse Hieronymus rite a fideli eruditam et antiqua Patrum traditione, gloriosam aliquando talem pronunciarit sententiam, *Virum apostolicum et Magistrum ecclesiarum* vocans Origenem.



CAPUT XIII.

Ruffini presbyteri aquilejensis fides sincera et orthodoxa doctrina vindicantur tam in versione librorum Origenis, tam in litteris apologeticis ad Anastasium Papam.

Proposito interim nostro profutura arbitror, quae Ruffinus in tanto famae suae fideique religiosae discrimine coram Ecclesia Dei, eidem scripsit Pontifici de sua cum doctrina catholica concordia; rationem reddens cur ipse Operum Origenis (in quibus *Periarchon*) translationem susceperit, aliorum exemplum secutus, qui in eodem agro elaborarunt. Eoque magis id egit, ut, cum ex haud spernendis argumentis valde suspicatus sit Adamantii libros falsari potuisse, unicuique sua redderet, Auctoris servata mentis integritate. Unde et in hac translatione, suipsius fidei candorem, dogmatis catholici observantiam, et longe a quacumque fraude animi sui ingenuitatem perspicere fas est. Hoc itaque exemplar Apologiae, quam, dubiis, vel calumniatoribus satisfaciens pro sua fide scripsit et misit ad Pontificem Anastasium, cum vulgo dicebatur, Romam accitus Ruffinus venire renuisse; ita ut tanquam extorris haberetur ab Ecclesia Romana. Talis enim Epistolae tenor :

1. « Audivi quosdam, cum apud beatitudinem tuam controversias sive de fide, sive de aliis nescio quibus quaestionibus commoverent, etiam mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem sanctitas velut ab ipsis incunabulis per ecclesiasticae traditionis regulas institutas, de absente sibique bene et in fide et in caritate Dei cognito, calumniantibus non accommodavit auditum. Ad me tamen quoniam appetitae existimationis meae fama pervenit, aequum putavi, ut, quoniam ipse post triginta fere annos parentibus redditus sum, et durum satis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos, quos tam tarde reviseram, simul et quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddit ad iterandos labores, litteris meis satisfacerem beatitudini tuae, non ut de sancta mente tua, quae velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquum non recipit,

maculam suspicionis abstergerem; sed ut aemulis adversum me forte oblatrantibus, baculum quemdam tibi confessionis meae, quo abigerentur, offerrem.

2. « Quamvis fides nostra persecutionis haereticorum tempore, quum in sancta alexandrina Ecclesia degeremus, in carceribus, et exiliis quae pro fide inferebantur probata sit: tamen et nunc si quis est, qui vel tentare fidem nostram cupit vel audire, vel discere: sciat quod de Trinitate ita credimus, quod unius naturae sit, unius Deitatis, unius ejusdemque virtutis, atque substantiae: nec inter Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum sit prorsus ulla diversitas, nisi quod ille Pater est, et hic Filius, et ille Spiritus Sanctus, Trinitas in subsistentibus personis, unitas in natura atque substantia.

3. « Filium quoque Dei in novissimis diebus natum esse confitemur ex Virgine et Spiritu Sancto; carnem naturae humanae, atque animam suscepisse, in qua et passus est, et sepultus, et resurrexit a mortuis: in eadem ipsa carne resurgens, quae deposita fuerat in sepulcro: cum qua carne simul atque anima post resurrectionem ascendit in coelos: unde et venturus expectatur ad judicium vivorum ac mortuorum.

4. « Sed et carnis nostrae resurrectionem fatemur integre, et perfecte futuram, hujus ipsius carnis nostrae, in qua nunc vivimus. Non, ut quidam calumniantur, alteram pro hac resurrecturam dicimus; sed hanc ipsam nullo omnino ejus membro amputato, vel aliqua corporis parte desecta, sed cui nihil omnino ex omni natura sua desit, nisi sola corruptio. Hoc enim promittit sanctus Apostolus, quod seminetur corpus in corruptione, et resurgat in incorruptione: et seminetur in infirmitate, surgat in virtute: seminetur in ignominia, surgat in gloria; et quia seminetur corpus animale, resurgat corpus spiritale. Haec nobis de resurrectione tradita sunt ab his, a quibus sanctum baptisma in aquilejensi Ecclesia consequuti sumus; quae puto ipsa esse, quae etiam Apostolica Sedes tradere, et docere consuevit.

5. « Dicimus quoque et judicium futurum, in quo judicio unusquisque recipiat propria corporis prout gessit, sive bona, sive mala. Quod si homines recepturi sunt pro operibus suis; quanto magis et diabolus, qui omnibus existit ca-

ussa peccati? De quo illud sentimus quod scriptum est in Evangelio: quia et ipse diabolus, et omnes angeli ejus, cum his, qui opera ejus faciunt, id est qui criminantur fratres, cum ipso pariter aeterni ignis haereditate potiantur. Siquis ergo negat Diabolum aeternis ignibus mancipandum, partem cum ipso aeterni ignis accipiat, ut sentiat quod negavit.

6. « Audio et de anima quaestiones esse commotas. De qua re utrum recipi debeat querimonia, aut abjici, vos probate. Si autem et de me quid sentiam quaeritur, fateor me de hac quaestione apud quamplurimos tractatorum diversa legisse. Legi quosdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani seminis traducem etiam anima diffundatur: et hoc quibus poterant assertionibus confirmabant. Quod puto inter latinos Tertullianum sensisse, vel Lactantium, fortassis et alios nonnullos. Alii asserunt, quod formatis in utero corporibus, Deus quotidie faciat animas et infundat: alii quod factas jam olim, idest tunc, cum omnia Deus creavit ex nihilo, tunc eas judicio suo dispenset in corpore. Hoc sentit et Origenes, et nonnulli alii graecorum. Ego vero cum haec singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad praesens certi, et definiti aliquid de hac quaestione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, et sicui ipse revelare dignabitur. Ego tamen haec singula et legisse me non nego, et adhuc ignorare confiteor, praeter hoc, quod manifeste tradit Ecclesia, Deum esse animarum et corporum creatorem.

7. « Sane quia audio etiam inde esse disputatum, quod quaedam Origenis, rogatus a fratribus, de graeco in latinum transtuli, puto quod omnes intelligant, haec pro solo livore culpari. Si enim aliquid est, quod displiceat in auctore, quare id ad interpretem detorquetur? Sicut in graecis habetur, rogatus sum ut latinis ostenderem. Graecis sensibus verba dedi latina tantummodo. Sive ergo in illis sensibus laus inest aliqua, non est mea; sive culpa similiter non est mea. Quinimmo etiam illud adjeci, sicut in Praefatiuncula mea designavi, ut in quantum possem, aliquanta deciderem: illa tamen quae mihi ad suspicionem veniebant, quod non ab ipso Origene ita dicta, sed ab aliis viderentur inserta, propter hoc quod de eisdem rebus in aliis locis ejusdem Auctoris ca-

tholice dictum legeram. Nemo ergo mihi ex hoc, quaeso te sancte ac venerabilis beate Pater, conflet invidiam; nemo factionibus utatur, et calumniis, quod in Ecclesia Dei fieri non licet.. Ubi enim simplicitas tuta erit et innocentia, si hic non erit? Origenis ego neque defensor sum, neque assertor, neque primus interpres. Alii ante me hoc idem opus fecerant, feci et ego postremus rogatus a fratribus. Si jubetur ne fiat, jussio observari solet in posterum. Si culpantur, qui ante jussionem fecerunt, culpa a primis incipiat.

8. « Ego enim praeter hanc fidem, quam supra exposui, idest, quam Ecclesia Romana, et alexandrina, et aquilejensis nostra tenet, quaeque Jerosolymis praedicatur, aliam nec habui unquam, nec habeo in Christi nomine, nec habebo. Et siquis aliter credit, quisquis ille est, anathema sit. Reddent autem in die judicii rationem hi, qui offendicula, et dissensiones, et scandala fratribus propter invidiam solam generant et livorem. »

Cernat ergo quisquis ex his litteris, num Ruffinus errorum et impietatum Origeni adscriptarum particeps et vindex haberi possit. Ceterum, inspectis ipsius Ruffini studiis in libris Origenis, non est dubitandum, illum, si revera talia absurda legisset, occultare ac mentiri voluisse Adamantium horum sphalmatum auctorem, nec multo minus ipsum catholicum nuncupare, ac dogmata catholica in suis tractatibus propugnantem. Id profecto temeritatis summae foret, postquam hujusmodi blasphemias legisset in scriptis Origenis, seipsum ac Joannem Hierosolymitanum in quaestione socios, vocare catholicos, catholicam profitentes fidem, eamdemque pariter asserentes professum esse Origenem. Profundissimae enim perfidiae, sive ignorantiae hoc opus esset: quod in utroque omnimode abfuisse credendum est. Adeo autem suspicio de falsatione librorum Origenis satis utriusque animis invaluit, ut nunquam Hieronymi cesserit instantiis, qui impium Origenem fecit, et impietatum auctorem. Et ob hoc interim hic notare juvat, quae ipse pro sua ingenuitate scribit in Libro II. nn. 41. 42. etc.; unde constat se non legisse in Operibus Origenis, quae a Theophilo, Hieronymo et Epiphanio inscribuntur eidem; ut inde magis elucescat falsi-

tatum cumulus in citato libello, gratis ejusdem nomen praeferente.

In hoc sane Libro II. Ruffinus epilogum texit eorum, quae hic et in Primo objicit Hieronymo, ipsius respondens insimulationibus circa dogmata Origenis: « Verum, inquit, agat haec iste, ut sibi vel licere, vel expedire putat. Ego interim, ut recenseamus in fine ea, quae sparsim pro nostra purgatione respondimus, cum de me dixerit, quasi sine se haereticus esse non possem, ostendi fidem meam; et de resurrectione carnis ipsum magis errare, qui corpus, quod resurrecturum est, fragile esse scripserit, comprobavi. Sexus quoque diversitatem, quomodo abraserit, et corpora in animas, et mulieres redigi in viros dixerit, docui. Meae quoque interpretationis causas, ut puto justissimas, protuli; quod non vel contentione excitatus, vel gloriae cupidus, sed Dei timore provocatus, antiquae materiae transvexerim copias, novellae constructionis aedificiis profuturas; et tela vetera rubigine jam obducta deterserim, non ut civile bellum moverem, sed ut os hostile depellerem. Ipsum etiam caput, cui manus falsarias injecerunt, inserui: et adulterium blasphemiae in Filium Dei et Spiritum Sanctum, alienum a meo nomine, sed ipsorum scelere et ab ipsis docui esse commissum. » Et hic, ut vides, perspicue quae alibi dixit, repetit Ruffinus circa falsationem suae translationis, nec non codicis graeci *De Principiis*, quem vertit, immunitatem a blasphemia in filium Dei ac in Spiritum Sanctum: et unde nos falsatum codicem graecum, quem prae manibus habuit Hieronymus, ostendimus, partemque illius spurii Syntagmatis constituere perfido calamo elaborati contra ipsius Origenis sensum.

Itemque ceteros errores, de quibus Hieronymus Origenem culpat, eidem insertos libello, super caput ipsius Hieronymi (seu potius Auctoris libelli) reddit Ruffinus; et Origenem ab eisdem immunem firme declarat. Dicit enim n. 42: « In singulis quoque de quibus se idcirco Origenem arguere dicebat, ut nos pulsare se crederet, et infamare opus translationis, ostendi ex ipsis commentariis suis, ex quibus fidem suam expectari debere dixerat, et probari quod et de animae statu et restitutione omnium, de diabolo atque angelis refu-

gis, eadem, quae in illo culpat, ipse conscripserit; sed et quod animae in corpore hoc vinctae, velut in carcere tenerentur, ipsum dixisse convici. Unum quoque esse corpus totius creaturae rationalis, idest angelorum et animarum in his ipsis eum scripsisse commentariis approbavi. » Similiter paulo post n. 47 : « De resurrectione carnis vero puto, in translatione nostra eadem contineri, quae in ecclesiis praedicantur etc. » Et cum sic censet Ruffinus, confutatque fabulosa commenta de anima, de angelis, de daemonibus, de resurrectione etc. sibi a Hieronymo objecta et a suo codice graeco absona, nonne eadem ipsa sunt, quae, huic libello conserta, opus et fidem Origenis infauste reputarunt Theophilus, Hieronymus et Epiphanius?

Nihilominus, etsi pro Ruffino, veluti hucusque diximus, staret judicium causae, ac suae, Origenisque fidei integritas pateret, priscis una Patribus ei suffragantibus; nihilominus, inquam, quod in suipsius encomium interest, saepe vota sua manifestavit, adversariis conveniendi in hac quaestione. Unde sane, quemadmodum ex praecedentis Capitis initio auspicatus eram, fortasse reconciliationis spes in decertantibus affulsisset, scandalis inde partiumque studiis in Ecclesia sedatis. Quapropter, siquid ipsius famae proficere valeat, in hac re profecto de animi sui ingenuitate deque concordiae sollicitudine testimonium praeclarum eidem exhibere par est ob id quod cum amicis suis questus scribit in eo Libro n. 44. ubi sic corripit Pammachium: « Cum meos, ait, non codices, sed schedulas inemendatas et imperfectas furto cujusdam nebulonis et fraude subtractas sibique delatas, cum me inibi haberet praesentem, mihi quidem non offerret, neque conquereretur, sed ne increpare quidem, aut etiam arguere dignaretur, vel per amicum certe aliquem, aut etiam per inimicum; sed ad Orientem mitteret, et instigaret linguam ejus hominis, qui eam temperare non noverat; quid contra religionem faceret, si me praesentem potius convenisset? In tantum ne colloquio ejus videbamur indigni, ut ab eo nec argui mereremur. »

Id porro ex praemissis (et hic notare juvat) ex praemissis manifeste patet, utrumque et Hieronymum et Ruffi-

num laborasse in versione librorum *Periarchon*; ac item ideo constat ambos, codices graecos sub Origenis nomine sibi comparantes, hanc explevisse translationem; in qua pariter uni alter obtestatus est, se se fideliter, prout legebantur in graeco, latine vertisse. Quocirca cum nos et Hieronymi et Ruffini, ut decet, ingenuam admittamus confessionem, illud quoque consequitur, codices idem argumentum pertractantes, quos uterque legit vertitque, valde inter se variare ob sensus discrepantiam, satis in eorum collatione manifestam. Nisi quod Hieronymus audet exprobrare Ruffino de textus graeci originalis falsatione: quam rem Ruffinus coram Hieronymo ac Romano Pontifice palam negat.

Idcirco, conditionibus acceptis, nec Hieronymum nec Ruffinum proprios cujusque codices graecos, ubi libri continebantur *Periarchon*, mutasse, sed esse ipsos fideliter interpretatos; cumque ceterum differentiam inter utriusque codices maximam intercedere probetur, ceu antea saepe ostendimus, necessario concludendum est, aut Ruffini aut Hieronymi codices non a seipsis, sed ex aliorum perfidia corruptos sive interpolatos, et quidem non in quibusdam, aut levis momenti quaestionibus, ast in pluribus et gravissimi ponderis argumentis, uti in praefatis discussum est. Hoc autem manifestissime indicat Hieronymus in Libro II. n. 11. adversus eumdem Ruffinum inquiens: « Utinam fecisses, quod rogatum te esse simulas; nulli nunc invidiae subjaceres. Si tu translationis servasses fidem, mihi necessitas non fuisset interpretationem falsam vera interpretatione subvertere. Novit conscientia tua, quae addideris, quae subtraxeris, quae in utramque partem, ut tibi visum fuerit, immutaris. Et post haec dicere audes, quod et bona et mala non tibi, sed Auctori debeant imputari etc. »

Itaque cum ex praemissis constet, varia *Periarchon* manuscripta legisse, vertisseque Ruffinum et Hieronymum, disquirendum superest, ubinam genuinus Auctoris sensus? in codicibus Hieronymi, an potius Ruffini? Si velis Ruffini codices alteris praeferre Hieronymi, copiosissima ac validissima argumenta in hoc tibi acquiescent; ac praesertim Origenis secumipso consonatia, sicuti cum dogmate catholico, quod

ubique professus est, ac ubique indesinenter servavit, idem sentiens, idem scribens, et consequenter operatus est. Hoc autem totum a me superius prope criticas leges amplissime et luculentissime explicatum est: in iis maxime ostendendo, genuinis Ruffini codicibus adstipulatos esse, tanquam vera dogmata capientibus, Patres eidem Origeni coaevos, ac deinde Eusebium, ss. Pamphilum martyrem, Basilium, Gregorium nazianzenum, aliosque: qui inde ex citatis libris documenta transcripsere adversus ipsius Origenis calumniatores, seu pro veritatibus contra haereticos reparandis, sive ad Ecclesiae aedificationem. Quae omnia codicum Ruffini suffragantur sinceritati sicuti et fidei Auctoris.

Ex adverso, si Ruffini postabitis, Hieronymi codices anteferre volueris, ab initio ad finem usque in perpetua antilogia reperies Origenem; ac non solum cum iis, quae in ceteris tractatibus excussit; sed cum iis quoque, quae ibidem in eisdem libris, eodemque argumento suscepit demonstranda. Et amplius talia inde erues peregrina dogmata, absurda, blasphema, impia, quae neminem unquam nec ante, nec post Origenis aevum noveris nec scribere, neque animo fingere potuisse: sicuti suo loco et singillatim in praefatis egimus. Ideo non solum interpolatorum codicum existentiam aliter ab iis, quos legit Ruffinus, sed et Hieronymi illusionem compertam habebis: ac simul ex ejusdem Ruffini codice Origenis fidei puritatem in hoc *De Principiis* adornando Opere comprehendes sicuti in ceteris libris.

Quanto vero jure hoc diceret, ageretque Ruffinus pro Origene, et quanto animi ardore ab haereseos infamia ipsum tueretur, potissimae nobis suffragantur causae. Opinio universalis, quae ante illud tempus ad ducentos et amplius annos invaluit de recto Origenis sensu in suis institutionibus, ac de ejusdem studio in profligandis haereticis, atque ex ipsius saepissimis obtestationibus, se velle in omnibus juxta apostolicas traditiones incedere. Secundo, ipsius Ruffini cura speciatim in graecorum Patrum lectione sub s. Gregorii nazianzeni disciplina; qui quidem sanctus et doctissimus vir ac librorum Origenis studiosus, non abscondisset a Ruffino prava et venenata illius dogmata, si in suis scriptis talia

reperisset. Tertio, quod maximum est, quodque Ruffini animum sollicitum perpetuo tenuit, utpote sibi incomprehensibile, quomodo vir uti Origenes, quem nemo delirum unquam in vita sua notaverat, tam absurdas sententias complexus fuisset, ac amplius in antilogias lapsus de eisdem quaestionibus, ac in subjecta materia: quod non nisi de insano conjicere liceret.

His accedit Hieronymi inconstantia in hac quaestione, Ruffini uniformitati collata. Cum enim ob illam Hieronymi inconstantiam dubia nobis ingerantur adeo ut hucusque ignoremus ubi, et quomodo, et quantum sentiendum sit de Origene; hinc vero virum animadvertes sibi conscium Ruffinum, aequa lance scripta Adamantii perlegentem, eaque ubique sedulo discutientem, eorumque scrutatum consequentias. Et ob hoc interim mihi placet lectoribus objicere, quae de Hieronymo etsi istius studiosus, ac Ruffino hostilis in hac causa, Huetius scribat in Libro II. *Origenianorum* c. IV. n. 16: « Quamvis, inquit, viri pii et orthodoxi officio functus sit, cum agnitos Origenismi errores ejuravit; optabile tamen foret, ut sanctissimus ille doctor constantior animi fuisset et moderatior; neque tam facile bili suae fuisset morigeratus, ut in contraria pro rerum et temporum ratione trahi se et jactari sivisset; nonnunquam etiam maximos viros amarissimis convitiis perfudisset. Fatendum quippe est jure, eum saepe a Ruffino fuisse reprehensum; saepe etiam Ruffinum ab eodem sine causa fuisse culpátum. »

Diversimode porro dicendum est de Ruffino; qui etsi animo quandoque excandescenti Hieronymo restiterit in hac disputatione, tamen se se in ordine continuit. Quod primum de Origene putaverit, de eodem ulterius sensit ac scripsit; quin nec seipsum proderet, aut Origenis aestimationi derogaret, seu plus aequo ejusdem acquiesceret doctrinis: nec multo minus, quod ibi aedificavit, alibi destrueret; vel quod mitius hic de Auctore dixit, alibi durius instauraret.

Verumtamen nequis interim offendatur de iis, quae Hieronymus adversus Ruffinum scripserit, et Ruffinus responderit, sed una utrique parcat in hac ferventi contentione, dissidii initium perscrutari juvat. Hoc autem totum in primis

intimae amandandum est Hieronymi persuasioni, Origenem reapse auctorem haberi codicis *Periarchon,* quem interpolatum hucusque ostendimus, adeo ut ipse, cum antea erga Origenem obsequentissimus esset, deinde aversione pari vituperasset; nec ulla ideo ratione volens alios pro ipso Origene suum citare nomen. Cum igitur hoc ignorans Ruffinus et Macarii exactioni inserviens, graecos genuinos codices transferens, circa annum 398. *Periarchon* quoque tractatus latine daturus esset; ad majorem propositi sui acceptationem coram Ecclesia, ingenue et ab omni dolo alienus, Hieronymi nomen inseruit, ceu laborum suorum consortis, ita in Prologo inquiens:

« Scio quamplurimos scientiae Scripturarum desiderio provocatos poposcisse ab aliquantis viris et graecarum litterarum peritis, ut Origenem romanum facerent, et latinis auribus eum donarent. Inter quos etiam frater et collega noster ab episcopo Damaso deprecatus, cum Homilias duas de *Cantico Canticorum* in latinum transtulisset ex graeco, ita in illo opere ornate magnificeque praefatus est, ut cuivis legendi Origenem, et avidissime perquirendi desiderium commoveret, dicens illius animae convenire, quod dictum est: *introduxit me rex in cubiculum suum*, asserens eum, quod cum in ceteris libris omnes vincat, in *Canticis Canticorum* etiam ipse se vicerit. Pollicetur sane in ipsa Praefatione, se et ipsos in *Cantica Canticorum* libros et alios quamplurimos Origenis romanis auribus largiturum. Sed ille, ut video, in stilo proprio placens, rem majoris gloriae sequitur, ut pater verbi sit potius, quam interpres. Nos ergo rem ab illo quidem coeptam sequimur et probatam, sed non aequis eloquentiae viribus tanti viri ornare possumus dicta: unde vereor ne vitio meo id accidat, ut is vir, quem ille alterum post Apostolos Ecclesiae Doctorem scientiae ac sapientiae merito comprobat, inopia sermonis nostri longe esse inferior videatur etc. »

Et hoc sane oppositionis infaustissimae principium inter Hieronymum et Ruffinum incensae, cum ante illud tempus arctissima concordia utrumque ligasset. Hieronymus enim, quamvis praefati Ruffini sermones animo sincero dictati fo-

rent, tamen sibi injuriosos existimans, valde aegretulit quod seipsum ceu Origenis laudatorem nominasset, quippe tunc jam suus amotus esset animus ab Origene, praesertim ob *Periarchon* libros, quos falsatos legerat. Quapropter non tantum Hieronymo displicuit hoc Ruffini encomium ob translationem operum Adamantii, sed et sinistre commentatus est dicta Ruffini in laudem suam elaborata. Et id primum manifestavit s. Doctor in Epistola 81. etsi ad illum haud pertigisse videatur. In his ajebat Hieronymus: « Praefatiuncula librorum *Periarchon* ad me missa est, quam ex stilo intellexi tuam esse: in qua oblique aperte ego petor. Qua mente scripta sit, tu videris: qua intelligatur, et stultis patet. Poteram et ego, qui saepissime figuratas controversias declamavi, aliquid de veteri artificio repetere, et tuo te more laudare. Sed absit a me, ut, quod reprehendo in te, imiter . . . Sed obsecro te ut si deinceps aliquem sequi volueris, tuo tantum judicio sis contentus. »

Cum vero amplius a Pammachio haec eadem audiverat de citata Ruffini Praefatione, magis indignatus eidem rescripsit, acerbe corripiens, qui se ipsum in ea nuncupaverat, inquiens in Epistola 84. n. 1: « Schedulae, quas misistis, honorifica me affecere contumelia, sic ingenium praedicantes, ut fidei tollerent veritatem. Et quum eadem et Alexandriae et Romae et in toto pene orbe boni homines super meo nomine jactare consueverunt, et tantum me diligunt, ut sine me haeretici esse non possint, omittam personas; rebus tantum et criminibus respondebo. »

Attamen haud his satisfactus Hieronymus, nec ulterius cum Origene convenire volens ob praesumptos errores, nec cum Ruffino suorum librorum interprete, veritus, usque ad Africam misisse Ruffinum exemplaria latina librorum *Periarchon* cum Praefatione (ubi Hieronymi nomen inscribebatur tamquam studio Ruffini consentientis) perquam sollicite scribit ad Augustinum, sensus suos exponendo adversus ejusdem Ruffini laborem in *Periarchon*, dicens: « Misit mihi temeritate solita sua maledicta Calpurnius cognomento Lanarius (Ruffinus) quae ad Africam quoque studio ejus didici pervenisse: ad quae breviter ex parte respondi; et libelli ejus vobis

misi exemplaria, latius opus, quum opportunum fuerit, primo missurus tempore. In quo illud cavi, ne in quopiam existimationem laederem christianam, sed tantum ut delirantis imperitique mendacium ac vecordiam confutarem. »

Huic respondens Augustinus in Epistola 110. n. 6. (uti obsignat Vallarsius) ait quidem suam accepisse apologiam adversus Ruffinum, ignorare tamen quidquid ad Africam iste misisset: vehementissime vero dolens Augustinus ipse de hujusmodi discordia: « Nescio, inquit, quae scripta maledica super tuo nomine ad Africam pervenerunt. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis respondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui, inter tam caras familiaresque personas, cunctis pene ecclesiis notissimo amicitiae vinculo copulatas, tantum malum extitisse discordiae. Et tu quidem quantum tibi modereris, quantumque teneas aculeos indignationis tuae, ne reddas maledictum pro maledicto, satis in tuis litteris eminet. Verumtamen si eas ipsas, quum legissem contabui dolore, et obrigui timore; quid de me illa facerent, qui in te illa scripsit, si in manus meas forte venissent? *Vae mundo a scandalis*: ecce fit; ecce prorsus impletur quod veritas ait: *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Quae sibi enim jam fida pectora tuto refundantur? In cujus sinum tota se projiciat secura dilectio? Quis denique amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum et Ruffinum hoc, quod plangimus, exoriri? O misera et miseranda conditio! »

Cum igitur Hieronymus (licet bona fide) ita incalescat in Ruffinum, ut Augustino displiceat; cumque ex adverso Ruffinus ex iis, quae dixit in Prologo, et quae deinde coram Ecclesia obtestatus est, ait se in eo labore ineundo, ac Hieronymi persona nuncupanda, nullum laesisse; ac una conqueratur, famam suam ideo dilaceratam esse ob ea, quae de ipso scripsit s. Doctor; hinc inde examinatis rebus, perspicue admodum patet, injuriam non fecisse, sed passum fuisse Ruffinum. Qui in translatione *Periarchon* sincerissime egit tam quoad Origenis sensus, tam quoad codices, quos ipse legit vertitque incorruptos. Et in quo explendo opere, nec auctor fuit dissidii, nec provocator, neque illius putavit obes-

se fidei, nulli scandalum praebere, nihil novi in ecclesias introducere, sed tantum desiderio satisfacere amicorum, praefatos libros perlegendi. Alter vero idest Hieronymus, quamvis sincerissime agens, cum fortuito incidisset in falsatos Origenis codices, et hinc blasphema continentes, ex ardore veritatis et perpetuo haereseos odio, non autem ex malevolentia aut altercationis cupidine adversus Ruffinum irrupit. Nisi quod Hieronymus haud satis cautus, et accuratus disquisitor videtur eorum, quae latine vertit Ruffinus, et antilogiarum, quas codices a se traducti praeferebant, cum iis ab ipso Origene alibi discussis recteque explanatis. Et in hac parte quantavis excusatione donandus sit Hieronymus jure ei debita, Ruffini tamen candor in hoc labore, animique sui integritas sicuti non imminuuntur, tantumdem augescunt; nec ideo ullimode iste eorum numero inscribendus, qui ecclesias perturbarunt ob novitatis et schismatum aviditatem.

Interea autem nostro argumento valde proficit quod scribit Thomas Cacciarius in c. XVIII. *Historicae Dissertationis* pro Ruffino, ejusdem praesertim intuitus integritatem in versione *Periarchon*. Ait enim: « Nondum interpretatio *Periarchon* a Ruffino elimata fuerat, neque aliis, nisi forte Aproniano, aut Macario facta illius copia, cum incidens in manus Pammachii et Oceani, non solum rudis et impolita, sed et alicubi adulterata in vulgus prodiit. Itaque si credimus Hieronymo, tanto fuit horrori, ut ad eam *Roma contremisceret. Sed cum tamen illius errores sensim in animos influerent, ita ut sacerdotes quoque, ac nonnullos monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traherent, ideo Marcella, quae diu se cohibuerat, ne per aemulationem quidquam facere videretur, publice obstitit. Tum denique intelligens Ruffinus suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec latere posse quod multos deceperat, impetratis a Siricio Papa formatis litteris, Roma excessit:* id quod contigit ipso emortuali Siricii anno 398.

« Sed alio pacto idem s. Doctor in Epistola 81. ad Ruffinum loquitur de hoc discessu. Scribit enim: *Diu te moratum Romae sermo proprius indicavit: nec dubito spiritualium parentum ad patriam revocatum desiderio, quem matris luctus*

ire prohibebat; ne magis coram doleres, quod absens vix ferre poteras. Certe vix credi potest, laudatissimum Pontificem Siricium tanta fuisse simplicitate, seu potius stupore, aut vecordia, ut ne pertingentem quidem domus suae culmina haereseos flammam senserit; vel sentiens incendii auctori epistolam catholicae communionis testem impertiri sustinuerit. Quid autem verisimilius, quam ut Ruffinus, qui a triginta fere annis aberat a patria, ab amicis, a propinquis, a spirituali patre suo Chromatio, horum tandem omnium desiderio motus, postquam Macarii petitioni satisfecerat, Aquilejae revisendae gratia Urbem dereliquerit? Sed quoniam vix unquam rumor temere nasci solet, quin subsit aliquid, facile intelligimus ex his, quae primum de Hieronymi Epistola laudata sunt, Ruffinum graviter exagitatum esse Romae a s. Doctoris amicis: quorum tamen obtrectationes et conatus, etsi tantopere non valuerint, ut illum Aquilejam compellerent, id tamen suspicandi aut credendi locum dederint.

« Extant etiam ipsius Ruffini querimoniae de Hieronymi discipulo (hic verisimiliter est Eusebius cremonensis) qui cum se invisere, salutare, secumque in oratione communicare consuesset, attamen acceptum a primaria foemina exemplum versionis *Periarchon*, non modo vel explicandum vel corrigendum non ad se detulerit, sed corruperit insuper, corruptumque, muliere instigante, vulgaverit *per domos, per matronas, per monasteria, per singulos quosque fratrum.* Verum quando haec Monachus fecit sub idem tempus, *quo confestim ex Urbe discederet, ne vel comprehensus facti sui redderet causas*, jam ex ejus metu et diffidentia cognosci potest, Ruffini res non tam inclinatas tum fuisse Romae aut certe infractas, ut inde digredi cogeretur.

« An vero non infestos Romae Ruffinus pateretur Hieronymi fautores, qui nec profectum se quiescere permiserint? Is enim aperte queritur per totam quoque Italiam sibi ab adversariis obstrepi, turbas instigari, commoveri ecclesias, aures pollui sacerdotum, emitti canes, qui se per urbes, per vicos, per iter etiam transeuntem calumniarum latratibus insectentur; atque *in his omnibus modestia sua abuti, tanquam conscientia.* Unde suspicari licet, ejusdem adversarios veri-

tos, ne ab Ruffino per Italiam dissiparentur origeniani errores, submissis idoneis viris, fidelium aures atque in primis episcoporum praeoccupare studuisse. Conjecturam id plurimum auget, quod Ruffinus Aquilejam pergens, Mediolani, qua iter instituerat, aliquando moratus, obviam habuit Eusebium cremonensem: quocum et altercatus est de loco, sive sententia quadam versionis *Periarchon* ab ipso temere depravata. Hinc Norisius indubitanter conficit, Ruffinum eo consilio Mediolanum tum Aquilejam se contulisse, ut clarissimos antistites Venerium, atque Chromatium sibi adjungeret: quorum ope fretus, utramque civitatem impio dogmate labefactaret. Verum quam recte id colligat praelaudatus Auctor, alii judicent. Nam quid conjunctum habere tandem possit ejusmodi occursus et expostulatio vel cum intentata (prout Norisius censet) episcoporum approbatione, vel cum nefario ausu propagandae origenianae impietatis, non mehercle video.

« Deinde qui tot molestias Origenismi causa Romae sustinuisset: qui et submissos quaquaversus nosset sui obtrectatores: qui denique haereticum se haberi nunquam passus est, rursum ne Origenismi nomine Mediolani, dein Aquilejae negotium sibi conflatum vellet? Postremo quid Mediolano cum Aquileja? Quid Venerio cum Chromatio? Num ergo si siquid Ruffinus illic intentarit (quod tamen non ostenditur) idipsum statim conatus fuerit Aquilejae? An vero Chromatio damnatori Origenis, tanta cum Ruffino intercessisset necessitudo, quanta perpetuo intercessit, si se suamque dioecesim origeniana peste hic inficere tentasset? »

Item Cacciarius in citata Dissertatione c. XXI. pro Ruffino plura animadvertit de iis, quae Hieronymus ipsi objecit ex Apologia, quam pro sua fide misit Anastasio Papae: in quibus haec notanda sunt: « Itaque Ruffinus purgans se Anastasio, tres memorat sententias de animarum creatione: aliam asserentium, eas cum corpore diffundi per humani seminis traducem, aliam propugnantium, formatis jam corporibus, a Deo creari, atque infundi: tertiam denique illorum, qui eas factas putant initio creationis rerum, divino autem judicio nunc in corporibus dispensari. Tum Deum testatus, negat se

ad praesens, certi vel definiti aliquid de hac quaestione tenere. Fatetur tres illas opiniones a se lectas; tamen ignorare *quid sit in vero*. Sed hanc ignorationem non fert Hieronymus: unde mirum est quam graviter ea de re in utraque Apologia Ruffinum carpat, et quot tragoedias excitet. Sed pace sanctissimi viri acrior ipsius censura videri potest, quam ut tempora illa paterentur. Res enim id aetatis in quaestione apud eruditos versabatur: nullum super ipsa praesto erat ex Scripturis satis convincens testimonium: nihil dum aut in generalibus conciliis, aut a Sede Apostolica de illa statutum fuerat; itaque adhuc expectabatur Ecclesiae judicium: adeo ut haereticus censeri non posset, siquis vel aliter ac postea definitum est, opinaretur, vel dubius animi penderet. Quapropter s. Augustinus quidem de animarum ratione nesciens quid sentiendum esset, rogat s. Hieronymum. Quid igitur, si hoc ipsum nescierit Ruffinus? Quod si hujusmodi ignorantia crimen haud fuit in Augustino, qui tandem in Ruffino esse possit? »

Porro, in eo, quod tradit Ruffinus de Origenis sententia circa animae humanae ortum, et de quo accusatur a Hieronymo, fatendum est, nec Ruffinum nec Hieronymum Origenis mentem in hac quaestione assecutos fuisse. Quamvis enim Origenes aliquando varias philosophorum graecorum opiniones de anima repetens, talia enarret de animarum creatione, essentia etc. attamen ibidem nonnisi ut historicus simpliciter agit, et consideratur. Quando vero ubi opus sit, disputator de hac re subit et judex, respuit omnino et tanquam falsam confutat sententiam, animas scilicet fuisse ante corpora creatas, ut postea pro tempore dispensarentur in corporibus. Talia non docuit nec suspicatus est quidem Origenes. Quinimmo ex adverso, priscorum Patrum vestigia calcans, tenuit, animam, sicuti tunc in Adamum primo eam insufflavit Deus quando corpus ejus e limo condidit, ita et in filiis suis eamdem creari infundique ab eo una cum corpore in alvo materno. Istud autem in secunda Parte prolixius egimus.

Item tantummodo concedendum est Hieronymi fervori in sua disputatione cum Ruffino, quod huic detrahit, de narratione ambigens, quam ipse Ruffinus in Litteris obsignavit

ad Anastasium Papam. In quibus, sicuti in Historia Ecclesiastica obtestatus est, recensuit quae ob fidem catholicam passus est in Aegypto ab arianis: « Quamvis fides nostra (ait Ruffinus) persecutionis haereticorum tempore, cum in sancta alexandrina Ecclesia degeremus, in carceribus et in exiliis, quae pro fide inferebantur, probata sit, tamen et nunc siquis est, qui vel fidem nostram tentare cupiat, sciat etc. »

Hujusmodi Ruffini confessionem admodum contemnens Hieronymus in Libro II. n. 3. adversus eum clamat: « Quae exilia, quos iste carceres nominat ? Pudet me apertissimi mendacii : quasi carceres, exilia absque judicum sententiis irrogentur. Volo autem ipsos scire carceres et quarum provinciarum se dicat exilia sustinuisse. Et quidem habet copiam de multis carceribus et infinitis exiliis unum aliquid nominandi. Prodat nobis confessionis suae acta, ut inter alios alexandrinos martyres, hujus quoque gesta recitemus. » De reliquo, quo odio Lucius arianus episcopus tunc in catholicos, in quibus Ruffinum, saeviret, audiatur Palladius inquiens : « Nam et iste Lucius tunc adfuit, sanctorum hominum coetum nulla miseratione prosecutus, gravius quam ipsi milites, afflixit. » Quamobrem nec Hieronymus quidem Libro III. n. 26. negat, quod tunc de Ruffini vexationibus in ecclesiis praedicabatur, quas Alexandriae passus erat : cui tamen famae, nescio quare, reluctari putavit.

Cunctis his positis, judex modo subeat lector, num Ruffinus in Litteris apologeticis ad Anastasium Papam relate ad quaestionem origenianam, ingenua suae fidei professione emissa, merito vel immerito conquestus sit de adversariis suis, eam labefactare conatis.



CAPUT XIV.

Adversariorum convelluntur argumenta contra Ruffini fidem tam e suis scriptis tam ex sanctorum virorum testimonio: quocum magis Origenis causa ex hostibus suis agit triumphum.

Deinde ut amplius constet integra Ruffini fides, proindeque minus caute fuisse ab Hieronymo culpatum; qui praesumptos Origenis errores eidem Ruffino inscripsit, cum nec ille nec iste similia cogitarint, hujus disquirantur scripta. Quae etsi parvo numero supersint, tamen proposito sufficient, speciatim in quo ait Hieronymus, Origenem cum Ruffino fundamenta jecisse Pelagianismi. De hoc autem corripit ipsum s. Doctor in epistola ad Ctesiphontem: ubi Evagrii pontici *De Apathia* sive *Impassibilitate* sententias allegit; easque asserit Ruffinum istius discipulum ex graeco latinas fecisse Ecclesiae occidentali tradendas.

Ante vero recenseantur Origenis sensus, num constet, ipsum jecisse fundamenta Pelagianismi. Pelagius negavit internae gratiae nobiscum cooperantis necessitatem ad salutaria opera, totam illorum facultatem uni libero arbitrio tribuens etc. Adamantius vero *in Psalmum* 4. ex verbis : *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* contra talem opinionem pugnans ait: « Quaenam igitur bona sint, quae libere non suscipiuntur, nunc dicendum est, quoniam verum est id : *nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laboraverunt, qui aedificant eam.* Et: *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Aedificat domum quicumque proficit: custodit civitatem, quicumque perfectus: vanum autem opus aedificantis, et vana custodia servantis, nisi Dominus aedificaverit, et Dominus custodierit. Extra liberam voluntatem nostram fuerit bonum, virtus Domini, quae aedificantis aedificationem adjuvat, et ei opitulatur, unaque cum eo aedificat, qui aedificationem per se consummare non potest. Idem de custodita civitate sentiendum est. Et quemadmodum si dicerem bonum agriculturae, quod fructum efficit, mixtum esse ex

libertate, quae in arte est agricolae et non arbitrario quod a providentia est propter aeris temperiem et imbris sufficientem copiam; sic bonum rationabilis creaturae mixtum est ex voluntate ipsius, et conspirante divina virtute in eo, qui honestissima suscipit. Non solum igitur ad id ut honestus et bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra et divina ope conspirante, quae, quantum ad nos, arbitraria non est; sed ad id etiam, ut qui bonus et honestus evasit, in virtute perseveret: quod nimirum in ruinam delapsurus sit etiam perfectus, si in honestate fuerit elatus, et sibi hujus causam arroget; nec debitam gloriam referat ei, qui multo plus ad acquirendam et retinendam contulit. Talem autem quamdam causam fuisse arbitramur, cur qui ab Ezechiele dicitur inculpatus ambulasse in omnibus viis suis, donec inventa fuerit in eo iniquitas . . . . Forte igitur s. Apostolus, qui sciret multo minus conferre ad comparanda bona voluntatem nostram, quam divinam virtutem, demum ait finem, *non esse volentis neque currentis, sed Dei miserentis;* non quasi Deus non volentes, aut non currentes adjuvet: sed quasi nihil sit velle et currere prae Dei misericordia. Atque idcirco par esse, Dei misericordiae, quam humanae voluntati aut cursui bonum potius adscribi. » Et ubi semina Pelagianismi in hac locutione? Et ubi fundamenta tanti erroris? Et ubi erroris via, quam peragravit Ruffinus, Origenis doctrinam commendans?

Quoad vero secundum, idest ejusdem Ruffini cum Pelagio consensum, quasi fieri possit, asserentis *ad perfectionem et non dicam ad similitudinem sed aequalitatem Dei humanam virtutem et scientiam pervenire, adeo ut nec cogitatione nec ignorantia quidem peccare possit:* hoc inquam docuisse Ruffinum valde dubitandum est. Hunc enim, quamvis de multis pauca supersint ipsius scripta, ex his tamen apparet contrariam tenuisse sententiam aut saltem talem non admisisse errorem. Et re quidem vera, in Libro II. *De Benedictionibus Patriarcharum*, ex Josepho sensum mysticum quaerens, inquit: « Jam enim mihi videtur is filius (Joseph) positus esse, quales beati futuri sunt. Ideo dicitur ei deinde a patre: *ad me revertere.* Redeunt enim post resurrectionem omnes, qui

profecti sunt a Deo. Sed et sanctae Scripturae sententia est: *ne laudaveris quemquam ante obitum*. Ac ideo magis mihi videtur tanta ista beatitudo non esse nisi ejus, qui jam post obitum surrexit a morte.» Hinc itaque perspicue contunditur, quae Ruffino inscribitur *apathia*, *Deique aequalitas* humanae naturae superveniens in consummatione virtutis constitutae, dum in hoc degit seculo.

Praeterea in fine ejusdem Libri de Benjamino locutus ex verbis: *ad vesperam dividet cibum*, inter alia haec ait: «Tertius vero nobis pene vacat in hoc loco sensus, quia ille noster homo, *qui secundum Deum creatus est*, qui primo in Ruben et Simeon et Levi, tripartitis animae motibus, erraverat. Qui in Juda, errore agnito, confitetur et poenitet. Qui in Zabulone exuit hominem veterem cum actibus suis. Qui in Isacar etiam mercedem bonorum operum expectat. In Dan judicandi ac separandi bonum a malo, et cogitationes et spiritus discernendi gratiam accepit. Qui in Gad etiam tentationibus probabilis invenitur. In Aser etiam et cibum dividit principibus, idest perfectis quibusque sapientiae exhibuit dapes. In Nephtalim vel vitis vel arboris sacramenta jam suscepit. In Joseph ad perfectum et summum perveniens futuri seculi et resurrectionis gloriam jam tenet.» Et en vocationis christianae initium, medium et finem: en in Patriarchis mysticam scalam, qua ad summum ascenditur, limpido a Ruffino descriptam. Nec ideo ipse dicit quemquam perfectionem, nisi in vitae termino, unquam assecuturum; qui tentationibus in vita perpetim probatus, ac ad mortem usque triumphans, laborum suorum bravïum idest beatitudinem expectat. Quapropter praefatus Thomas Cacciarius *De vita et fide Ruffini*, Gelasii Papae expendens verba, quibus iste in Concilio romano de eodem Ruffino (quem tamen vocat virum religiosum) nonnulla notavit ceu dogmati de Libero Arbitrio contraria, putat Gelasium, non nisi, quae sensit Hieronymus de Ruffino, animadvertisse.

Nihilominus instans v. Card. Baronius, qui in quaestione origeniana Hieronymo in omnibus acquievit, haec de Ruffino scribit sub an. 400. n. 62: «Accipe in primis, quae Pelagii collega Coelestius publice, cum in Concilio carthaginen-

si haeresis argueretur, libera voce professus est: *Sanctus presbyter Ruffinus Romae qui mansit cum s. Pammachio, id dixit: Ego enim audivi illum dicentem, quod tradux peccati non sit*: Haec ipse de Ruffino negante peccatum originale.»

Verumtamen si ex ipsius libris adhuc superstitibus istud quis comprobare voluerit; contrarium penitus huic haeresi ipsum ire comprehendet. Itaque praeter ea, quae supra adduximus de hac quaestione testimonia, accipe quod ait in Libro I. *De Benedictionibus Patriarcharum*: « Mors Christi, ait, oppressio et triumphus daemonum fuit. Omnem namque praedam, quam leo ille contrarius invaserat, prostrato homine ac deserto, hic Leo noster eripuit. » Item Psalmi 34. verba: *Restitue animam meam a malignitate eorum,* interpretatus de Jesu: « Ac si diceret, inquit, animam meam, quae unica est immunis a peccato. Nulla enim alia anima immunis sine peccato est. » *In Psalmum* 68. addit: « Nam omnes ad mortem veniunt per culpam: ille solus idest Christus ad mortem venit per justitiam. » Similiter Psalmi 35. dicta exponens: *Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me,* scribit: « Radicem peccati et caput peccati timuit, qui hoc dixit. Non deerat primo Adae justitia; sed venit ille pes superbiae: et movit illum manus peccatoris; idest tentatio diaboli. Superbia ergo lapsi sumus, ut ad istam mortalitatem perveniremus. » Pariter ex verbis Psalmi 57. *supercecidit ignis*, de igne concupiscentiae arguens, asserit: « Delectatio quidem carnalis cum homine nascitur. Sed qui bene eruditur, cito videt hostem suum... Qui autem illam concupiscentiam, cum qua de propagine peccati natus est, etc. » Alibi *naturam nostram peccato perditam* vocat. *Morbum animarum* dicit, quem curandi causa venit de coelo medicus.

Quis igitur ex his patentibus testimoniis dubitarit de integro Ruffini cum Ecclesia Catholica consensu quoad protoplastorum culpam totum invadentem genus humanum? proindeque affirmarit, revera eumdem docuisse *traducem peccati non esse*? Quamobrem et quidem jure nonnulli, ne in antilogiam lapsum crederent Ruffinum, haud sentientes talia ipsum admisisse, putarunt, aut Coelestium mentitum esse, aut alium extitisse Ruffinum ab eodem Coelestio citatum. In no-

tis Epistolae 81. Hieronymi ex Editione Vallarsii haec leguntur: « Conjicimus illum esse Ruffinum syrum, a quo, apud Pammachium Romae commorante, Coelestius dixit, se audisse, non esse tradacem peccati. » Et ille fortasse est, quem Hieronymus in Libro III. n. 24. adversus Ruffinum aquilejensem, citat. Unde constat, duos Ruffinos citari in libris ipsius Hieronymi.

Nihilominus Editores Maurini in famae Ruffini detrahendo instantes, ea quoque objecerunt, quae ipse egit transferens commentarios Origenis *in Epistolam ad Romanos* c. I. Hi namque, quae vertit Ruffinus in c. I. ejusdem Epistolae *segregatus in Evangelium Dei*, comparantes iis, quae graece tradiderunt Auctores Philocaliae, inspecta horum varietate, haec scripserunt: *quam infida sit Ruffini interpretatio, liquet ex graecis, quae in Philocaliae c.* 25. *sic repraesentantur etc.*

Interea Editores interrogarem: ubi haec versionis Ruffinianae infidelitas? in sensu ne, an in verbis? in breviatione, seu voluminum coarctatione, quae scripsit Origenes; aut potius in corruptione et falsatione sensus ejusdem interpretis? Ideoque si velint Ruffini infidelitatem reprehendere ob ea, quae breviavit de longis Auctoris discussionibus, summatim eas interpretatus, tunc non erit in hac laborandum quaestione, ostendendo scilicet, se ibi infidum praebuisse Ruffinum. Id vero ex proposito et in Prologo et in Peroratione hujus operis, quod immane existimarat, ac non sui ingenii esse sed divini, ait se ex rogatu Heraclii hujusmodi translationem nec non breviationem aggressum esse: « Addis autem (scribit ad eum) nequid laboribus meus desit, ut omne hoc quindecim voluminum corpus, quod graecus sermo ad quadraginta fere, aut eo amplius millia versuum produxit, abbreviem, et ad media, si fieri potest, spatia coarctem. Dura satis imperia, et tanquam ab eo, qui pondus operis hujus scire nolit, imposita. » In Peroratione porro fere eadem dicit, ubi obtrectationes veritus obloquentium contra se et Origenem, subdit: « Verum ego, qui plus conscientiae meae, quam nomini defero, etiam si addere aliqua videar, et explere quae desunt, aut breviare, quae longa sunt: furari tamen titulum ejus, qui fundamenta operis jecit, et construendi aedificii

materiam praebuit, rectum non puto. » Ideoque, hac praevia Ruffini confessione, non video cur infidelitatis crimine culpandus ipse sit, cum, quod sincere promisit, fideliter exegerit.

Deinde, si praefati Editores infidam Ruffini interpretationem nuncuparint ob sensus origeniani corruptionem, vel falsationem, hoc illis sciendum erat, aliud fieri verborum et sensus falsationem, et aliud haberi eorum breviationem, quae prolixo sermone dictantur; quin tamen Auctoris mens a suo abstrahatur scopo. Itaque, si ob hoc Ruffinum sic damnare putarint, quod nimirum Origenis interpretationem in loco citato corruperit aut falsarit, inita collatione Philocaliae verborum cum Ruffini ejusdem versione, cernendum ipsis erat, nec in hac parte eos jure insimulasse latini intrepretis translationem, quamvis brevi congestam sermone. Quivis enim in Pauli testimonio, Philocaliae exquisierit sensum sicuti et versionis latinae Ruffini licet abbreviatae, concordiam plane perspiciet in iis, quae de Apostoli vocatione et electione ad Christi fidem exculit, deque insuper divina praescientia: quam ostendit Origenes nullimode humano obesse arbitratui, dimicans adversus hujus dogmatis mentitores. A quibus tamen describendis supersedeo, locum citatum commendans lectori; ubi hucusque exposita perspicue comprobantur, de ingenuitate Ruffini in commentariis Origenis summatim latine vertendis, quin ab ejusdem aberret mente. Et eo lubentius hoc asseram pro ipsius Interpretis probitate in operum Origenis translatione, cum quandoque ille ipse questus sit in Hieronymum scribens, quod quidam suam *Periarchon* versionem interpolassent, ea adjicientes, quae nec ille scripsit, neque in codicibus graecis legebantur.

Praeterea, ut qua mente dignoscatur Ruffinus Origenis scripta legerit, verteritque, audiatur quod ait in fine libri *De adulteratione Operum Origenis:* « Definitum est, scribit, apud nos, siquando eum legimus, secundum s. Apostoli commonitionem tenere, quae bona sunt. Siquid autem inventum fuerit in his, quod cum fide catholica non consonat, hoc et ab haereticis suspicamur insertum; et tam ab illius sensu, quam a nostra fide ducimus alienum. In quo etiam si fallimur, nihil

ut opinor, periculi hujuscemodi errore incurrimus. Nam et ipsi, Deo juvante, permanemus illaesi, vitando ea, quae suspecta habemus et improbamus; et accusatores fratrum non inveniemur apud Deum: quia diaboli proprium hoc opus esse dicitur accusandi fratres: « unde et diabolus a criminando nomen accepit; simul et maledicorum sententiam, quae a regno Dei separat eos, qui tales sunt, declinamus. » Et haec omnia insuper instaurantur in Epistola citata ad Anastasium Papam: ubi solidum cuique monumentum praebet, quali studio quali fide, quali scopo Origenis libros interpretatus sit; ac versos lectoribus obtulerit considerandos.

Denique circa sinceros et orthodoxos Ruffini sensus, novisse quoque juvat ipsius in his perseverantiam, quin unquam ad dexteram sive ad sinistram processerit in toto vitae suae curriculo, ita ut fidelis quovis tempore talis reputaretur vir. Insuper non solum, quae Ruffinus sentiret, recta habebantur, veluti dogmati ecclesiastico consentanea; verum etiam quae ipse ex Origenis libris verterat, utilia legebantur ac probabantur; quare in senectute sua magni fiebat Ruffinus ab omnibus et doctis et indoctis, vitae sanctitatem sacramque eruditionem miratis. Hoc autem stabilitur ex ejusdem epistola ad Ursacium edita ab Henrico Valesio: quae legitur in Tomo II. Operum Origenis p. 275: « Ut verbis, inquit, tibi frater, beati martyris loquar, *bene admones Donate carissime.* Nam et promisisse me memini, ut, siquae sint Adamantii senis in Legem Moysi dicta, colligerem; atque ea latino sermone nostris legenda transferrem. Sed reddendae pollicitationi non tempestivum, ut ille ait, sed tempestuosum nobis tempus ac turbidum fuit.

« Quis enim ibi stilo locus est, ubi tela hostilia metuuntur; ubi in oculis est urbium agrorumque vastatio, ubi fugitur per marina discrimina, et ne ipsa quidem absque metu habentur exilia? In conspectu etenim, ut videbas etiam ipse, nostro Barbarus, qui Regino oppido miscebat incendia, angustissimo a nobis freto, ubi Italiae solum siculo dirimitur, arcebatur. In his ergo posito, quae esse ad scribendum securitas potuit, et praecipue ad interpretandum, ubi non ita proprios expedire sensus, ut alienos aptare proponitur? Ta-

men siquae nox animos minore metu hostilis concussit excidii; et breve saltem lucubrandi otium dedit, quasi ad solamen malorum, levandaeque peregrinationis gratia, quaecumque in *Numerorum* Libro sive homiletico stilo, sive etiam ex his, quae *Excerpta* appellantur, scripta reperimus, haec perurgente te, romana, ut potuimus, voce ex diversis in unum ordinem collecta digessimus: te quoque ipso in quamplurimis juvante, Ursaci, nostrum laborem, dum nimis cupidus pueruli notarii tardum putas ministerium. Scire tamen te volo, frater, quod haec lectio vias quidem aperiat intelligentiae, non tamen singillatim cuncta quae scripta sunt, disserat, ut in *Explicationum* libris legisti; quo scilicet lector non reddatur otiosus, sed pungat cor suum, sicut scriptum est, et producat sensum; et audito verbo bono, ut sapiens adjiciat ad illud. Igitur ut possum, quae injunxisti explicare contendo. Iam enim ex omnibus, quae in Lege scripta reperi, solae, ut puto, *in Deuteronomium* desunt *Oratiunculae;* quas si Dominus juverit, et sanitatem dederit oculis, cupimus reliquo corpori sociare: quamvis amantissimus filius noster Pinianus, cujus religiosum coetum pro amore pudicitiae profugum comitamur, injungat et alia. Sed orate communiter, ut adsit Dominus, et temporibus pacem tribuat, gratiam laborantibus donet, et fructum operis nostri in profectum legentium promat. »

Cum hae igitur litterae scriptae a Ruffino sint post recessum ab Oriente in Italiam, sive post barbarorum irruptionem, jam ipso aetate provecto, paulo ante obitum suum, omnibus animadversis circumstantiis ibi expressis, facile comprehenditur, quam maxime dubitandum esse de iis, qui ei inscribuntur errores. Si enim Ruffini nomen, suaque fama fuissent haereseos nota, aut dubiae fidei obscurata: non tam limpide nec Ursacius, nec Pinianus, nec monachorum coetus, quibuscum versabatur, tali reverentia ac aestimatione ipsum prosecuti fuissent; nec eumdem sollicitassent ad scribendum, sive Origenis exponendos libros: a quibus omnes se collecturos sperabant profectum in pietatem et Christi doctrinam.

Porro non solum donec in vivis degit Ruffinus, ipsius fides universim (si Hieronymum excipias) conclamata est sincera; sed et post obitum nactus est, qui tales suos sensus probaret. Gennadius namque Ecclesiae Scriptores recensens haec tradit de Ruffino: « Aquilejensis Ecclesiae presbyter non minima pars fuit Doctorum Ecclesiae; et transferendo de graeco in latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem graecorum bibliothecae latinis exhibuit, Basilii scilicet caesariensis Cappadociae episcopi, Gregorii nazianzeni eloquentissimi hominis, Clementis Romani *Recognitionum* libros, Eusebii caesariensis Palaestinae Ecclesiasticam Historiam, Xisti sententias, Evagrii sententias. Interpretatus est quoque sententias Pamphili martyris adversus Mathematicos. Horum omnium quaecumque, praemissis prologis, a latinis leguntur, a Ruffino interpretata sunt. Quae autem sine prologo ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit: Origenis autem non omnia, quia et Hieronymus transtulit aliquanta, quae sub prologo discernuntur. Proprio autem labore, immo gratiae Dei dono exposuit idem Ruffinus *Symbolum*, ut in ejus comparatione alii non exposuisse credantur. Disseruit et *Benedictionem Jacob* super Patriarchas triplici, idest historico, morali, et mystico sensu. Scripsit et epistolas ad timorem Dei hortatorias multas, inter quas praeveniront illae, quas ad Probam dedit. Historiae etiam Ecclesiae, quam ab Eusebio scriptam et ab ipso interpretatam diximus, addidit decimum et undecimum librum. Sed et obtrectatori (Hieronymo) opusculorum suorum respondit duobus voluminibus, arguens et convincens, se Dei intuitu, et Ecclesiae utilitate, auxiliante Domino, ingenium agitasse: illum vero aemulationis stimulo incitatum ad obloquendum stilum vertisse. »

Gennadius itaque cum ita nonaginta fere annos post Ruffini obitum, hoc eidem encomium intexat, nobis satisfacit in eo, quod per istud temporis spatium fama Ruffini fauste percrebuerit in Ecclesia tam ex traditione orali, tam ex ejusdem libris, quos Gennadius recensuit, reperitque irreprehensibiles. Praeterea notandum est Gennadium (de quo inferius) inter sanctos viros ab Adriano Papa I. nuncupatum fuisse:

qui de sua fide ad Pelagium Papam misit litteras; quique adversus omnes haereses libros octo scripsit, et adversus Nestorium libros sex, ac tres libros adversum Pelagianos. Ideoque, non videntur admittenda quae ait s. Hieronymus de Ruffino, hunc haereticum et Pelagianum vocans. Non enim tam aperto sermone Gennadius dixisset Ruffinum *non minimam fuisse partem Doctorum Ecclesiae*: nec multo minus ipsius celebrasset in *Symbolum Apostolicum* expositionem, adeo ut nemo, ait, eidem in hoc Opere veluti divinitus expleto sit aequiparandus, si reapse Ruffinus errasset; si revera haeresim professus esset; si ex animo adversus catholicam fidem dimicasset; et si denique consequenter aut ex libris suis vel ex fama ecclesiarum nomen suum in fidelium male insonuisset auribus. Et id sane nobis majus praestat indicium de orthodoxis Ruffini sensibus, ejusdemque sanctitate, qua tunc in orbe christiano refulsit.

Praeterea in hac de Ruffini fide quaestione satisfiat sententia Cardinalis Norisii; qui in Libro I. *Historiae Pelagianae* c. III. inquit: « Ruffinus non fuit haereticus, licet s. Hieronymus eumdem haereticis annumeret. Neque enim s. Paulinus tam religiosam cum eodem amicitiam aluisset; neque Pinianus et utraque Melania illum una secum in Siciliam adduxissent, et in suburbano Pineti monasterio juxta urbem degere non potuisset, si palam haeresi infectus fuisset. » Et hoc quoque sensit Fontaninus in Historia Litteraria Aquilejae, ubi Ruffinum ab haeresi vindicat, summopere ipsius sanctitatem celebrans fidemque sinceram.

Cum itaque nulla malitia sit in Ruffino admittenda, veluti ex praefatis multimode ostendimus, sicuti nec talis in ipso comprehendenda sit ignorantia, ut non intellexerit, quae ex Origenis variis tractatibus interpretatus est, quasi ei expositore opus fuisset ad eorum sensum capiendum; nec nescius in rebus ecclesiasticis videatur, ut, quae tyrones a tenera aetate discunt in scholasticis institutionibus, aetate et scientia provectus ipse ignoraret Ruffinus, et summarie dicam, post sedulam librorum Origenis lectionem, nullum ex tot sphalmatibus animadverterit, et animadvertens non refutarit; ideoque cum nullo jure haereseos vel erroris culpandus sit, sed sin-

cere et scite tenendum egisse Ruffinum in scriptis Origenis transferendis, in Litteris ad Anastasium Papam datis, et in reliquis ipsius libris in Ecclesiae aedificationem editis: cunctis his positis, pro nostro principali argumento illud quoque necessario infertur, Origenis doctrinam immunem ire ab erroribus ei inscriptis a Theophilo, Epiphanio et Hieronymo.

Quanto vero jure haec pro Ruffini fide ac sinceritate in quaestione origeniana (quemadmodum et in ceteris) extra omne malitiae genus incedentis suscepi demonstranda, coaevorum Patrum suffragantur testimonia: ad quos et vicinos et dissitos tunc fama ejusdem honorifica pervenit sive ante, sive post suas cum Hieronymo dissensiones. Universim namque et ubique vir celebrabatur *humillimus, piissimus, mitissimus, religiosissimus, doctissimus, sanctissimus.* Et hoc factum est, inquam, per totidem viros doctrinae catholicae zelatores parique pietate insignes. Reapse Palladius in *Historia Patrum,* beatae Melaniae romanae pietatem extollens, ait, cum ea Hierosolymis vixisse nobilissimum et moribus simillimum et fortissimum Ruffinum ex Aquileja civitate Italiae; qui postea dignus habitus est presbyteratu. Quo non est inventus inter homines nec doctior, nec mitior. » Hieronymus, cum nondum de Origene quaestio eos sejunxisset, ad Florentium scribens: « Frater Ruffinus, ait, individua mihi germanitatis charitate connexus est. Noli nos ejus aestimare virtutibus. In illo conspicies expressae sanctitatis vestigia; et ego cinis et vilissimi pars luti; et jam favilla dum vegetor, satis habeo si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. » S. Paulinus Nolae episcopus in Epistola IX. ad Severum de eodem ait: « Ipsam annotationem, quam commonitorii vice miseras, litteris meis inditam, direxi ad Ruffinum presbyterum, sanctae Melaniae in spiritali via comitem, vere sanctum, et pie doctum, et ob hoc mihi intima affectione conjunctum. »

Porro ad eumdem ipse scribens, ab eo epistolas etiam breves petit; sibi enim magno refrigerio eas fore asserit: « Quo magis egeo Dei misericordia, ut pleniorem mihi copiam tui tribuat; quia pro divitiis hoc erit pauperi, vel mi-

cas a divitis mensa cadentes avido famelici cordis ore colligere . . . . . Ergo si amas me, immo quia multum amas, rogo ut scribas mihi circa Patriarcharum benedictionem etc. » Chromatius episcopus aquilejensis rogat Ruffinum, ut libros Eusebii de Historia Ecclesiastica latine vertat : in quibus litteris unius humilitas maxima, alterius erga Ruffinum fama celebratur.

Item ipsius pietatis et scientiae in rebus divinis indicium comprehendes, legens quae ipse praemisit Prologo commentariorum *in Prophetas Minores*, ubi eorum mentionem agit, qui ad hoc opus impulerunt ; et ubi eosdem hortatur precaturque, ut ad promerendam intelligentiam veritatis, piis et intentis precibus ipsum adjuvent. Similiter ad papam Laurentium, a quo ei commendatum fuerat commentarium in *Symbolum Apostolorum*, inquit : « Quamvis supra vires nostras sit pondus praecepti (non enim me latet illa sententia sapientum, quae probe admodum dicit : *quia de Deo etiam vera dicere periculosum est)* tamen si petitionis a te impositae necessitatem orationibus juves, dicere aliqua obedientiae magis reverentia, quam ingenii praesumptione tentabimus. » Cassianus divi Chrysostomi auditor in Libro VII. c. XXVII. *De Incarnatione Domini* : « Ruffinus, ait, quoque christianae philosophiae vir haud contemnenda ecclesiasticorum portio Doctorum, ita in expositione Symboli de Domini Nativitate etc. » Hoc item testatur Augustinus in Epistola ad Hieronymum. Nec aliter de Ruffino sentiendum erat quippe eorum discipulo ac familiari, qui tunc in Ecclesia Dei orientali et occidentali, sanctitate et doctrina praestitere.



CAPUT XV.

Joannis hierosolymitani, Palladii helenopolitani, Theotimi tomitani, Origenis et monachorum nitriensium orthodoxiam propugnantium, fidei integritas et pietas sincera adversus quorumdam suspiciones vindicantur.

Quod vero hucusque pro Ruffino egimus ejusque fidei integritate, illud ipsum nostra interest, Joanni Hierosolymorum episcopo vindicare. In eadem enim causa fuerunt ambo: contra utrumque, ut vidimus, et quidem immerito actum est. Alter alterius onera portavit insimulationis ob Epiphanii et Hieronymi zelum, qui praeter scientiam adversati sunt eisdem, quippe subscribere renuentibus Origenis damnationi. Ac interim de Joanne ob hanc Origenismi criminationem, unde s. Epiphanius in judicium ipsum convenit, novimus eumdem Joannem pro se Apologiam (quam perperam confutavit Hieronymus) undequaque misisse, ac praesertim Romam. Ubi Pammachius ad praefatum Hieronymum scribens, dicit, ideo Romae multorum animos in diversa distractos fuisse, aliis Salaminii idest Epiphanii, aliis Joannis defendentibus causam. Itaque si tum ex ipsius Joannis Apologia, tum ex romanorum multorum erga hunc ipsum studio arguendum sit, pignus nobis exhibetur conscientiae ac fidei integritatis, qua ministerio episcopali fungebatur, sicuti Ecclesiae Romanae testimonium erga personam ejusdem ob ea, quae in citata Apologia tractavit circa Origenis libros.

Ac interim s. Paulinus in Epistola XI. ad Sulpitium, *sanctum episcopum* vocat Joannem: « Partem, inquit, particulae de Ligno Crucis divinae, quod nobis bonum *benedicta* Melania ab Hierusalem munere sancti inde episcopi Joannis attulit. » Item Chrysostomus in Epistola 88 ad eumdem, istud de ipsius sanctitate documentum reliquit, dicens: « Cucusum relegati sumus: nec tamen a vestra charitate semoti. Illud etenim in aliorum potestate situm erat, hoc autem in nostra. Quamobrem hic degentes, ac tanto intervallo dissiti, venerationi vestrae scribimus; vosque hortamur, ut fortitudinem

eam, quam ab initio praestitistis, ab eorum nimirum coetu, qui ecclesias tot tumultibus impleverunt, vos removentes, nunc quoque retineatis, paremque praeludiis, immo etiam longe splendidiorem finem imponatis. Neque enim parva hinc vobis merces constituta est, si eos, qui tantam tempestatem invexerunt; universum pene terrarum orbem tot scandalis impleverunt (Theophilum indicat suosque socios) ut par est aversemini; nec quidquam cum illis commune habeatis. Hoc ecclesiarum praesidium est: hoc murus, hoc corona vestra atque praemia. Haec igitur cum tibi perspecta sint, domine mi reverendissime ac religiosissime, da operam, ut ecclesias hoc modo communias, amplissimam hinc mercedem expectans: nostrique, qui pietatem tuam valde amamus, atque ex tua benevolentia pendemus, fac perpetuo memineris. Nam ipsis operibus didicimus quantam erga nos charitatem praetuleris. »

S. Augustinus in Epistola ad Petilianum de ipso ait: « Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae Romanae; in qua Petrus sedit et Anastasius sedet? Vel Ecclesia hierosolymitana, in qua Jacobus sedit et Joannes sedet? quibus nos in catholica unitate connectimur; et a quibus vos nefario furore separatis?» Ex his igitur arguito, num fieri potuisset, ut Chrysostomus tam studiose eidem Joanni commendaret regimen ecclesiarum in Palaestina, ipsius pietatem exornans ac prudentiam, ac una Augustinus se eidem episcopo jungeret, se et eumdem in unitate catholica compellans socios, si revera (uti Epiphanio et Hieronymo visum est) praesumptis Origenis erroribus et impietatibus communicasset Joannes.

Et haec scribebant beati Chrysostomus et Augustinus, cum ss. Hieronymus et Epiphanius adversus Episcopum Hierosolymorum calamum obstrinxerint ceu Origenis haereseos participem, putantes Origenem errasse et cum eo Joannem, qui ipsius partes susceperat. Sed et istud quoque mirum in hoc negotio: quando ambo Epiphanius et Hieronymus in Joannem hierosolymitanum exardescebant, veluti Origenis placitis obsecutum et a veritate devium, paulo post Anastasius Papa in litteris de quibus inferius, *sanctitatis splendorem* vocat Joannem, *omnium praestantissimum; cujus episcopatus cum*

totam irradiaret orbem, usque ad Romanum Pontificem ipsius splendor pervenerat. Item Innocentius Papa circa annum 417. in epistola ad s. Hieronymum, Joannem vocat *episcopum fratrem meum.* Et per talem nuncupationem quis haereticum reputarit Joannem ?

Insuper praemissis, et potissimum relate ad Augustini verba de catholico Joannis ipsius sensu, superaddere juvat quae Ruffinus scribit in Prologo Apologetici s. Pamphili pro Origene, tam in sui quam ejusdem hierosolymitani Episcopi causa : ubi emissa fidei professione de divinissimo Trinitatis mysterio, de resurrectione et de ceteris juxta apostolica instituta, ita concludit : « Haec in Hierosolymis in Ecclesia Dei a sancto sacerdote ejus Joanne praedicantur : haec nos cum ipso et dicimus et tenemus. Siquis praeter haec vel credit, vel docet, vel a nobis aliter credi, quam exposuimus, putat, anathema sit. Nostrae ergo fidei documentum, siquis habere vult, habeat ex his. Siquid autem aut legimus, aut hujus nostrae fidei facimus ratione, secundum Apostolum probantes omnia, quod bonum est obtinentes, ab omni specie mala nos abstinentes : et siqui hanc regulam sequuntur, pax super illos et super Israel Dei. Amen. » Et haec Ruffinus cum Joanne et pro Joanne scribens ad Macharium, ac per eum ad universam Ecclesiam, obtestatus est ob illam fabulosam rapsodiam varii generis blasphemiarum ; quas Epiphanius et Hieronymus inconsulti, ac calamum fraudulentum ignorantes, Origeni imposuerunt ; et quarum consortes praefatos sanctos viros fuisse putarunt.

Ideo his stantibus pro Joannis orthodoxia amplissimis argumentis, nobis facilis recurrit interpretatio, congruumque judicium circa epistolam, quam adversus hunc scripsit Hieronymus ad Theophilum alexandrinum. In hac enim liquet, Hieronymum quaestionem origenianam pertingere, in qua unus ab altero dissentiebat. Unus idest Hieronymus in Origenem et monachos hujus patronos pugnabat tanquam haereticos. Alter idest Joannes pro Origenis et monachorum sincera fide stans, hanc haereseos notam ab his amovere studebat. Superius ut vidimus, Hieronymus per Librum vel Epistolam incusat Joannem quasi Origenis non tantum defenso-

rem sed et praesumptis ipsius erroribus participem. Et ex adverso Joannes redarguit Hieronymum uti dissidia et schismata serentem in ecclesia Hierosolymorum ob hanc quaestionem, adeo ut videretur coactus episcopus illum expellere a sua dioecesi. Quam rem valde aegreferens Hieronymus scribit ad Theophilum precatus ut ab hoc consilio amoveat Joannem.

In hac autem, ut pauca notem, inquit Hieronymus n. 2. Nos nec ecclesiam scindimus, neque a Patrum communione dividimur. . . . Et in n. 4. « Cogit me brevius loqui, dolor longius. Scribit in suis illis, ut ille vult, pacificis, ut ego sentio, mordacissimis litteris, quod nunquam a me laesus sit, nec dictus haereticus. Quonam igitur modo me ipsum laedet aegrotantem morbo pessimo, et rebellem Ecclesiae ventilans . . . . . Nuper nobis postulavit et impetravit exilium: atque utinam implere potuisset; ut sicut illi voluntas imputatur pro opere, ita et nos non solum voluntate, sed et effectu coronam haberemus exilii . . . . . Nos solos expellere cupiunt? Nos soli, qui Ecclesiae communicamus, Ecclesiam scindere dicimur. Monachus proh dolor! monachis et minatur et impetrat exilium; et hoc monachus, apostolicam cathedram habere se jactans . . . . . Quapropter quod in principio epistolae dixi, etiam nunc repeto, nos velle pacem Christi, optare concordiam; et te rogare ut illum moneas, pacem non extorquere, sed velle. »

His praemissis, si huc reducatur quaestio principalis, et hujus inter Joannem et Hieronymum dissidii causa, idest num Origenes vere haereticus fuerit et haeretica docuerit: quoties comprobatum fuerit, uti supra satisfecimus, nec Origenem errasse, nec ullos tunc repertos, praesertim ex monachis, qui eas profiterentur impietates, limpide sequitur, immerito conqueri Hieronymum adversus Joannem: et hinc amplius jure ex ministerii sui munere egisse probatur episcopum; qui Hieronymum corripuit, ei minatus quoque exilium, cum ob hanc infaustam quaestionem suam fidem in dubium vocasset s. Doctor, et ecclesiam Hierosolymorum in partes scinderet, cum antea concordia frueretur et pace.

Postquam vero talia de Joannis fide integra protuli testimonia, nolo a lectoribus abscondere Ecclesiae antiquae documenta circa ejusdem obitum, ejusque sanctitatis famam undique fulgentem in mundo. Ac interea recole quae in ultimo Sermone ad populum loquitur, ita exorsus: « Lugubris oratio, cum etiam sit postrema, sicut mihi innotuit, sed tamen magno gaudio plena. Lugubris quidem, quia non amplius loquar vobiscum, multo autem gaudio referta; quoniam tempus meae resolutionis instat, ut sim cum Christo: et sicut dixit Dominus, non amplius loquar vobiscum. » Et quin recenseam quae Lucianus presbyter in sua epistola narrat de ipso Joanne ob prodigiosam inventionem ss. Reliquiarum Stephani martyris et sociorum, accipe quae Thomas Cacciarius in *Historica Dissertatione* pro Ruffino aquilejensi c. XIV. de eodem Joanne testatur:

« Necdum vero manum de tabula: etenim Romana Ecclesia in Officio Inventionis s. Stephani ad diem 3. Augusti, quanto cum honore Joannis nomen assumit? In antiquis vero ipsius Breviariis aeque impressis ac manuscriptis, quam frequenter in Lectionibus, in Responsoriis, in Antiphonis, Joannes *sancti* nomen honoratur. Nunquid autem per tot secula Romana Ecclesia ecclesiarum omnium Mater et Magistra Christifidelibus imposuit? Apage nefariam suspicionem. Ejus autem exemplum jamdiu secutae sunt, atque in eodem instituto constanter perseverant tam multae Occidentis ecclesiae, trevirensis, teodiensis, bellovacensis, aurelianensis, pictaviensis, et cenomanensis cum aliis antiquissimis compluribus tam Galliae, quam Germaniae: quae omnes in divinis officiis nunc etiam *sanctum* canunt Joannem nostrum. Hispaniae quoque ante reformatum a s. Pio V. Breviarium, idipsum facere consueverant, nominatim vero celeberrimae in iis ecclesiae toletana et cordubensis. Id enim erat initium Antiphonae ad *Magnificat. Hodie s. Joannes Pontifex.* Primo vero ad *Laudes*: *Regressus Lucianus presbyter a s. Joanne episcopo.* Denique in Responsorio nonae Lectionis canebatur: *Sanctus Joannes episcopus lacrymatus prae gaudio.*

« Tot autem ecclesiarum ac potissimum Romanae tam praeclarum et consentiens de Joanne judicium, cui quaeso

non gravius futurum sit quam Epiphanii aut Hieronymi auctoritas? » Quibus verbis si addantur hucusque pertractata pro Origene, cujus partes suscepit Joannes, et quidem jure, et quidem sancte, et quidem undequaque communitus a priscorum Patrum traditione, nonne in quaestione nostra uterque triumphum ducit Origenes et Joannes adversus s. Epiphanium et Hieronymum?

Praeterea, siculi in Origenis causa, Ruffini et Joannis Hierosolymorum episcopi hucusque studui fidei integritatem tueri, ut omnis ab adversariis tollatur praetextus, dein, ut amplius proposito serviamus, juvabit sane et Palladii galatae, helenopolitani episcopi sensus et gesta disquirere. Cum enim et ipse in hac quaestione plurimum nisi recta, saltem oblíque laborarit pro monachis nitriensibus, et consequenter adversus Theophilum, Hieronymum et Epiphanium: isti ideo ceu haereseos origenistarum participem ac patronum insimularunt. Et re quidem vera, Epiphanius ad Joannem praefatum scribens circa annum 392. inquit: « Palladium vero galatam, qui quondam nobis charus fuit, et nunc misericordia Dei indiget, cave, quia Origenis haeresim praedicat et docet: ne forte aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris. » Hieronymus deinde in eadem haeresi et similibus erroribus perseverantem repraesentat Palladium sub an. 414. in Prologo Dialogi adversus pelagianos; ubi ita scribit: « Palladius servilis nequitiae eamdem (Pelagii) haeresim instaurare conatus est, et novam translationis hebraicae mihi calumniam struere. Num et illius ingenio, nobilitatique invidemus? Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur; et garrit unusquisque quod sentit. Ego solus sum, qui cunctorum gloria mordear, et tam miser, ut his quoque invideam, qui non merentur invidiam. Unde ut omnibus probarem, me non odisse homines, sed errores, nec aliquorum infamiam quaerere, magisque dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientia supplantantur, Attici et Critobuli nomina posui; per quos et nostra pars et adversariorum, quid sentiret, expromerem. Quin potius omnes, qui catholicam sectamur fidem, optamus et cupimus damnari haeresim, homines emendari. Aut certe si in errore voluerint perma-

nere, non nostram culpam esse, qui scripsimus, sed eorum, qui mendacium praetulerunt veritati etc. »

His intentis et Epiphanii et Hieronymi in Palladium ceu haereticum exprobrationibus, illud antea in hujus Palladii causa attendendum, quod saepe dictum est de praesumptis Origenis erroribus. Si enim, inquam, revera Origenes haeretica docuisset et scripto mandasset, si revera blasphemasset, prout tenent ambo praefati Doctores, tunc jure quodammodo ob haeresim, aut haereticorum patrocinium correptus ab his fuisset Palladius. Verum nec Origenem errasse, neque Ruffinum, nec Joannem hierosolymitanum falsa docuisse, nec ceteros monachos nitrienses haeretica professos esse, fuse superius ostendimus, et infra patefiet. Quamobrem sicuti et ceteri, ab hoc crimine quoque immunis evadit Palladius.

Attamen non hoc solummodo quaeritur de Palladio. Illud maxime nostra scire interest et viri probitatem, et doctrinae sanctitatem, non tantum ex his, quae scripsit, sed potius ob ea, quae in Ecclesia et in ecclesiasticis muneribus tunc temporis egit; et speciatim in legationibus, quibus a praeclarissimis ac piissimis viris decoratus est in Asiam primum, deinde Romam apud Innocentium Papam: a quo benigne acceptus est, et quocum de negotiis gravibus pertractavit. Et cujus animum expertus sanctus Pontifex, fide sincera praeditum, summa laude prosecutus est ac benevolentia.

Et sane quidem in Dialogo narrat ipse, se a Chrysostomo in Asiam missum circa annum. 400. in causa Antonini episcopi ephesini variis criminibus insimulati, ut una cum sociis rem investigaret. Deinde reversus, paulo post cum Chrysostomo ob idem negotium illuc venit. Innocentius Papa in Litteris ad clerum et populum constantinopolitanum ex iis, quae adversum eumdem Chrysostomum ibidem patrata erant, de Palladio suisque sociis ait: « Omnia porro, quae vos perferre dixistis, jam antea a coepiscopis nostris, qui Romam licet diversis temporibus confugerunt, idest Demetrio, Cyriaco, Eulysio et Palladio, qui nobiscum sunt, accurata interrogatione didicimus. » Deinde instante eodem Pontifice, eademque de causa coacto Concilio italico, tunc selectis quin-

que episcopis, narratur eosdem accipientes *Commonitorium* totius Synodi Occidentis, Constantinopolim profectos esse cum Cyriaco, Demetrio, Palladio et Eulysio episcopis.

De his porro legatis, in quibus Palladius, idem Joannes in sua Epistola, ob eas, quas in itinere passi sunt, aerumnas, sic loquitur circa annum 406. seu 407: « Beati vos, ac ter beati, saepiusque beati ob praeclaros hos sudores, certamina et aerumnas, labores, pericula, quae pro omnibus orbis terrae ecclesiis subiistis. Hincque tum in terra, tum in mari, tum in coelis gloriam et splendorem consecuti estis. Siquidem homines omnes, qui quidem mentis compotes sunt, vos praedicant et coronis cingunt animi vestri robur; fortitudinem, tolerantiam, atque constantiam ad stuporem usque mirantes. Benignus autem Deus, qui laboribus longe ampliora praemia semper constituit, tot bona vobis rependet, quot quantaque iis a Deo rependi par est, qui pro universi orbis pace tam strenue dimicant. Ideo nos quoque beatos vos praedicare non desinimus, voluptatem ex vestra recordatione perpetuo capientes; vosque, etiamsi alioqui longe itineris intervallo a vobis disjuncti simus, animo circumferentes. Ac Cyriacus quidem reverendissimus diaconus nunc navigare non potuit, quod multo labore confectus esset. At vero domini mei religiosissimus presbyter Joannes et reverendissimus diaconus Paulus, cum undique vexarentur, nec usquam consistendi ac delitescendi potestas esset, necessarium esse putarunt, ut ad charitatem vestram se se conferrent, isticque vobiscum essent. Quamobrem ipsos cum charitate excipite, eamque quam par est, benevolentiam ipsis exhibete. »

Circa istud tempus, et has quoque litteras Palladio dedit Chrysostomus: quarum tenor sic se habet: « Pro eo statu quidem, quo res nostrae sunt, consolatione nihil opus habemus. Siquidem ad consolationem nobis abunde est rerum, quae contigerunt, argumentum. At vero communem ecclesiarum tempestatem ac naufragium istud, quod terrarum orbem invasit, luctu lacrymisque prosequimur: vosque omnes obsecramus, ut precibus juvetis, quo haec internecio tandem aliquando depellatur; cunctaque ad summam tranquillitatem redeant. Hoc quaeso facere ne intermittatis. Nam

cum in occulto delitescatis, spatium habetis cum mente contrita precibus inhaerendi. Porro minime parvum hoc existimandum est, nimirum benigno Deo ad pedes accidere. Quare sine intermissione haec facite; et quam saepissime licuerit, litteras ad nos mittite. Nam etsi longo itineris intervallo a vobis semoti simus, nullam diem praetermittimus, quin rerum vestrarum cura tangamur: eosque, qui istinc veniunt, etiamsi id raro contingat, interrogemus, et curiosi sciscitemur. Ut igitur apertius omnia sciamus, hanc nobis, cum occasio se offerat, gratiam concedite, ut de vestra valetudine nos certiores faciatis; quo licet in solitudine degentes, ingenti solatio afficiamur. » Ejusdem Palladii fidei probatae testimonium reddit Isidorus Pelusiota in litteris ad eumdem datis; in quibus ipsius virtutes celebrat, earumque exercitium ipsi commendat in munere episcopali. Item Theodorus Trimithuntis in Cypri insula antistes Palladium *venerandum virum* nominat.

His igitur amplissimis testimoniis, quibus in Ecclesia tunc exornatus est Palladius, adeo ut ipsius nomen et Orientis et Occidentis episcopatus reveritus sit, non video cur s. Epiphanii et s. Hieronymi standum sit auctoritati, proindeque inter haereticos origenistas inscribendus helenopolitanus Antistes. Mirum sane est, cum s. Epiphanius ad Hierosolymorum episcopum Joannem scribens, sub an. 392. Palladium haereticum seu origenistam arguat, et cum item s. Hieronymus sub an. 414. ipsum in eisdem erroribus persistentem nobis objiciat, veluti ex praefatis eruitur: haud modica, inquam, nos admiratione afficit, eumdem Palladium, eo mediante tempore etsi haeretici nota ictum, inter episcopos tamen catholicos cooptatum, Christi gregem regere, orthodoxae fidei tractare negotia, non solum in sua dioecesi, sed et extra, et longe, uti a synodis honoratum vidimus legationibus, a veritate devios reducendi, dissidentesque componendi gratia, nullis parcentem laboribus, plura perpessum discrimina, ac pro fide sincere dimicantem.

Aut, ut alia ratione dicam, quomodo fieri potest, ut Palladius Origenis studiosus, quod, juxta Hieronymi et Epiphanii sensum, idem est, atque blasphemiarum assertor, et

absurda quaeque tenens; quï fieri potest, ut ipse tanto tempore, tantaque vafritia, perversitatis suae virus occultare potuerit, ac praesertim ubi urgeret necessitas ea loquendi, non solum private sed et publice propugnandi, quae ipse intus in corde suo refutans aspernabatur, donec et omnibus suae curae creditis fidelibus, presbyteris, et quos habuit in suis legationibus socios, episcopis, Synodi ephesinae Patribus, Isidoro Pelusiotae, et Joanni Chrysostomo sanctissimis ac doctissimis viris, Clero Romano, ac demum vigilantissimo ac sagacissimo Pontifici Innocentio illuderet? Qui tamen omnes hujus s. antistitis Palladii fidem sinceram, ferventemque charitatem mirati, *beatum ac venerandum* nuncuparunt. Quae universim ostendunt, nec ipsum aliquando errasse Palladium, nec Origenis suppositos admisisse errores, nec denique his consequenter eumdem insimulandum esse Origenem de falsitatibus ipsi inscriptis a Theophilo, ab Epiphanio et Hieronymo.

Superius Theotimi scythici episcopi tomitani obtestationem legimus; quacum s. Epiphanii restitit decreto adversus Origenem, ostendens nullo jure damnandum esse virum, pie in Ecclesia defunctum, et cujus scripta sanam redolebant doctrinam. Ne autem quis dubitet de sinceritate hujus testis aut ob ignorantiam, vel partium studium, sive malitiam talia deponentis, audiat quid de hoc antistite narret Sozomenus in Libro VII. Hist. Eccles. c. XXV. acta eorum colligens hac aetate sanctitate et doctrina excellentium: « Eadem memoria, ait, tomiensium et reliquae Scythiae ecclesiam gubernabat Theotimus scytha vir in philosophia enutritus: quem ob virtutem admirati hunni Istri accolae barbari Deum romanorum appellabant. Nam sane divinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim quod aliquando iter per hanc barbarorum terram facienti, eadem via obviam facti sunt, qui ad depraedationem equitabant. Lamentantibus igitur ejus sociis perinde ut, qui jam jam essent perituri, ille descendens ab equo, orabat. Quo facto barbari, neque ipso, neque comitibus ejus, neque equis, quibus insidebant, conspectis, praeterierunt.

« Cum autem crebris incursionibus scythas infestarent hunni, quamvis natura essent feri, tamen ad mansuetudinem convertit, tum conviviis, tum muneribus eos liberaliter excipiens. Qua quidem ex re quidam barbarus eum suspicatus esse opulentum, dolo capere statuerat. Parato igitur in hoc, laqueo ad scutum alligato, sicut in hostes consueverat; illi dum colloquitur, sublata dextera funem immissurus erat, tanquam eum ad se et ad contribules attracturus. At vero manus in ipso conatu elevata, in aëre remansit: nec antea barbarus ex invisibilibus istis vinculis liberatus est, quam aliis pro ipso intercedentibus, Theotimus Deum exorasset. Ajunt porro, quod hic in coma nutrienda perseveraverit; et Philosophiae studium uti coeperat, prosecutus, ac tenui victu usus sit. Sumendique nutrimentum non semper idem, sed in fame atque siti tempus determinaverit. Philosophi enim erat, opinor, his quoque pro necessitate et non pro otio locum dare. »

Et haec modo satisfiant, ut inferatur, num merito dubitandum sit de trium antistitum virtutibus singularibus; quibus (si paucos excipias) Ecclesia universalis testimonium reddidit ob vitae sanctitatem, fidei puritatem, zelum in munere episcopali exercendo, studium perpetuum in erroribus profligandis, in fidelium concordia servanda, et praesertim propter obsequium in Romanum Pontificem; cui in Ecclesiae negotiis extricandis se deferebant, Petri Apostoli claves in judiciis ejus reveriti. Atque ut itidem dein oblique confirmetur principalis quaestionis nostrae scopus, idest Origenis et istius patronorum monachorum nitriensium vindiciae contra veterum et recentiorum insimulationes: ad quas ventilandas summopere laborarunt praefati episcopi Joannes, Palladius, Theotimus. Quibus addendus est Chrysostomus, qui cum nuncupatis viris Origenis et monachorum alacri constantique studio causam suscepit. Cujus item pietas et eximia doctrina cum adeo cunctis pateant, nobis haud necesse est pro eo insumere laborem.



CAPUT XVI.

Evagrii pontici inter monachos Nitriae Origenis patronos investigatur doctrina praesertim de Apatibilitate: *in qua utriusque Evagrii et Origenis orthodoxus probatur sensus.*

Attamen non hic cessant Hieronymi studia in his corripiendis, qui pro Origene et pro monachis ejusdem patronis steterunt. Evagrium namque, sicuti et Palladium ceu origenistam sive haereticum arguit s. Doctor ob ea, quae scripsit de monachis nitriensibus. Specialim vero ab Hieronymo corripitur Evagrius, sentiens *posse humanam naturam ad perfectionem, et non dicam ad similitudinem sed ad aequalitatem Dei et scientiam pervenire.* Haec s. Doctor in Dialogo adversus Pelagianos n. 1. reprehendit in Evagrio. Et in Epistola 133. ad Ctesiphontem n. 3. de eodem ait: « Evagrius ponticus iberita, qui scripsit ad Virgines, scribit ad eam (Melaniam) cujus nomen nigredinis testatur perfidiae tenebras. Edidit librum et sententias περὶ ἀπάθειας, quam nos *impassibilitatem* vel *imperturbationem* dicere possumus: quando nunquam animus nullo perturbationis vitio commovetur; et ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est. »

Interim vero ut propius hujus discrepantiae causae decernantur, investigetur quid ibi voluit, egitque Evagrius, de *apatibilitate* disserens, ac ubi praesertim ab Hieronymo reprehenditur. Evagrius quasi flores ex Patrum dictis seligens, perfectionis viam instruxit, eamque fidelibus proposuit, ut, quoad fieri posset in iis compleretur Salvatoris sermo ad discipulos suos: *qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam ac sequatur me.* Aut similiter: *si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus.* Ac potissimum ad monachos locutus, ea statuit perficienda; sicuti et ipse profitetur a senibus audivisse, didicisse, ac amplius in actu vidisse. Et hinc ajebat: « Verba vero haec sunt, quae ad monachos proferunt Patres: fidem, o fili, confirmat timor Dei; hunc rursus continentia, quam immotam reddunt tollerantia et spes: ex quibus ἀπάθεια impatibilitas, cujus

soboles charitas officium est naturalis cognitionis, cui succedit Theologia et superna beatitudo. » Et sic deinceps incedit de hac *impatibilitatis* virtute in vita praesenti varimode discurrens. Ex. g. in c. II. inquit : « Regnum coelorum est animae ἀπάθεια impatibilitas cum vera rerum cognitione. In c. XXII. legitur : Recordare prioris vitae tuae, antiquorumque delictorum : et quo pacto affectibus deditus per Christi misericordiam ad impassibilitatem transiisti.

« Quo item pacto e mundo egressus es, qui te in multis ac saepe dejiceret. Illud quoque mihi reputa, quis te in eremo servaverit ; quis daemones abegerit, qui in te dentibus stridebant. Nam hujusmodi cogitationes humilitatem induunt, nec superbiae daemonem admittunt. » In c. XXIV. Animae passiones ab hominibus occasionem sumunt: corporis vero a corpore ; et has quidem corporis passiones rescindit continentia ; illas autem animae passiones rescindit charitas spiritalis. In c. XXV. Daemones, qui affectibus animae praesident, ad mortem usque perseverant : qui affectibus corporis praesident, cito recedunt. In c. XXXIV. Qui carnem male nutriunt, ejusque curam faciunt in desideriis, de ipsis se, non de illa conquerantur. Norunt nempe Creatoris gratiam, qui animae impassibilitatem per hoc corpus adepti sunt, et rerum contemplationi aliquantum incumbunt.

In c. XXXVI. ἀπαθείας apatibilitatis signum est animus, qui incipit cernere jubar suum et manet ad somni spectra tranquillus ; resque aequabiliter aspicit. In c. XXXIX. ἀπάθειαν impatibilitatem anima obtinet, non eam, quae de rebus non afficitur, sed quae ad rerum etiam reminiscentias imperturbata manet. In c. XLIX. Virtutes non prohibent daemonum impetus, sed nos innoxios conservant. In c. LV. Animus, qui bello occupatur affectuum, belli non spectabit rationes. Est enim similis nocturno pugnatori. Cum vero consecutus sit ἀπάθειαν impassibilitatem, facile hostium cognoscit insidias. In c. LXIV. Vestis nuptialis est impassibilitas animae rationalis, quae mundi cupiditates abnegavit. In Libro Practico n. 60. inquit : « Perfecta impassibilitas post partam victoriam adversus cunctos daemones, qui vitae activae obsistunt, animae obvenit. Imperfecta impassibilitas dicitur re-

spectu virium daemonis, qui tunc illam impugnat. » Item in n. 49. scribit: « Non fuit praeceptum semper vigilare, operari, jejunare: at sine intermissione orare lex sanxit.... Oratio autem mentem validam puramque ad certamen facit, natam ut precetur, et citra corpus istud, atque pro cunctis animae facultatibus contra daemones pugnat. »

Consertis itaque Evagrii definitionibus de ἀπάθειας *impassibilitatis* vocabulo relate ad humanae conditionis statum in hac vita variis tentaminibus obnoxium, primo ostenditur, non proprie hanc vocem sed improprie, non absolute, sed relative sumi ab eodem, quatenus homo, etsi in peccato genitus, et a concupiscentia illectus, mediante tamen divino auxilio, divinaeque charitatis abundantia, continentiam, humilitatem excolens, precibusque insistens, carnis et daemonis impulsibus resistit, adeo ut hostis maligni praeveniens impetum, impassibilis evadat. Movetur quidem a concupiscentia; nec tamen ipsius affectiones subit: animus urgetur, concutitur ab adversariis potestatibus; sed in contentione manet immobilis et apatibilis. Quamobrem dicit animam, sicubi apatibilitatem consequatur, facile cognoscere hostium insidias, veluti miles, qui triumphator, una novit, qua ratione adversarios denuo insurgentes conterat et secure se habeat. In hoc quidem statu etsi sit, et dicatur apatibilis, scit tamen se in pugna versari, et, *qui affectibus praesident, daemones ad mortem usque perseverare.*

Et ob hoc jure apatibilitatem perfectam distinguit ab imperfecta; primam ita nominans ob partam victoriam supra cunctos daemones, qui nonnisi in vitae hujus termino cessant. Et alteram dicit imperfectam respectu daemonis virium, qui adhuc animam impugnat. Et sic consequenter addit n. 49. *Virtutes non prohibent daemonum impetum, sed nos innoxios conservant.* Et similiter inquit, *non fuisse mandatum domini semper jejunandi, operandi, vigilandi, sed perpetuo orandi.* Et ideo tandem in c. XXII. monachos hortatur, qui impassibilitatem assecuti fuerant, ut vitae transactae reminiscantur, et qua ratione daemones abegissent per Christi misericordiam. Ex hujusmodi namque reminiscentia, subdit, humilitatem induent, nec daemones superbiae admittent. Unde perspicue

edocet Evagrius, his adjectis consiliis, quantavis impatibilitate praeditos monachos, fieri tamen posse eosdem locum dare diabolo, et in peccatum denuo ruere. Diversimode non haec ille mandasset, si absolutam, aut perfectam apatibilitatem animadvertisset in monacho, ita ut ei arbitrium adimeretur, ac inde peccandi locus.

Haec autem omnia, ceu praefatus sum, ex priscorum sanctorum dictis ac factis collegit Evagrius: in quibus excelluit s. Isaccus syrus Libro II. Sermone 34. inquiens. « Quid est ἀπάθεια impatibilitas? Impatibilitas non in eo sita est, ut passiones non sentiantur: sed in eo ut passiones non recipiantur. Nam ex multis variisque virtutibus cum manifestis tum occultis, quas acquisiverunt, debiles factae sunt passiones eorum; nec possunt istae contra animam facile insurgere. » Item s. Basilius duplicem scientiam statuit, unam, quae ab hominibus usu et exercitatione comparatur, et alteram, quae per Dei gratiam infunditur ex justitia, et patientia et misericordia. Et priorem quidem scientiam ait in eos cadere, qui passibiles sunt, idest perturbationibus obnoxii. Posterioris vero scientiae eos solos esse capaces impassibiles; qui sane orationis tempore lucem, quae ipsorum mentem illustrat, contemplantur. Et divus Chrysostomus Homilia 68. aut 69. n. 3. ita apatibilitatis causam describit in monachis, iterque designat quo ad hanc pervenere: « Vitam illi in montibus delegerunt: quae nihil cum praesenti vita commune habet; quae nihil humanum patitur, non dolorem pro rebus secularibus, non moerorem, nec sollicitudinem, non pericula, non insidias, non invidiam, non livorem, non turpes amores, non aliud quidquam simile. Jam hic illi, quae ad regnum coelorum pertinent, meditantur, in saltibus versati, montibus, fontibusque cum quiete multa. Praecipue autem Deo haerent, tuguriumque illorum omni tumultu vacuum est: anima omni morbo, et pravo affectu libera est, levis, expedita et tenuissimo aere purior. »

Et ista sane singularia dona ad apatibilitatem conducentia respicit Evagrius in suis libris: quae eam perfectionem constituunt; de qua Jesus dicit in Evangelio: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus. Et ve-*

ni, sequere me; quamque ideo sancti Ecclesiae Patres altissime commendarunt, veluti eximiam Christi discipulorum tesseram, ac Religionis Christianae super vanas ethnicorum et philosophorum sectas luculentissimum excellentiae testimonium. E quibus omnibus concluditur, Hieronymum quam severissime et hinc immerito corripuisse Evagrium; et praeter hujus mentem vocabulum ἀπάθεια *impassibilitas* interpretatum esse. Nusquam enim talem fieri dixit Evagrius, in hac vita monachum nec quemquam affectionibus immunem, ut *Deo aequalis evadat, aut Deus sit, aut saxum.*

Istud porro eo minus admitti potest docuisse Evagrium neque ex se neque ex Origene, quo amplius alter alterum explanet, et ambo recta incedant via. Ipse namque Origenes vocabulum ἀπάθεια *apatibilitas* suis conserens sermonibus eodem sensu ditavit, idest de resistentia passiva, ut vulgo dicitur, adversus nostrarum affectionum motus. Itaque Tomo XX. n. 29. *in Joannem* ex Christi verbis: *ego daemonium non habeo*, primum statuit, nunquam fieri posse, ut homo etsi perfectus, immunis in hac vita evadat a daemonis vexationibus: « Consentaneum vero est, daemoniis in nos imaginationes imprimentibus, in nosque operantibus innumera alia, nos juxta illorum voluntatem facere. Et, ut inter homines nullus est absque sordibus, et nullus justus super terram, qui faciat bonum et non peccet; sic etiam nullus est semper a daemoniis mundus, et perpetuo factus incapax operationis horum. » Deinde addit, nobis non convenire illud: *ego daemonium non habeo*, qui exscandescimus, irascimur, carnis aestu impellimur, *sermonem Dei* περὶ ἀπάθειας *de apatibilitate contemnentes.*

Et en quo sensu Origenes hoc vocabulum profert, virtutemque commendat *apatibilitatis.* Quam vero etsi asseculi in agone tamen contendimus. Ideoque Homilia XXI. et XXII. *in Jesu Nave*, duos distinguit in hujus vitae certamine hominum status, unum arietantium, pacificorum alterum: « Arietantes sunt, qui in agonibus positi, expugnare diabolicas aedes et structuras conantur. Pacifici vero, qui carnalibus concupiscentiis superatis, pacem animae gerunt. In utrisque tamen perseverat et contendit contraria virtus amaritudo persistere.... Nunquam enim desunt tentationum motus a fide-

li. » Item in c. L. n. 24. Hieremiae ex verbis: *quomodo fractus et contritus est malleus universae terrae* dicit: « Sanctus enim, inquit, murus adamantinus est: et manu Domini μένων ἀπαθὴς manens apatibilis, licet medius sit inter malleum et draconem. Sed quo plus percutitur, eo clariorem ostendit virtutem suam. Nam diabolus, ut qui lapidum ignoret naturam, multis ictibus probat illum, qui velut adamas est. . . . Talem fecit malleus Paulum per varias tentationes, nihil quidem ab eo passum, sed magna voce excitantem ad pugnam contra vitia. »

Verum ἀπάθειας definitionem sapientissime tradit Clemens alexandrinus, Dei ab hominis, apatibilitatem secernens, absolutam scilicet a relativa, perfectam ab imperfecta, et amplius hanc dicit variam ab ea, quam Stoici invexerant. Antea enim in Libro I. Paedagogi c. II. ait, Paedagogum nostrum Christum Filium Dei similem Patri sine peccato, sine reprehensione, et sine animae patibilitate esse; ac ideo nobis omnibus viribus huic tentandum esse animum nostrum similem efficere. Attamen subdit, Deum proprie apatibilem dici; ab omnibus quippe humanis animi perturbationibus liber est. Improprie vero hominem apatibilem fieri pravis affectionibus resistendo, ac in eas pugnando; et hinc subdit: « Tollerantia etiam ipsa contendit ad Dei similitudinem fructificans δὶ ὑπομόνῃ ἀπάθειαν per patientiam apatibilitatem. » Alibi Libro VII. n. 2. *Stromatum,* docet Deum suscepisse naturam patibilem, ut nos ad habitum ἀπάθειας apatibilitatis instrueret, idest quoad fieri posset, ac naturae humanae liceret, illam perfectionem assequeretur christianus, de qua dicitur in Evangelio: *estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est.*

Attamen paulo post n. 14. Clemens ex praefatis verbis veritus nequis offenderetur, hominem Deo aequiparans, inquit: « Sicut enim perfectum dicimus medicum, et perfectum philosophum; ita et opinor perfectum gnosticum. Sed nihil ex his, etsi sit maximum, assumitur ad Dei similitudinem. Non enim, ut Stoici valde impie, hominis et Dei eamdem esse dicimus virtutem. An non ergo perfecti esse debemus, ut vult Pater? Nequaquam enim fieri potest, ut sit aliquis perfectus,

ut est Deus. Vult autem Pater, nos ita viventes, ut obediamus Evangelio, perfectos fieri citra reprehensionem. Si ergo cum hoc ita sit dictum, ut aliquid subintelligi debeat, id, quod deest, subaudierimus, ut sententia suppleatur iis, qui possunt, quod deficit, intelligere: et voluntatem Dei cognoscemus; et pro dignitate mandati simul pie et magnifice vivemus. » Haec autem probe contra Hieronymi sensum faciunt, qui Origenis, Evagrii et aliorum praesumptam stoicam apatibilitatem reprehendit; quam sane istorum nemo animadvertit. Eoque magis quoad Evagrium, si hujus disciplina attendatur sub s. Macario monacho; qui et ipse saepe de christiana perfectione egit, eamque consentanee explanaverit praefatis Scriptoribus, ac praeter stoicorum sententiam.

Is enim Homilia XV. quaerit: « Potest ne labi vir habens donum Dei? Respondet: utique labitur si negligat. Nam hostes nunquam quiescunt, nec movere bellum dubitant. Et licet probatus videare in ipso mysterio gratiae, ne negligas inquirere Deum. » Deinde subditur: « Imminet ne perfectis afflictio aut bellum? an plane securi sunt? Responsio: hostis nemini bellum inferre desinit, variisque modis bellum intentat hominibus. » In Homilia XXVI. inquit: « Quiescit ne satanas interdum, ac homo liberatur a bello? an quamdiu vivit, bello non caret? Respondet: satanas bellum gerere nunquam desinit, et quamdiu quis vivit in hoc seculo et carnem gestat, attentatur bello . . . . Christiani vero Spiritu Sancto induti, interius tuti sunt potentia Domini, nec satanam curant. Sicut tentavit ille Dominum in deserto quadraginta dies, quid illi nocuit, quod exterius aggressus est corpus illius? Intus enim erat Deus. Ad hunc modum christiani licet exterius tentationem patiantur, nihilominus interius pleni sunt divinitate; nec damni quidquam sentiunt. » Et haec sane est quae dicitur *apatibilitas* inter perfectos: et ad quam obtinendam Jesus hortabatur discipulos suos.

Hucusque doctrinae Evagrii expositio circa apatibilitatem. Modo audiatur quid de ipso illius aetatis Doctores putaverint. S. Gregorius nazianzenus in Epistola 153. haec ait de Evagrio: « Laudare mihi jucundum fuit. Nam filium nostrum Evagrium clarum et celebrem esse, gloria nostra et

splendor est. Filiorum enim virtus patrum est gloria etc. » Socrates porro in Libro IV. Historiae Ecclesiasticae c. XXIII. speciatim viros memorat s. Basilium, s. Gregorium nyssenum, et nuper citatum nazianzenum, quibuscum conversatus est, et apud quos in scientiam divinarum Scripturarum, morumque sanctitatem profecit Evagrius. Ait enim: « Nec pauciora, aut minora miracula ab illo, quam a suis praeceptoribus edita sunt. Hic libros conscripsit valde utiles: quorum unus *Monachus* inscribitur, seu *De virtute activa*. Alter *Gnosticus*, vel ad eum, qui scientiam consequi meruit. Hic Liber in quinquaginta distributus est capita. Tertius *Antirrheticus* inscribitur (ubi arma suppeditantur, quibus adversus daemones pugnandum est) e divinis Scripturis collectus, et in octo partes divisus juxta numerum octo cogitationum. Scripsit praeterea *Gnostica Problemata* sexcenta. Denique duos carminum libros: alterum ad Monachos, qui in coenobiis degunt; alterum ad Virginem. Qui quidem quam eximii sint, et admiratione digni, quisque eos legerit, facile cognoscet. » Doctrina et probitate celeberrimum in vita et post mortem reputatum fuisse Evagrium testatur s. Joannes Climacus.

Novissime pro Evagrii orthodoxia, quam ejusdem aevi scriptores (Hieronymo excepto) obtestati sunt, non est praetereundum posterorum testimonium, et illud speciale Gennadii massiliensis in c. XI. *De Viris illustribus*. Ita namque de eo tradit: « Evagrius monachus supradicti Macarii familiaris discipulus, divina atque humana litteratura insignis, cujus etiam liber, qui attitulatur *Vitae Patrum*, velut continentissimi et eruditissimi viri mentionem facit. Scripsit multa monachis necessaria; ex quibus ista sunt: *adversus octo principalium vitiorum suggestiones* (de quibus superius) quas aut primus advertit, aut inter primos didicit, octo ex sacrarum Scripturarum tantum testimoniis opposuit libros, ad similitudinem videlicet Domini, qui tentatori suo semper Scripturarum testimoniis obviavit; ita ut unaquaeque species vel diaboli vel vitiatae naturae suggestionum contra se habeat testimonium. Quod tamen opus eadem simplicitate, qua in graeco inveni, jussus in latinum transtuli. Composuit et ana-

choretis simpliciter viventibus, Librum *centum Sententiarum* per capitula digestum, et eruditis et studiosis *quinquaginta sententiarum*; quem ego latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum, quia vitiatum et per tempus confusum vidi, partim reinterpretando, partim emendando, Auctoris veritati restitui. Composuit et coenobitis et synoditis doctrinam aptam vitae communis; et ad virgines Deo sacratas libellum competentem religioni et sexui. Edidit et paucas sententiolas valde obscuras, et (ut ipse in his ait) solis monachorum cordibus cognoscibiles: quas ego similiter latinas edidi. Vixit longa aetate signis et virtutibus pollens. »

Haec post centum fere annos de Evagrio loquitur Gennadius, ac ita disserit, quippe ob oculos ipsius scripta habens, suaeque in ecclesiis famae ob singulares ejus virtutes ac portenta conspicua, auditor, nullumque ex catholicis viris adversus Evagrium ejusque dogmata insurgentem notans. Nec amplius putandum est, Gennadium sic scripsisse de Evagrio sicuti et de Ruffino, quasi ipsi secum erroribus Pelagii aut similibus adhaesisse viderentur, uti nonnulli recentiores suspicati sunt. Nemo enim, nec Origenes primus, nec Ruffinus deinde, nec Evagrius in hujusmodi lapsi sunt errores: nec multo minus Gennadius, qui Pelagium ipsum et Coelestium *haeresiarchas* appellat *et impios*: suae denique fidei confessionem sinceram mittens ad Pontificem Romanum.

Cunctis his discussis de Evagrio, vide antithesim inter Hieronymi et aliorum Patrum judicium circa istius doctrinam ita ut, si unum excipias Hieronymum, ceteri suffragentur doctrinae ejusdem orthodoxae et sanctitati.



CAPUT XVII.

Collatio initur Epistolae synodicae Theophili ad Palaestinae et Cypri episcopos adversus Origenem et monachos nitrienses, cum Georgii patriarchae alexandrini de hac re testimonio in vita s. Joannis Chrysostomi: ubi apertius ipsius Theophili perfidia, et Origenis èt monachorum origenistarum doctrinae et vitae probitas innotescunt.

Ab hujus capitis initio admodum prodesse puto, de quibus antea mentionem egimus, Theophili sensus per Litteras synodicas lectoribus objicere: ubi non tantum calumniosae in Origenem imputationes palam factae leguntur, sed et quae ad injuriam spectant Nitriae monachis, Origenis ipsius patronis iniquissime inlatam. Quae valde praecedenti connectuntur quaestioni de praesumptis erroribus: e quibus hucusque eumdem vindicavimus Adamantium; ut unde sic properemus ad optatum Apologiae nostrae terminum cum mendacii et hypocrisiae revelatione, probitatis, verique triumpho. Hujusmodi autem tenor est Epistolae synodicae Theophili ad Palaestinae et Cypri episcopos missae, a s. Hieronymo latine versae ac suis inscriptae sub n. 92.

« 1. Arbitror quod ante nostras literas velox ad vos fama pertulerit, quosdam in monasteriis Nitriae Origenis haeresim serere, et monachorum purissimum coetum potione turbida propinare. Quamobrem compulsi sumus ad ipsa loca, pertimescentes sanctorum precibus, et maxime Patrum, et presbyterorum, qui praesunt monasteriis, ne dum nos ire cessamus, ii, qui prurientibus blandiuntur auribus, simplicium corda perverterent. Quorum nobilitas in scelere est, et tam rabidus furor ad omne facinus, quod imperitia superbiaque suggesserit, ut praecipites ruant, nec intelligant mensuram suam, sed apud semetipsos sapientes, qui fons erroris est, maximos putantes se quod non sunt. Denique in tantam prorumpentes dementiam, ut in se verterent manus, et propria ferro membra truncarent; putantes stultae cogitationis arbitrio, hinc religiosos et humiles se probari, si mutilata fronte, et

sectis auribus incederent. E quibus et unus linguae partem mordicus amputavit, ut ignorantibus quoque ostenderet, quam timide Dei jura servaret et ex ipsa debilitate praepediti monstraret eloquii quanto furore pectoris aestuaret. Quos quia reperi cum quibusdam peregrinis, qui in Aegypto parumper habitant, ad vestram provinciam transmigrasse, et homines pauperes gratia atque pecuniis inescatos, qui debuerant manu et labore victum quaerere, ut impleatur in eis quod scriptum est: *in circuitu impii ambulabunt,* velle in similitudinem judaeorum prius igne consumi, quam Origenis videre scripta damnari, quodammodo proclamantes: *posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protegamur,* ne forte et in illis partibus plebis et monachorum turbent animos, et qui debuerant pro scelere correpti agere poenitentiam, nitantur contra nos, et mendaciorum cuniculis subvertant veritatem; justissimum duxi scribere sanctitati vestrae, et breviter nuntiare, quod e vicino episcopis congregatis, qui prope implerent numerum Synodi, perrexerim Nitriam: et coram multis Patribus, qui de tota pene Aegypto convolaverunt, lecti sunt libri Origenis, in quibus impio labore sudavit, et consensu omnium condemnati.

« 2. Nam cum legeretur volumen *Periarchon,* quem nos *de principiis* possumus dicere, in quibus scriptum est: *quod Filius nobis comparatus, sit veritas, Patri conlatus mendacium:* Et rursum: *quantum differt Paulus et Petrus a Salvatore, tanto Salvator minor est Patre.* Et iterum: *Christi regnum finietur aliquando, et diabolus cunctis peccatorum sordibus liberatus, aequo honore decorabitur, et cum Christo subjicietur.* Et in alio libro, qui *de Oratione* inscribitur: *non debemus orare Filium, sed solum Patrem, nec Patrem cum filio;* obturavimus aures nostras, et tam Origenem, quam discipulos ejus consona voce damnavimus, ne modicum fermentum totam massam corrumperet. Quid loquar de resurrectione mortuorum, in qua perspicue blasphemat, et dicit, *quod post multos saeculorum recursus corpora nostra paulatim redigantur in nihilum, et in auram tenuem dissolvantur.* Ac ne parvum hoc putaremus, adjecit: *resurgens corpus non solum corruptibile sed mortale erit.* Ut scilicet Dominus atque Salvator frustra

destruxerit Zabulum, qui mortis habebat imperium. Siquidem *et post resurrectionem corruptio et mortalitas in nihilum resolutis corporibus dominatur humanis.* De angelis quoque temeraria aliqua confixit, *ut cuncta in coelo ministeria servitutis Dei non sint in coelo creata, sed diversis lapsibus et ruinis varia officiorum sortiti sint nomina; caussasque veteres praecessisse, quibus creverint vel decreverint.* Et inter haec quasi doloris impatiens clamante populo, *quae sursum est Jerusalem, libera est, nihil in ea purum, nihil a vitiis liberum et perpetua securum virtute contendit.* Non stetit hactenus prophana de angelis disputatio, sed proficiens in scelere: *sicut daemones,* inquit, *nidore hostiarum, assidentes aris gentilium, pascebantur, ita et angeli sanguine victimarum, quas spiritalium typus immolat Israel, fumo thymiamatis delectati, versabantur prope altaria et hujuscemodi alebantur cibis.* Quis non putet eum nihil ultra invenire potuisse in quod mens vesana corrueret? Praescientiam quoque futurorum, quae soli Domino nota est, stellarum motibus tribuit, ut ex earum cursu, et varietate formarum, daemones futura cognoscant, et vel agant aliqua, vel ab his agenda demandent. Ex quo perspicuum est, eum idololatriam, et astrologiam, et varias ethnicorum fraudulentae divinationis praestigias adprobare.

« 3. Haec et huiuscemodi sub nomine monachorum quidam sentientes, et docentes in monasteriis versabantur. Cumque indigne ferrent auctorem tanti mali cum suo errore damnari, quosdam inopes et servos spe gulae sollicitatos suo junxere comitatui; et facto cuneo, sedenti in Alexandria vim facere conati sunt, volentes caussam Isidori, quem nos propter verecundiam et Ecclesiae disciplinam episcoporum judicio servabamus, proferre in medium, et auribus ethnicorum dictu pudenda ingerere, ut seditio et turbae contra Ecclesiam miscerentur; quorum consilia destruxit Deus, sicut Achitophel. Omnis autem conatus eorum hic erat, ut sub nomine Isidori haeresim defenderent; qui multis episcopis propter varias caussas a communione sanctorum fuerat separatus. Interim mulier et filius ejus adolescens ab his producitur in medium, et in loco urbis celeberrimo, quem ni fallor *Genium* vocant, collocantur. Clamitant quidquid in nostram

invidiam esse credebant, gentilium contra nos populos concitantes, ea quae aures infidelium libenter audirent. Inter quae et destructionis Serapii, et aliorum idolorum, eos qui in fugam admonentes, vociferantur. Non sic in jura templorum in Nitriae monasteriis. Haec autem universa faciebant putantes sic turbas jungi infidelium, et Isidorum episcoporum judicio eripi; ne cum muliere audiretur et puero, et nobis invidiam concitarent, qui volebamus eum, praesentibus clericis, et fideli populo in Ecclesia patienter audiri, et servari in persona ejus, cum omni timore Dei et mansuetudine, ecclesiasticam regulam. Neque enim inimici ejus sumus, nec in aliqua re tam illum, quam paucos servos atque fugitivos, qui ejus negotii socii sunt, laesimus; sed Dei timorem et normam rigoris evangelici, familiaritati pristinae et necessitudini praetulimus. Qui cum accersitus esset ad quaestionem coram episcopis et omni clero negotium dicere, et crebrius vocaretur ad caussam, coepit subterfugere, et differre diem ex die: illa videlicet spe, ut multorum sermo narrabat, quod paulatim mulieris silentium redimeret.

« Et hoc faciens sanctorum fratrum animos vulnerabat. Quis enim ambigit, fiduciam bonae esse conscientiae; fugam autem et dissimulationem, ut parcius loquar, et aperte proferam quod sentio, apud plerosque genus confessionis judicari? Praesertim cum grave ei mulier datis libellis crimen impingeret, et hoc per populos jactaretur, illum magnopere agere, ut quolibet potius genere, quam episcoporum judicio res finem acciperet. Quae mulier, ignorante me, amicorum ejus studio, et in albo viduarum descripta est, ut refrigeriis eleemosynae dolorem vulneris solaretur. Quod postquam a quodam diacono didici, qui intrepidus nuntiabat, mulierem scriptam in viduarum numero, ut taceret, quod objecerat, illico per multos Isidoro indicem prodidi, et monui ut episcoporum se judicio praepararet, muliere dumtaxat a caeterarum consortio separata, donec caussae videremus eventum. Neque enim fas erat, eam Ecclesiae opibus sustentari, quae tantum crimen aut dixisset temere, aut tacuisset. Iste est signifer haereticae factionis. Hoc utuntur duce vel locupletissimo ii, quos in exordio epistolae descripsimus: qui pos-

sit praebere cibos, et peregrinationis eorum incommoda sustentare. Ubi furor et caedes necessariae sunt, nullius alterius indigent auxilio; ubi expensae et sumptus varii, nihil largitore accommodatius.

« 4. Dolent contra me, atque insaniunt, quare solitudines, et habitacula monachorum, in quibus sancta conversatio est, non permiserim impiis Origenis dogmatibus pollui. E quibus ut caetera praetermittam in libris Resurrectionis, quos scripsit ad Ambrosium, dialecticum morem imitans disputandi, in quo sciscitatio est, atque responsio, artis magicae praedicator his verbis est. *Ars magica non mihi videtur alicujus rei subsistentis vocabulum, sed etsi sit, nequaquam est operis mali, nec quod haberi possit contemptui.* Quae dicens perspicue Domino contradicit, qui loquitur per Prophetam: *sta nunc in incantationibus tuis in multis veneficiis tuis, quae didicisti ab adolescentia tua, si possint tibi prodesse. Laborasti in consiliis tuis: stent astrologi coeli, et salvum te faciant, qui contemplati sunt sidera, nuntient tibi, quid super te futurum sit.* Praeterea in libris *Periarchon* et hoc persuadere conatur, *quod vivens Dei Sermo non assumpserit corpus humanum,* et contra Apostoli vadens sententiam scripsit, *quod qui in forma Dei aequalis erat Deo, non fuerit Verbum Dei, sed anima de coelesti regione descendens, et se de forma aeternae majestatis evacuans, humanum corpus assumpserit.* Quae dicens Joanni apertissime contradicit scribenti: *et Verbum caro factum est. Nec potest anima credi Salvatoris, et non Deus Verbum, et formam et aequalitatem paternae majestatis habuisse.* In alias quoque impietates furibundus exsultat, volens, *eum, qui in consummatione saeculorum, et in destructione peccati semel passus est, Dominum nostrum Jesum Christum pro daemonibus quoque, et spiritalibus nequitiis crucem aliquando passurum.* Nec meminit Pauli scribentis: *impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, et gustaverunt donum coeleste, et participes sunt facti Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, renovari iterum ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.* Si hoc scire voluisset, immo si non ea, quae scit, contemneret, numquam Apostolo

contradicens, pro daemonibus quoque diceret, Christum passurum, et eum praeberet ostentui: clausa, quod legimus, aure pertransiens: *Christus resurgens a mortuis ultra non moritur; mors ei nequaquam dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit in Domino.* Hoc enim quod dicitur *semel*, non secundum recipit nec tertium: unde Apostolus sciens eum semel crucifigi, tota *ad Hebraeos* affirmat audacia: *hoc enim fecit semel seipsum offerens.*

« 5. Ob haec et alia plurima, de quibus scribere epistolae sermo non patitur, condemnati sunt et ejecti de Ecclesia. Sed fatuitati juncta superbia, episcoporum judiciis contradicunt, cohaereticum suum nitentes seditione defendere, et per alienas provincias suberrantes, damnati damnatum habent ducem et hujus operis eriguntur. Obsecro itaque vos, fratres carissimi, ut, si istuc veniunt, praeceptis evangelicis eos ad lacrymas provocetis. Voti nostri esse et illos, et alios errores corrigere poenitentia, et digne suo nomine conversantes, ut qui vocantur monachi, si tamen hoc esse cupiant, quod dicuntur, silentium diligant, et fidem catholicam, quibus nihil omnino est praeferendum. Sed ut audio, imitantes zabulum, huc illucque discurrunt, et quaerunt quos suis impietatibus devorent. Putant enim insaniam fidem, audaciam fortitudinem; et iccirco erecti in superbiam, ecclesiasticae praedicationi Origenis doctrinam, quae idololatriae mixta est, praeferunt. Sicubi ergo fratres, et plebem, quae vobis credita est, turbare tentaverint, custodite gregem Domini, et insanos impetus eorum reprimite. Nihil eis nocuimus, nihil tulimus: una caussa in nos odiorum est, quod usque ad mortem parati sumus fidem defendere.

« 6. Caetera praetermitto, quomodo nobis necem inferre tentaverint, et quibus insidiis id machinati sunt, quando et ecclesiam, quae est in monasterio Nitriae, postquam damnati sunt, occupaverunt; ut et nos et plurimi nobiscum episcopi ac monachorum patres et aetate venerabiles ingressu ejus prohiberentur, conductis libertinis et servis, qui propter gulam et ventrem ad omne facinus armati sunt. Cumque opportuniora ecclesiae quasi in obsidione urbis, tenerent loca,

palmarum ramis fustes, et bacillos protegebant, ut sub pacis insignibus paratos ad caedem animos dissimularent. Et ut firmior esset factio, et promptior cuneus ad audaciam, multis ingenuorum pecunias divisere, qui accesserunt non ut sceleri consentirent, sed ut nobis providerent conatus eorum, et paratas insidias panderent ad cavendum. Quod cum cerneret innumerabilis frequentia monachorum, coeperunt omnes vociferari, et paucorum furorem consono clamore terrere, ut saltem metu Collectam fieri sinerent, et Ecclesiae jura servari. Et nisi gratia Dei multitudinis impetum refrenasset, evenisset aliquid, quod solet in seditionibus fieri; in tantum enim nefarii homines temeritatem immo insaniam praeruperant, ut sanctae quoque conversationis monachi, et semper mansuetissimi eorum furorem sustinere non possent. Quae nos omnia Dei auribus patienter, et humiliter tulimus, providentes saluti eorum, qui contra nos hostiliter pugnabant: ita dumtaxat, ut ecclesiasticas regulas et fidem rectam nullius amicitiis donaremus: quod potens est Dominus et nobis, et omnibus servis suis in commune concedere, ut necessitudini hominum praeferamus fidei unitatem. Simulque et vos petimus, ut singuli cum populis qui vobis crediti sunt, oretis attentius, et Deum misericordiam deprecemini, quo possimus haereticorum insidiis resistentes, habere pacem cum his, qui semper pro veritate pugnaverunt, omnesque simul coronam justitiae praestolemur. Fratres qui vobiscum sunt, plebs quae mecum est, in Domino salutat. »

Iam in praemissis, singillatim, studioseque probavimus nullum veritatis vestigium, ut jure meritoque damnaretur Origenes, in hac Epistola synodica reperiri sicuti et in duabus Paschalibus easdem instaurantibus accusationes: quae potius tres libelli famosi nuncupandae forent ob ea quae dicit de Origene et origenistis. Quapropter his consequenter ac necessario inferendum, nec in monachos quidem, neque in ceteros Origenis defensores hoc pertingere anathema, dum nec Auctor erravit, neque similiter monachi culpandi erant, quod hunc ab erroribus immunem tenerent coram Synodo alexandrina. Ac ideo nec ille, nec isti inter haereticos censendi erunt.

Post haec quoad Theophilum hujus Epistolae auctorem, ac ipsius prava consilia, hypocritica pietate velata ad animorum simplicium captionem, quemadmodum ibidem legitur, antea s. Hieronymi compellabo suffragium; qui adversus Joannem Hierosolymitanum scribens, ajebat: « *Scio me aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare.* » Quibus verbis altera praefati Theophili sententia mihi, ad eumdem scopum apta, connectenda venit: quam is in Concilio constantinopolitano anno 394. decrevit: « *Adversus eos, qui excesserunt fieri non potest, ut indignationis sanctio feratur; quoniam praesentes non fuerunt condemnati.* Praeterea huc quoque revocanda est praemissa distinctio origenistarum orthodoxorum ab heterodoxis (quivis isti fuerint) ut neminem lateat, me causam suscepturum Isidori ac aliorum monachorum, qui a Theophilo damnati et a Nitriae monasteriis profligati Constantinopolim ad s. episcopum Joannem confugerant, non tamquam haereseos fautorum, cujus auctor frustra culpatus erat Origenes, sed ceu dogmatis catholici piorum adsertorum. Qui ideo renuerunt anathemati subscribere Origenis ejusdem, conscii satis ipsum in suis libris recta et orthodoxa docuisse; proindeque nulla haereseos nec impietatis nota esse mulctandum.

Insuper haud est ignorandum, Theophilum antistitem Alexandriae, primum haberi ac principem eorum, qui tunc adversus Origenem arma suscepit; qui super nonnullos, quos aetas praecedens notaverat Origenis hostes, aperto marte, toto animo, totisque viribus in illius institit ac suorum Operum damnationem tam in Aegypto, tam in Palaestina, tam in Graecia, tam in Italia, sibi quam maxime inter ceteros adjuvantibus Hieronymo et Epiphanio: qui nescii, invitique instrumenta facti sunt in manu Theophili ad Origenis ac sanctorum virorum conculcationem. Et quamvis ante illud aevum sobrie se gessisset in illius Ecclesiae regimine, ac zelo pro Christi nomine in idololatras dimicarit: nihilominus si ipsius gesta ab hujus quaestionis initio ad exitum usque considerare velimus, ob privatas simultates, ac dissitas ab hac quaestione circumstantias potius quam ex integra conscien-

tia, ac sine partium studio, videtur Theophilus in Origenis scripta exarsisse, violenterque irrupisse adversus ejusdem patronos doctrina et sanctitate eximios.

Et sane quidem, si virorum nominatorum sanctitate et prudentia excellentium, quorum nonnulli supra memorati sunt, et de aliis inferius mentionem agemus, testimonio stare velimus, aliter prorsus quam decet episcopo, in Ecclesia Dei versatum esse Theophilum probatur. Ab hoc namque tempore, ut summatim modo loquar, talis nobis repraesentatur Theophilus inconstans, audax, turbulentus, avarus, virulentus, crudelis, calumniator, hypocrita, fraudulentus, facinorosus, uno verbo, vir pessimus.

Ille sane est sanctorum virorum persecutor, quos Ecclesia graeca honorat inter martyres tanquam per ipsum Theophilum iniquissime occisos. Ille sane est, qui torquem ferreum collo Ammonii monachi venerandi injiciens, pugnis maxillas ejus et oculos contudit. Ille est, qui Porphyrium sui fautorem, virum incontinentem ac pravum, januis clausis ac omne praeter jus Antiochiae episcopum praefecit: qui caedium magnarum causa extitit, jurgiorum, scandalorum, et innumerabilium calamitatum ac praesertim Constantinopoli; atque schismatum in ecclesiis ubique auctor habitus, usque dum ob haec omnia anathemate percussus est ab Innocentio Papa, imperatoribus inde christianis exosus, atque totius orbis ob tam gravissima mala fidelibus invisus. Et si hanc ignominiam ei supervenisse statuendum sit ob persecutiones, quas Origenis fautoribus intentavit, valida nobis suspicio adest de illius in hac re recto, sinceroque sensu; quo hoc negotium adversus Origenem aggressus est: eoque magis cum antea non ita putarit de hoc viro; sed cum ceteris sanctis doctisque viris honorasset ipsius memoriam, suosque magni fecisset libros.

Verum interest, usquemodo summatim dicta, prolixiori tractari discussione. Ex hoc enim valde propositae quaestionis pendet definitio. Interest, dico, scriptorum coaevorum speciatim, ac aliorum qui proxime successerunt, pervestigare monumenta, inter se diligenter collatis, quae Chrysostomus, Socrates, Epiphanius, auctor vitae istius Polybius, Sulpitius

Severus, Joannes Hierosolymorum episcopus, Palladius, Sozomenus, Isidorus Pelusiota, Innocentius Papa, Georgius patriarcha alexandrinus, Photius, aliique (hinc inde excerpta) de hoc ipso argumento tradiderunt posteritati. Haec porro nobis erunt potissimum consideranda relate ad illud, quod ipse Theophilus in praefata Epistola synodali praeter suppositos Origenis errores adjecit: quodque adversari videretur ipsius Theophili perfidiae in Origenis et origenistarum monachorum causa.

Hujus interim dissidii exordium ab aliis causis quam a quaestione de Origenis doctrina videtur repetendum. Ac ideo, quamvis praefatorum ultimus habeatur Georgius; ab ipsius tamen enarratione in vita s. Joannis Chrysostomi existimo initium sumere. Ipse enim prae ceteris sedulo studio ac ordinate describit omnia, quae ad hanc infaustissimam quaestionem iter reserarunt; quod valde nostro proficiet instituto.

« Secundum ea tempora, ait, vir quidam erat Alexandriae nomine Isidorus ordinatione beati ac vere magni Athanasii, presbyter, annum agens aetatis octogesimum, quem romanorum plurimi probe norant ob causam et tractationem rerum ecclesiasticarum, quippe qui a multis retro temporibus Romam adiisset, peregrinorum et hospitum Alexandriae exceptor. Erat autem et Petrus quidam Alexandriae ecclesiae presbyter primicerius. Hunc Theophilus quod infense odisset, constituerat eliminare ingressu ecclesiae, crimine illi objecto, quod mulierem superstitione manichaeam quandam adjuvisset ad susceptionem sacramentorum, quae nondum ejurasset superstitiosam haeresim manichaeorum. Verum enim respondit Petrus, eam superstitionem reliquisse, seque ipsam excepisse non praeter mentem Theophili et sententiam. Aegerrime tulit Theophilus responsum, ut qui videri poterat hanc adornasse calumniam, dicebat enim, quod fuerat gestum, neminem rescivisse. Adversus calumniatorem Petrus testem citabat Isidorum eorum, quae de muliere dixisset Theophilus. Sed enim illo in tempore contigit Isidorum in civitate imperiali, nimirum Romae, vitam degere. Fuerat siquidem a Theophilo ipso amandatus ad Damasum Romae episcopum,

ut Flaviano Antiochiae episcopo gratiam et societatem impetratam obtineret, et adferret quae societas ob Evagrii causam interrupta annorum viginti spatio fuerat. Meletiani (alii Eustathiani) enim ob juramentum quoddam judicio contendebant adversus Flavianum. Isidorus igitur Roma redux, cum se recepisset Alexandriam, in testem accitus a Petro, dicebat manichaeam illam ad voluntatem et episcopi consilium fuisse exceptam, quodque eam participem fecerit sacramentorum. Eam ob rem impotenti ira totus incanduit: et ipso momento Petrum exegit (Theophilus) a communione altaris, secum reputans quonam pacto et Isidorum a se missum faceret : id quod tandem effecit.

« Mulier enim quaedam vidua nomine Theodota soror Theodori praetoris Alexandriae, numismata aurea mille Isidoro dat, jurejurando eum sibi obstringens coram altari Salvatoris, ut pretio totius summae vestimenta coemeret induendis mulieribus pauperculis alexandrinorum, neque innotesceret Theophilo, quis tradidisset, ne acceptas pecunias insumeret in coemendis lapidibus ad structuram aedium. Accepta igitur aurea numismata Isidorus erogat in usus paupercularum ac viduarum. Rescivit et hoc aliunde Theophilus: nihil enim eorum, quae omnibus in locis fierent vel dicerentur, illum latere poterat. His gestis ad se accersit Isidorum, et quidem aegritudinem animi moderate dissimulans, sciscitatur num res sic se haberent. Ille autem nihil inficiatus, confessus est se inseruisse huic rei administrandae, suamque navasse operam. His auditis Theophilus scenam invertit, et prius quidem ad rei pondus benignus et interrogando et approbator visus, post ira intumuit, aliam omnino formam induens, cum Isidoro pro se esset respondendum. Cumque aliquantisper interquievisset, duobus nimirum mensibus, in medium profert papyraceam chartulam, et probans sacerdotali functione, praesente Isidoro, dixit : *hasce litteras annis ab hinc decem et octo excepi adversum te Isidore. Quodque tunc variis distenerer negotiis, totam rem oblivione texi. Nunc autem alias chartas dum quaero, inveni hoc de te caput. Pro te ipso ad hoc responde.*

« Continebat autem ea charta objectionen criminis sodomitici. Ad haec Isidorus pro se respondens, dicebat, Theophile,

facile quidem donavero verum esse, quia chartam hanc excepisti; et quando excidit, non aderat, qui redderet libellum, ut jam secundo repetitus sit? Ad haec Theophilus: sed non aderat puer, erat siquidem in navi. Respondit Isidorus: non continuo adfuit statim mox a navigatione o episcope? Non aderat deinceps vel secundo? Non aderat ne tertio quidem? Vel nunc tandem adest? Iubeto igitur sisti hominem. Ad haec Theophilus cunctatior, tempus extrahit in alteram diem, et adolescentulum quemdam orans assiduus institit. Denique et delinivit multis pollicitationibus ad intendendam accusationem adversus Isidorum, datis ei (ut asserunt quidam) numismatibus aureis quindecim, ut extemplo ea porrigeret matri. Et numos illos mater oculo irretorto contuebatur parte una; alterius vero oculi contemplatione secum recogitans verebatur legum eversionem; ac timens ne forte Isidorus calumnia oppressus incusaretur apud principem, et ad populi perveniret notitiam. Fatetur ipsa Isidoro commentitiam hanc fabricam ac molitionem modis omnibus improbandam, ostensis eidem aureis, quos affirmabat se accepisse a Theophili sorore, mercedem utique adversus insontem ac prorsus innoxium.

« Et quidem haec soror quum ob pleraque alia, tum praecipue propter tantae calumniae indignitatem poenam luit morte, manibus chirurgorum circa putres mammas et saniosas contrectata. Per haec Isidorus domi morabatur supplex orans Deum. Adolescentulus autem ille partim legum quidem timore perculsus, partim vero recogitans Theophilum se esse potentiorem, erroris sui frustrationem vertit, commodius sibi credens fore, si ad tutius munimentum, nempe ad ecclesiam confugiens, ad apprehendendum altare illinc se fuga proriperet. Hic Theophilus abdicat Isidorum ecclesiae ingressum, et corrupto prorsus ac surdo suo judicio cum immedicabilem notam infamiae ei inussisset; nihilominus suae iniquitati in speciem obtendit se decentem castimoniam et honestatem. Isidorus ob haec veritus, nequando acriore indignatione exagitatus Theophilus in animo constitueret moliri adversus suam salutem insidias (eo enim malignitatis jam pervenerat) in montem Nitriae pernici ac festino cursu con-

tendit ad coetum et agmen solitarie degentium, sive monachorum, quo loco suae adolescentiae conversationem exercuerat; et in sua cellula consedit. Supplicabat Deo ut adipisci promereretur ipsius longanimem clementiam.

« Sed enim tunc romanos tot tantaeque molestiae apprehenderant, ut ii, quorum fidei concredita erat sacerdotalis dignitas, consutis dolis se colliderent in contumeliam christianae religionis. Nec ulla ratione ab his sibi temperabant. Eo enim tempore sacerdotes aliud nihil, quam contumacem et praefractam rebellionem inter se exercebant, ac jugi meditatione moliebantur. Id mali originem traxit ab Aegypto. Initio quidem visa est levis esse momenti haec quaestio : qua quaerebatur, Deus ne corpus esset, et habitus ac figura informatus, an incorporeus, atque semel dicam, ab omni prorsus absolutus humana effigie et descriptione corporali. Occasione decidendae istius quaestionis, a non paucis excitabantur conflictationes perniciosae, et ambitiosae contentiones. Et illi quidem adstipulabantur Ecclesiae dogmati, alii contra (in quibus erant quique simpliciores monachi) patrocinium deferebant ei sententiae, quae Deum praedicat corporeum et humana effigie delineatum. Horum tamen plurimi, ut cordatiores et sensu perspicaciores Deum esse incorporeum, et ab omni prorsus formarum qualitate sejunctum asseverarunt : quorum sententiae assensus est et Theophilus alexandrinorum episcopus. Et edixit, ut adversus ecclesias excurrerent populares turbae, quae numen illud informatum humana effigie praedicabant : incorporeum vero esse decernerent.

« His mox auditis, monachi aegyptii, relictis monasteriis Alexandriam usque perveniunt, et mota seditione cooriuntur adversus Theophilum, quasi impie et inclementer agentem. Id quum rescivisset Theophilus, ad hunc obeundum agonem se procingit, et gnaviter apparat : artifex vaframentum apud se comminiscitur, quo se eximat intentatae morti. In eorum igitur prospectum ut venit, blandiori illecebra sermonis viros in suam traduxit sententiam, ita loquutus : *sic vos vidi, uti est Dei vultus.* Hoc verborum lenocinio a concepta animorum impressione monachos illos sedavit et mollivit. Quin et illum vera dicere responderunt : *siquidem Dei facies na-*

strae est assimilis. Origenis jam libros anathemate ferias. Eorum enim lectione diserte quidem loquentium nonnulli reclamantia ex diametro nostrae sententiae opinantur. Id ni feceris, continget ut a nobis expectes quae impie agentes et Deo ipsi repugnantes tolerarunt. Ad haec Theophilus: *Exequar quidquid vos ipsi faciendum censueritis. Ne quaeso adversum me ad hunc modum ira excandescatis. Infense siquidem odi libros Origenis et hos improbo, simul et eos, qui legendos amplectuntur.*

« Sane quidem eos monachos hisce verbis amolitus a se depulit et ablegavit. Hac de re si forsan quaestio eo usque abiisset, utique non contigisset altera et perplexa magis molestia huic quidem assimilis. Viri enim, qui in Aegypto praesidebant monasteriis, pii illic Dioscurus, Ammonius item, Eusebius et Euthimius: qui quidem fratres erant, a corporis proceritate sortiti nomenclaturam *longi*. Sed enim istorum fama mire increbruerat Alexandriae, quod et sermone et vitae ornamentis inclaruissent. Theophilus Alexandriae episcopus sane quam diligebat et honorem deferebat monachis, eorum quidem unum, nempe Dioscurum ab eremo avulsum constituit Hermopoleos episcopum. Alios adhortatus est, secum ut morarentur; vixque tandem persuasit; verumtamen ut episcopus ad id eos adegit, et clericorum dignitate cohonestatis communionem ecclesiae illis concredidit. Illi quidem necessitate adacti manebant, rite sibi commissae communioni incumbentes. Angebantur vero animo vehementer, quod non pro sua voluntate sinerentur philosophari, ut assueverant acquiescere monasticae meditationi.

« Progressu autem temporis, quum intelligerent animas suas plurimum noxae ac detrimenti contrahere; cernentes episcopum vitam exercentem, pecuniis undique corradendis addictam; ac plurimum studii impendentem congerendae possessionis facultatum, utque in proverbio est, ob hoc unum nullum non moventem lapidem, communem cum ipso ac diuturniorem moram deprecati sunt, ingenue professi, se amare solitudinem, ac urbanae vitae eam anteponere. At ille non plane noverat eam manendi caussam veram esse; quare ut secum perseverarent, eos deprecabatur. Simul autem atque certo agnovit quid inter se se decrevissent, plenus indignatione

exarsit; seque nihil non malorum executurum (execurum) interminatus est adversus eos. Porro istius comminationis levis admodum timor urgebat eos, qui jam secesserant in solitudinem. Sic ira accensus Theophilus, videbatur non mediocrem adversus eos tumultum exciturus. Omnibus enim machinis adnitebatur viros illos adoriri. Quin etiam in odium fratris ipsorum Dioscuri Hermepoleos episcopi exarsit continuo. Animo enim ejus haud mediocrem intulerat moerorem, quod ei adhaesissent monasticae exercitationis viri, eique multum deferrent reverentiae. Plane noverat nihil se allaturum detrimenti viris monasticae disciplinae, nisi oppugnando vim inferret.

« Hoc igitur artificio utitur, et quidem apposite ad suum institutum, persuasit ut subinde secum moram traherent viri, qui texerent sermonem de Deo, quia Deus esset incorporeus, nec ullo modo forma humana. Necesse alioqui sequeretur, si humana effigie informatus est, ergo et humanis subjacet affectibus. Hoc dogma a vetustioribus perspicue declaratum est, maxime omnium ab Origene. Ad eum modum se gerebat Theophilus et sic erat animatus. Quae enim dabantur responsa, per eam versipellem solertiam, nihil cunctatus invertebat ad expetendam inimicis ultionem. Hoc insuper artificio plurimos abripuit monachorum alioqui vita integros, sermone autem imperitos, ac litteris ineruditos. Et tales amandabat ad eos, qui eremi monasteria incolebant; ut et docerent non oportere morem gerere Dioscuro, non item ipsius fratribus: qui adstruebant Deum esse incorporeum. Deus enim (ait) juxta divinae Scripturae sententiam, et oculos habet, et aures et manus, et pedes sicuti ceteri hominum. Dioscuri vero discipuli, Origenis sententiam secuti, blasphemum dogma introducunt, utique asserentes, Deum neque oculos habere, non item aures, non manus, non denique pedes.

« Haec vaferrima cavillatio plurimos monachorum in errorem et fraudem abripuit; interque illos intestina exoritur et peracris factio. Porro quidem perspicaciori et aperto intellectu praediti, non se sinebant hac impostura abduci in fraudem; quin potius Dioscuri discipuli origeniano dogmati assensi sunt. Plures autem utpote simpliciores, et flagrantio-

re zelo animati, nulla mora prosiliebant adversus fratres. Inter hos igitur sectio oborta est: seque invicem insectabantur; et mutuis obtrectationibus concerpebant, quasi ad impietatem prolapsos. Qui vero aures accommodabant Theophilo, illos origenistas et impios nominatim traducebant fratres. Alii ex diverso partem oppositam, eos nimirum, qui Theophili malesuadae opinioni acquiescebant, dicebantur *anthropomorphitae*, hoc est *qui Deum circumscriberent humana forma*. Ex uno hoc fonte non mediocris momenti conflictationes verborum et controversiae derivatae sunt; et hinc inter monachos bellum processit inconciliabile.

« Theophilus autem, ut intellexit primum suam intentionem eousque promovisse, litteras transmittit ad sibi convicinos episcopos, quibus jubet per eos quosdam e primoribus exigi a monte et interiori eremo, eos, qui praeerant monachis, idque indicta causa. Horum quidam una cum presbyteris profecti Alexandriam, rogabant Theophilum, causam ut exprimeret, cujus gratia ipsos sua eliminaret solitudine. Ille vero oculis sanguine interspersis, in illos pressius defixis torvum respectabat, nonnunquam quidem livescens, aliquando autem psalladus, interdum vero amarulento risu subsannans per immodicam iram. Collo Ammonii, virique utique sibi coaetanei, involvit medium pallii, sive extimae vestis suismet manibus, et in ejus maxillas incussis plagis, et contractis digitis subagitabat manus Ammonii, obstreperam hanc edens vocem: *haeretice*, *ferito Origenem anathemate*. Et hoc quidem propter fratres; illud autem odio Isidori, qui in Nitria erat, hospitum et peregrinorum exceptor. Ad hunc igitur modum sanguinolenti, nec ullo responso digni habiti, in suas quisque mansiones reversi, sibi propositae exercitationi monasticae acquiescebant fixius, disciplina Scripturarum suum exacuentes ingenium (quarum meditatione fit haud parva accessio salutis) de Episcopi vesania minus solliciti, modo ne sibi mali ullius conscii essent.

« Adversus hos non conquiescens Theophilus, rursus destinat e vicinis locis episcopos; et contra monachos adornat et cogit concilium; illis quidem minime accersitis, ut pro se responderent et expurgarent; nec ulla ratione reddita, exi-

miae sanctitatis viros exhaeredes facit, et abdicat Ammonium, Eusebium et Euthymium, veritus poenam vindicem inferre simul adversus tantam multitudinem, dissimulata interim corruptela dogmatum. Et quos plerumque supra episcopos ipsos honore cumulatiore prosecutus fuerat, et Doctorum vice reverebatur ob Verbum Dei per hoc tempus, et propter splendorem vitae, hos nihil veritus est nominatim perstringere ut magos, praestigiatores et maleficos. Idque contigit quod infensissime Isidorum odisset, quem e solitudinis monte abdicarat. His expletis, adscivit sibi demulcendo et blandiloquentia perungendo homunculos quinque: qui ne unquam quidem in conventu eremi versati fuerant; nec verebor dicere, prorsus indignos foribus aut vestibulo.

« Ex his episcopum creat ordine praeficiens eum viculo cuipiam, quod nulla suppeteret civitas. Alterum autem designat presbyterum. Tres vero reliquos diversis assignat officiis, ut qui nequaquam aegyptii essent, sed prodiissent e diversis locis. Ille quidem libycus sive poenus erat, alter alexandrinus, tertius pharaonites, alius vero paralleteotes. Hi, quod praeter omnem suam spem insignia patriae sibi obligissent pignora, in omnibus morem gerebant Theophilo. Tum ipsos subornat, ut sibi libellos traderent adversus illos tres. Ipse autem, quos darent libellos, clam pertexit calumniis refertos. Hoc solum animo conceperat, ut his, quae inferrentur libellis calumniosis, ipsi subscriberent. Eo expleto, acceptos ab eis in ecclesia libellos, ingressus Augustalem, interpellat adversus illos, ex propria persona implorationem ipsam complexus, calumniosos libellos deponit, oratque sibi suppeditari militare subsidium ad exigendos viros illos ex universa Aegypto.

« Acceptis autem militibus ad numerum quingentis una cum edicto, in globum cogit multitudinem dispalantium, ac proinde ad concitandas perturbationes levi ex causa propendentium; hisque obarmatus insilit et grassatur in monasteria: quum tota nocte genialiter secum inebriasset servos et vacasset comessationibus. Et primum quidem horum fratrum ipsum Dioscurum episcopum per suos domesticos jubet e sede deturbari per aethiopes, et per eos, qui ne regenerati

quidem essent fonte baptismatis, recepta in ecclesia sive paroecia, quae ab adventu Christi nomenclaturam obtinebat *Dioscurupoleos*. Hoc facto, praedonis ritu spoliat montem, mercedem utique paraturus ac dispertiens audaculis istis adolescentibus, res admodum exigui momenti, nempe solitariorum cellas omnes depraedatus. Tres illos magno studio perquirebat; quos alii in puteum demiserant, storea obturato ore putei. His nunquam inventis, eorum cellae, aridis sarmentis eisdem admotis, deflagrarunt incendio. Quin et libellos omnes, quorum lectioni intimo affectu et studio acquiescebant, incendio combusserunt, puerulum insuper ut narrant oculati testes, et symbola sacramentorum.

« His igitur gestis, placatus ab ira, quae cum ratione omni pugnabat, denuo se recepit Alexandriam, locum cedens sanctis illis, ut alio profugerent. Eorum alioqui quidam ingressi Alexandriam cum suis melotis, nudi tamen sola accincti zona et linteo obambulabant civitatem et plateas, effusi in lamenta ac fletum. Cives quidam, hisce gestis cognitis, ad unum conglobati sunt omnes, lampadas tenentes manibus et ad episcopalem domum abeuntes, ubi habitabat Theophilus, coeperunt eam incendere, direptis omnibus, quae in ea erant, bonis. Erant et continuo depraedaturi pretiosissimos quosque thesauros, ni princeps veritus impendens periculum, festino accursu eo descendisset, ab iis postulans, ut placarentur. Nec illi per haec sibi obtemperabant, vociferantes et tumultum concitantes idque continentissime adversus Theophilum. Princeps vero anxietate peracri circumfessus, non iniquum censuit, ut Theophilum traderet manibus populi; et hoc pacto suae saluti fuga consuleret. In arcano quopiam recessu aedium episcopalium, ne ab aliquo videretur, se occuluit, seque eo dejecit Theophilus. Princeps autem arreptos monachos, vestimentis quidem eos amicivit, et amictos abduxit in praetorium, ipsos adhortans, ut egressi ad populum, obortum sedarent tumultum. Egressi illi videbantur quidem certa persuasione ad id exhortaturi populum: at contra tanto amplius acclamabant, vestimenta in aera jactantes.

« Princeps vero e praetorio exiliens inter ipsos elapsus, manibus indixit, ut praestito silentio, adhortans eos, excipe-

rent pro se excusationem, seque purgaret. Quumque illi parumper conticuissent, jurejurando se eis obnoxium reddidit et obstrinxit, dicens: *Nullo meo fructu hac victoria bonorum, quae ad me attineat, perfunctus sum aut potitus. Haudquaquam Theophilus est bona cum fiducia ausus mihi concredere suum consilium; sed praetextu quorumdam haereticorum, qui pervertebant sinceritatem fidei, quos cuperet in ordinem redigere ad orthodoxiam, me secum assumpsit, ut illi suppeditarem militare subsidium. Quod si didicissem illum id voluisse exequi, non milites exhibuissem; at ne sivissem ex urbe quidem egredi.* Hisce verbis certius persuasi, omnes ad solitudinem suam se se receperunt. Theophilus autem placando principi navata per se diligenti opera, et ipsius manibus non paucis muneribus impletis; cumque una cum ipso eos demulsisset obsequiis, et eos, qui primatum tenebant, delinivisset opulenta largitione, timore omni a se excusso, ad propriam sedem se postliminio recepit. Atqui etiam tum acriori odio eum sunt prosecuti, qui et liberali largitione corrupti fuerant: et bona pars civitatis infense ipsum oderat.

« Discipuli insuper Dioscuri Sylvanum adiere hierosolymitanum episcopum, quibuscum una presbyteris et diaconibus montis Nitriae exierunt monachi vitae laudabilis trecenti, alii item e diversis sparsim contracti locis. Horum actionem peculiariter sibi consentaneam non ferens ille obliquus serpens diabolus, concivit rursus Theophilum adversus eos: Qui praefervida indignatione flagrans, litteras scribit ad Sylvanum episcopum et reliquos, hunc in modum continentes: *Non conveniebat quidem praeter sententiam ac voluntatem meam hos excipere in civitatibus vestris. Quod si ignorantia a parte vestra peccatum est, condono vobis. Deinceps igitur pervigili cura providete ne ad ecclesiasticum ullum ordinem, non item ad privatam administrationem hos suscipiatis.* Et haec per Aegyptum facta sunt.

« Beatus proinde Joannes constantinopolitanus episcopus, quum haec gesta sunt, eorum inscius erat, vir sane multa eruditione efflorescens; et hoc nomine habebatur celeberrimus. Porro illi monachi immodica adacti necessitate e locis ad alia transibant, et ultro citroque vehebantur. Eousque per-

veniunt ubi Comitatus et aula imperialis, Joannes quoque pro throno episcopali residebat (idque Dei gratia ac per principum providentiam) et ipsius genibus advoluti supplices precabantur, ut animabus multiplici calumnia oppressis suppetias ferret; et ab eis potissimum laesis, a quibus benevolentiam potius sentire oporteret. Ad haec substitit Joannes, viditque viros quinquaginta stola utcumque indutos, sanctis laboribus intincta. Cum istis aderat quoque et Isidorus, prius quidem aliquanto ipsi Theophilo charissimus, nunc demum invisus. Atqui Joannes peracri affectu fraternae charitatis extimulatus, exemplo Joseph lacrymas continere non potuit. Ab ipsis igitur sciscitatur causam. Respondent illi: *Tu pater adjuvans nobis non fortuito vulneratis per insaniam Theophili Papae alexandrini, utique potes nostris vulneribus tumidis obducere cicatricem. Quod si etiam ipse exemplo reliquorum episcoporum in fraudem nos pertraxeris, sive veritus, sive Theophili correptus timore, nihil jam nobis reliqui fiet, nisi ut ad Imperatorem profecti, eidem exponamus omnem prorsus improbandam Theophili malignitatem, idque in contumeliam ecclesiasticae traditionis. Quod si assensus fuerit, persuadeto, ut nos sinat in Aegypto commorari; quandoquidem nihil delicti admisimus adversus Salvatoris nostri legem: at ne ipsum quidem Theophilum ulla in re offendimus.*

« Haec ut didicit primum Joannes, viris illis deferebat honorem; nec prohibuit quominus participes fierent publicarum orationum. Non item dixit se eos admittere ad communionem et collationem sacramentorum, priusquam ejusmodi causam plenius internosset: quod spe bona confideret, memoriam injuriarum facile immutatum iri apud ipsum Theophilum. Itaque viros illos hortatur et obsecrat ut Dei amore accensi, inter omnia in silentio et quiete degentes supprimant causam adventus sui etc. »



CAPUT XVIII.

Sequitur discussio et eorum illustratio, quae a Georgio patriarcha notantur in praefata narratione circa monachorum damnationem et expulsionem ab Aegypto sub haereseos praetextu, instante quam maxime Theophilo.

Hucusque Georgii testimonium initio seculi septimi Alexandrinam ecclesiam regentis; qui haec de priscis documentis decerpsisse ait; quorum auctores vocat testes oculatos, ut ideo undique enarrationis manifestetur ingenuitas. Ex hac porro enarratione a principio, ut patet, obstupescendum est cur tanto fervore tunc pugnatum sit adversus Origenem haud magis quod Theophilo suisque foederatis displicerent praesumpti Origenis errores; sed ut isti ita Origenis dogmata reprobantes, una virorum sanctorum fidem, probitatem, decusque conculcarent. Qui quidem Theophili ejusdem ambitionem, avaritiam ceteraque vitia aegreferentes, noverant, vix Theophilum ipsum ulterius processisse, quin episcopatui aegyptio, cunctisque fidelibus innotesceret sui regiminis pravitas, ac simul cum ipso incerta aliorum fama, quippe ejusdem participantium malitiae. Proindeque, uti par est, quos Theophilus arbitrabatur aequos suipsius accusatores, primus ipse insimulavit fictis criminibus; sibique sociatis falsis testibus condemnavit, a quibus certe in posterum reprehendendus coram Ecclesia fuisset.

Interea huc revocatis, quae ipse statuit Theophilus in Synodica de Origenis haeresi, de Isidoro et de ceteris monachis, luculentissime eruitur falsitas omnium insimulationum tum adversus Origenem, quem haereticum et impium dixit; sicuti et contra Isidorum suosque socios calumniis variis ab ipso appetitos. Et sane quidem de eodem superius excussa satisfiunt; et praesertim circa illam corruptam sententiam, quam coram Synodo legit et Origeni ipsi inscripsit: quacum is asserere dicebatur: *non debemus orare Filium sed solum Patrem, nec Patrem cum Filio;* quando ex graeco et illius discussionis contextu, omnimode contrarium scripsit A-

damantius, hanc piam et genuinam sui sermonis conclusionem ex ore Christi docens: *ad solum Patrem mecum et per me dirigenda a vobis oratio est.* Item altera sententia de Jesu Origeni inscripta: *Filius Dei nobis comparatus est veritas; Patri collatus mendacium.* Horrendae blasphemiae sunt istae adversus Dominum et Christum ejus. Horrendae calumniae sunt istae adversus sincerissimam Origenis doctrinam de Christi divinitate.

Deinde quoad Isidorum, fratresque *longos*, ceterosque nitrienses monachos, Theophili assertionibus comparatis Georgii enarrationi, deducitur qualis Isidori culpa, quis simultatis causa; quis popularis tumultus auctor, quis excidii origo, quis denique nequam. Isidorus ne an Theophilus? Profecto ni abyssus abyssum traheret; sive ni deinceps in causa Chrysostomi innotuisset quavis ratione Theophili manifestissima perfidia, et alterius, quam in Isidorum et in monachos admisit, improbitatis certum indicium, fortasse quodammodo latuisset pravus illius in praefatos coenobitas processus religionis zelo velatus; eorumdemque obscurata probitatis fama adhuc mansisset. Verumtamen Georgii, et aliorum (de quibus infra) testimonium, ac demum Innocentii Papae anathema contra Theophilum jactum, ipsius flagitia apertissime comprobant: quibus a quaestionis origenianae principio usque ad finem, adversus Ecclesiae canones, adversus jura humana et divina in omnibus egisse ostenditur. Proinde nulla fides praestanda iis est, quae ipse Theophilus exposuit de monachis in Litteris synodicis. Quas nescii et inconsulti Epiphanius et maxime Hieronymus acceperunt, probaruntque; aliisque praebuere probandas, minus de tanta auctoris perfidia cautis.

Sed valde nostra interest Georgii monumentum ab aliis firmari testibus, partim coaevis Theophili, seu ipsius aetati et regioni proximis. Quorum singuli etsi haud cunctas notent simul circumstantias, aliis brevi, aliis longiori sermone rem obsignantibus; nihilominus in hoc conveniunt de Theophili improbitate adversus viros innocuos.

Et primum, Theophilus in citata Synodica n. 6. inquit, monachos nitrienses in causa Isidori et Origenis adversum se

parasse seditionem sibique necem intentasse; ac nisi Dei providentia id infrenasset, evenisset quod in seditionibus evenire solet: in tantam enim nefarii homines temeritatem immo insaniam praeruperant. Subdit insuper, cum ipse saluti monachorum provideret, istos contra se hostiliter pugnasse. Et haec testatur Theophilus in praefatis litteris. Nihilominus et quis crederet? Isti monachi, homines nefarii, ex iis sunt, quos inter martyres honorat Ecclesia graeca in *Menaeo* sub die 10. Junii hac inscriptione: *eadem die sanctorum plurimorum patrum, quos Theophilus alexandrinus episcopus igne et violenta morte necavit propter Isidorum presbyterum*. Item, teste Socrate, ceteri qui exularunt monachi, et Constantinopoli mortui sunt, in sanctorum numero honorantur. Attamen iidem monachi vere orthodoxi, vere pii, vere sancti, vere martyres sunt, quos Epiphanius et Hieronymus, epistolis Theophili acceptis, istiusque perfidiae ignari una cum eo nuncuparunt haereticos, impios, simulatores, aspides occultos, hydras sibilantes, undique Origenis prava dogmata serentes.

Secundo, quoad Isidorum, speciale testimonium de ipsius fide ac morum integritate fulget ex ejusdem Theophili dictis: qui Isidorum vocat principem factionis haereticae, idest origenistarum; quorum haeresim novum penitus Theophili commentum hucusque probavimus fuisse. Et sane, siquis in nuncupata Synodica expressiones studiose perscrutetur, comprehendet, quomodo in Isidori criminationibus tergiversatus sit, ut sub charitatis christianae ac fidei zelo, illius noceret famae, et hinc aditum sibi compararet ad ipsius damnationem. Nec aliter scopum attigisset Theophilus, cum scriberet ad episcopos Palaestinae et Cypri, sciens quam apud illos Isidori nomen venerandum. Tali enim veneratione hunc prosequebantur Joannes hierosolymitanus, Palladius, et Innocentius Papa, quem ideo vocat in epistola ad Arcadium *dignum hospitum exceptorem, et religiosae vitae consectatorem*.

Tertio, si tantae perfidiae capax fuerit Theophilus in quaestione Isidori; et quid putandum erit de causa origeniana? Ab hujusmodi initiis, nunquid arbitrandum erit, cuncta, quae successive adversus Origenem et monachos nitrienses acclamavit in Synodo alexandrina Theophilus, jure ac legitime

juxta Ecclesiae canones fuisse patrata? Et quis credat, ex his praeludiis Origenis causam convenienti discussione sobrioque judicio pertractatam esse et definitam? Eoque magis si decreti synodalis scopus diligenter investigetur, quocum interdicebatur lectio librorum Origenis; nequis ideo hos haberet vel legeret libros? Nonne ex adverso ab hoc interdicto eruendum videtur, praesumptos Origenis errores interpolationes et corruptiones potius fuisse doctrinae sincerae Auctoris, quam revera dicta ipsius genuina? quando contra hujusmodi impietates eidem inscriptas perpetuo dimicavit, impios ideo vocans Celsum, Marcionem, Basilidem, Valentinum, qui tales propugnarunt blasphemias? Quamobrem inferendum duco, ideo a Theophilo interdictam lectionem et possessionem librorum Origenis; ne forte quis genuina istius scripta legens, aliter comprehenderet eumdem docuisse et scripsisse, quam episcopus alexandrinus definivit coram Synodo, haereseos insimulans virum orthodoxum.

Demum nobis in hac re suffragatur auctoritas, eidem aetate et nomine affinis, Isidori Pelusiotae, doctrina et sanctitate spectatissimi. Qui ad Symmachum scribens, apertissime testatur tum Isidori virtutes praeclaras, tum adversus istum odium et inimicitiam Theophili viri pessimi et apostatae: quum in Chrysostomum, ait Pelusiota, explevisset omnem improbitatem, quam antea in Isidorum monachum admiserat. Quae omnia destruunt commentitias calumnias a Theophilo consertas in Epistola ad Cypri et Palaestinae antistites adversus monachos nitrienses.

Verumtamen haud tantummodo nostrae curae sit famae consulere Isidori; sed et aliorum qui cum eo et pro eo decertarunt in hac quaestione. Quamobrem praefatorum scriptorum auctoritate suffulti, horum testimonia ineamus consideratum; ubi et Origenis causa ventilatur, et illorum tanti viri consulentium decori, ejusque catholicam comprobantium fidem in suis Operibus. Quique simul compertissimum habuere, et statuere pravissimum Theophili studium in persequendo, quos ipse haereticos in mente sua finxit, voluit, fecit, ac deinde actu damnavit, profligavitque: ita ut ideo quodammodo secundum Christi verba dici tunc potuisset, e-

lectos quoque nonnullos in illusionem inductos fuisse a tanti viri perversitate.

Degebant, inquit Sozomenus, tunc in Aegypto admodum Theophilo cari quatuor fratres monachi Ammonius, Dioscurus, Eusebius, atque Euthymius, quos ipse contubernio et familiari congressu ut plurimum habebat. Sed contra eos simultate inita, nescius Theophilus quomodo eis nocere posset, qui nihil possidebant, et omnia praeter philosophiam, aspernabantur, cum novisset tamen sectatores eos esse Origenis, et hinc ipsos opinionem reprehendere illorum, qui humana forma praeditum esse Deum dicebant, commisit eos cum multitudine monachorum, qui aliter sentiebant. Unde gravissima contentio orta est inter monachos: ex quibus qui Deum incorporeum asserebant, origenistas vocabant; alii vero contra asserentes, anthropomorphianos. Et haec ait Sozomenus in Libro VIII. c. XII. Socrates porro addit in Libro VI. c. VII. Theophilum plures monachos decepisse, viros simplices quidem et sinceros, sed rudes, ac plerosque etiam litterarum expertes, Misit enim ad ipsos litteras, ne auscultarent Dioscurum et fratres ejus, inducere conatos, Deum scilicet nec oculos, nec aures, nec manus, nec pedes habere. Hac fraude Theophilus multos monachos decepit; et inde orta est dissensio; quae adeo inter eos exarsit, ut praefati viri non tantum in hac re Origenis (etsi recto sensu) studiosi haberentur, verum etiam et pravorum dogmatum sectatores, quorum Origenes ipse per illum libellum (falsitatibus confertum uti calumniatorum opus) culpatus fuerat; ut ideo simul vulgo haereticorum et blasphemorum nota designarentur. Quos deinde cum ceteris Origenis fautoribus Synodus alexandrina, cui ipse praeerat Theophilus, pellendos esse decrevit, ad hoc accedente augustali auctoritate.

Amplius vero refert, quod Palladius in vita s. Chrysostomi, sinceris testibus adhibitis, narrat de monachis ab Aegypto pulsis nullo crimine intercedente, sed tantummodo Theophili improbitate: « Ait enim, monachorum obtestationibus non acquiescentem Theophilum misisse ad vicinos episcopos, et adversus eosdem coegisse concilium, neque ad defensionem vocatis ipsis, nec facta illis dicendi potestate. Verumtamen

tres viros e praecipuis tantum excommunicat, veritus simul contra multitudinem poenam decernere, praetexens dogmatum perversitatem; et quos plusquam episcopos honoraverat et magistros propter vitam, doctrinam et aetatem, eos non puduit appellare praestigiatores eo quod erga Isidorum optime affecti erant. Deinde nonnullos subornat, quos ipse ordinaverat, ut libellos darent adversus tres illos senes; et falsae accusationis verba ipse contexuit; cui unum id isti contulerunt, ut subscriberent. Postea acceptis ab eis libellis coram ecclesia, ingreditur ad Augustalem; et contra ipsos supplicem libellum apud eum nomine suo deponit ipse aegyptiae dioeceseos pontifex, adjunctis falsae accusationis libellis; petitque ut militari manu expellantur ii homines ex universa Aegypto. »

Et ita prosecutus eadem enarrat quae superius ex Georgio patriarcha descripsimus circa illorum monachorum ejectionem ab Aegypto; et quomodo episcopis Palaestinae per litteras exprobrasset Theophilus, quod ipsos monachos recepissent in civitates suas. Quamobrem, sequitur Palladius:

« Illi multa necessitate coacti cum in alia ex aliis loca migrarent, tandem in Comitatum veniunt; ubi divina manu ad curam potentium agendam Joannes collocatus erat episcopus; atque ad ejus genua provoluti, orabant ut succurreret animabus calumniam passis, et devastatis ab iis, qui id potius quam benefacere consuevissent. Stetit Joannes; atque ut vidit quinquaginta electorum hominum canitiem sacris laboribus tinctam et ornatam veluti Joseph, fraterni amoris acri dolore stimulatus in lacrymis effusus est, percunctatus ex eis quisnam aper de sylva, aut singularis ferus huic foecundissimae viti invidisset. Illi autem: sede, Pater, et nobis medere non mediocriter vulneratis a Theophili Papae furore; si tamen poteris vulnerum nostrorum tumores ad cicatricem perducere. Nam si et ipse nos negligis, Theophili sive timore ductus, ut alii episcopi, nihil jam reliqui nobis fit a vobis, nisi ut imperatorem adeamus; et prava ipsius facta in Ecclesiae contumeliam exponamus. Si ergo ecclesiasticae aestimationis tibi cura est, nobis annue, ipsique persuade, ut nobis nostrum concedat domicilium in Aegypto, qui nihil pec-

cavimus neque in legem Salvatoris, neque in ipsum. Ad haec Joannes sperans facile se Theophili adversus eos odium demutaturum, libenter negotium arripit, admonens eos, ut apud omnes religioso silentio adventus sui causam tegerent, donec ipse, inquit, misero ad fratrem Theophilum......

« Contigerat autem sub id tempus ut clerici quidam Theophili Constantinopoli adessent, magistratuum, qui regendae Aegypto designabantur, promotiones praemercantes, et benevolentiam Theophilo conciliantes in perniciem eorum, qui illi minime placebant. Hos igitur ad se accitos Joannes, percunctabatur an praesentes monachos novissent. Illi candide de ipsis testimonium perhibuere, dicentes Joanni: et novimus eos, et vim magnam perpessi sunt. Ac si placet, Domine, spiritalem eis communionem impertiri noli, ne offendas Theophilum : in ceteris benignum te praebe; hoc enim te ut episcopum decet. Sic Joannes eos quidem ad communionem non admisit. Theophilo vero scribit orans : *in hoc mihi ut filio et fratri gratificare, hos viros complectitor.*

« Ad haec Theophilus gratiam quidem negavit Joanni : mittit autem quosdam ad contentiosas verborum pugnas exercitatos, de quibus supra diximus, et monet, dent illi libellos precum, quos more suo ipse dictaverat, qui continebant apertum quidem mendacium, amictum vero varia et multiplici calumnia eorum, quae sunt invisibilia, cum nihil haberet unde eorum vitam calumniaretur; facitque ut in palatio quasi praestigiatores digito monstrarentur. »

Interim, omissis aliis infra dicendis, ex hac genuina Palladii narratione, cui ceteri praefati Scriptores (si excipias Hieronymum) acquiescunt, percipere licet, aliter quam suppositas Origenis impietates tueri monachos ex Aegypto pulsos a Theophilo. Quinimmo constat eosdem nullius criminis fuisse reos, nec de haeresi, neque de obsequii defectu erga Episcopum; ast viros pios catholice sentientes, modeste fide et opera in totius ecclesiae conspectu se gerentes, veritatis et pietatis christianae aemulatores et ab omni prorsus dolo alienos. Praeter haec ex eodem Palladio audire juvat quae in Historia Lausiaca speciatim enarrat de eisdem, quos Theophilus calumniis exagitavit, contumeliosa eis inferens con-

vicia. In eadem namque Historia, beatae Melaniae recensens virtutes dicit eamdem apud monachos Aegypti convenisse. Et postea cum Augustalis Alexandriae relegasset Isidorum, et Pitimium, et Adelum, et Paphnutium et Pambo, et inter eos Ammonium Parotium et duodecim episcopos et presbyteros in Palaestinam circa Diocaesaream, ipsa eos est secuta, illis ex suis propriis pecuniis subministrans. De his porro Palladius speciali sermone agens, Isidorum vocat presbyterum sanctum et Xenodochum Ecclesiae alexandrinae, ob ipsius abstinentiam, vitae severitatem, morumque probitatem ceterasque animi dotes Senatui romano procerumque uxoribus notum.

Item de Ammonio ait eum culmen monasticae vitae assecutum, veterum Patrum Origenis, Athanasii, Basilii et aliorum libros evolvisse, a coaevis scriptoribus encomio decoratum. Mirabilia enarrat Or abbatis ob illius vitae integritatem, doctrinam ac litterarum divinarum eruditionem. Evagrium diaconum dicit morum honestate praeclarum et catholicae doctrinae vindicem contra omnes haereses dimicantem. Paphnutium celebrat ob sacrorum Bibliorum cognitionis donum. Item dicit de Dorothaeo presbytero, de Pambo, de Dioscuro, Eusebio et Euthymio Ammonii fratribus, ceterisque; quos Historicus notat in vita praefatae Melaniae, vehementer instante Theophilo, ab Aegypti monasteriis expulsos esse.

Ne autem quis ullimode dubitet de Palladii narratione in iis, quae dicit de monachis expulsis a Theophilo, et ubi item valde virtutes eximias, fidemque sinceram extollit Melaniae, quae se comitem fecit monachorum exilii et istorum altricem et solatricem in angustiis suis, audire praestat, quae de hujus foeminae sanctitate scribit s. Paulinus in Epistola X. ad Severum: « Addo, inquit, adhuc pretio ejus et gratiae, quod quo dignior probetur usu tuo, de sanctae et illustris in sanctis Dei foeminae Melanii benedictione mihi pignus est. Unde te dignior visa est, cujus fides illi magis quam noster sanguis propinquat. Fateor tamen, ausum me, ut eam quamvis illico ut acceperam tibi destinatam, meo tamen vestitu initiando praeterirem: sciens magis me tibi hac injuria

praestiturum, quam si te intemerata novitate illius honorassem, simul ut mihi benedictionem quasi de tua jam veste praecerperem, ut jactare possim vestimenti tui me esse participem, qui, propitio Deo, futuram usus tui tunicam, quasi fuisset, induerem.

« Addidit autem Dominus hanc gratiam de muneribus et literis tuis, ut ad eos potissimum dies nobis frater victor occurreret; quibus Sanctam illam, Hierusalem post quinque lustra remeantem, excepimus; ad quam tandem foeminam (si foeminam dici licet tam viriliter christianam) quid hoc loco faciam, vetat fastidii intolerabilis metus voluminibus adhuc addere. Sed personae dignitas, immo Dei gratia postulare videtur, ut commemorationem tantae animae praegressus, non raptim omittam, sed paulisper ad eam tibi narrandam velut navigantes, si aliquem in littore locum spectabilem videant, non praetervehuntur, sed contractis paululum velis, aut remigio pendente, pascunt oculos intuendi mora.

« Ita sermonis mei cursum detorqueam, quo etiam illustri illi et materia et eloquentia libro tuò vicem aliquam videar reddere, si foeminam inferiore sexu virtutibus Martini, Christo militantem prosequar. Quae consulibus avis nobilis, nobiliorem se contemptu corporeae nobilitatis dedit. Opinor autem et hoc ad cumulum divinae gratiae pertinere quod sanctitatem laudandam de laudibus generis praedicare ordiar. Sed hunc ordinem non a rethoricis institutis magis quam de evangelicis exemplis usurpari, doctissimus Lucas mihi testis est; qui Baptistae beati meritum ab originis claritate detexuit. Et ne tantum historiae eum commemorasse existimes etc.

« Quamobrem non videbimur aliena potius, quam nostra uti regula, terrenam quoque nobilitatem in supradicta Dei famula praedicantes, qua perspicuum fit id quoque ad operis sui gloriam Dominum contulisse; quo magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur. Ut quo vanitas hominum ad contemptum Dei utitur, ista potius ad contemptum mundi uteretur. Simul ut major salutaris exempli proderetur auctoritas humiliandis superborum oculis, mulier celsiore gradu ad humilitatis cultum ob amorem Christi de-

jecta sublimiter, ut viros desides in infirmo sexu fortes argueret, arrogantes in sexu utroque personas paupertata dives et nobilis humiliata confunderet. »

Deinde pergens s. Paulinus praecellentes animi dotes hujus foeminae narraturus, in Epistolae fine scribit: « Verum ut ad perfectam Domini columbam recurram, scito nunc istam tantam in sexu infirmitatis virtutem Dei, cui refectio in jejunio, requies in oratione, panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo, et centone durus in terra sit. Mollis in tecto, quo rigidi cubilis injuriam mitigat lectionis voluntas: et sanctae animae in Domino vigilare requiescere est. »

Et haec sane est foemina, quam s. Hieronymus in sua illusione adversus Origenem ejusque defensores monachos, sub *nigrae* nomine vellicat tanquam prava doctrina infectam. Quamobrem v. Baronius, hoc s. Paulini animadverso testimonio de Melaniae sanctitate, putat hanc foeminam ante obitum suum fuisse Hieronymo reconciliatam ob maculas, quas dicit ipsi inhaesisse ob Origenis patrocinium. Verumtamen hoc nullibi legitur in ejusdem foeminae historia; nec videtur praesumendum de ea, quippe quae sciebat tam Origenem tam monachos origenistas nullam haeresim fuisse professos. Et hinc consequenter probe callebat iniquissimam Theophili sententiam adversus sanctos viros; quorum compassa calamitates, se comitem eorumdem dedit in exilio.

Verum super cuncta hucusque prolata testimonia circa acta nefanda Theophili in Synodo alexandrina adversus Origenem et monachos nitrienses, instaurata deinde in Conventu constantinopolitano, praestat luculentissima et sincerissima narratio Sulpitii Severi. Qui oculatus testis extitit, et hinc accuratus omnium auditor, quae tunc in Aegypto ob hanc quaestionem inter episcopos et monachos disputata sunt de Origenis libris, et, quae ideo monachis eisdem supervenere, calamitatum ob Theophili oppositionem; neque ignorans Severus aliorum metum vel ignorantiam voluntati illius malae obsequentium. Quod praecipuo nostro proficiet argumento.

Is itaque in Dialogo I. c. VI. de monachis Orientalibus, quos ipsemet visit satis eorum vitam, mores, doctrinam miratus, narrat se adstitisse quaestioni tunc vehementer agitatae

circa Origenis scripta, de qua sic loquitur: « Quod cum ille benigne accepisset, revocantibus nos ad mare nautis, discessimus; prosperoque cursu septimo die Alexandriam pervenimus: ubi foeda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur ex ea occasione, quia congregati in unum saepius sacerdotes, frequentibus decrevisse synodis videbantur, nequis Origenis libros legeret aut haberet: qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed episcopi quaedam in libris ipsius insanius scripta memorabant; quae adsertores ejus defendere non ausi, ab haereticis potius fraudulenter inserta dicebant: ideoque non propter illa, quae in reprehensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata et tamen catholice disputata retineret. Non esse porro mirum, si in libris neotericis et recens scriptis fraus haeretica fuisset operata; quae in quibusdam locis non timuisset incidere evangelicam veritatem.

« Adversus haec episcopi obstinatius renitentes pro potestate cogebant, recta etiam universa cum pravis et cum ipso Auctore damnare (quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset) respuendam esse penitus lectionem, quae plus esset nocitura insipientibus, quam profutura sapientibus. Mihi autem ex illius libris quaedam curiosius indaganti, admodum multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi, in quibus illum prave sensisse non dubium est: quae defensores ejus falsata contendunt. Ego miror, unum eumdemque hominem tam diversum a se esse potuisse, ut in parte, quae probatur, neminem post Apostolos habeat aequalem: in ea vero, quae jure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Nam cum ab episcopis excerpta in libris illius multa legerentur, quae contra catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maximam parabat invidiam, in quo editum legebatur: quia Dominus Jesus pro Redemptione hominis in carne venisset, crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis aeternitate gustasset; ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus, quia hoc bonitate illius et pietati congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret.

« Cum haec atque alia hujusmodi ab episcopis proderentur, ex studiis partium orta est seditio. Quae cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset, scaevo exemplo ad regendam Ecclesiae disciplinam assumitur Praefectus. Cujus terrore dispersi fratres, ac per diversas oras monachi fugati sunt; ita ut propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus vir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem praecipue vel omnia ipsius scripta damnaret. Nec vero ausus sum de quopiam temere judicare: praestantissimi tamen viri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen, sive illud error est, ut ego sentio, sive haeresis ut putatur; non solum reprimi non potuit multis animadversionibus sacerdotum; sed nequaquam tam late se potuisset effundere, nisi contentione crevisset. Istiusmodi ergo turbatione cum veni Alexandriam, fluctuabat, me quidem episcopus illius civitatis (Theophilus) benigne admodum et melius quam opinabar, excepit, et secum tenere tentavit. Sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraternae cladis fervebat invidia. Nam etsi fortasse videantur parere episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi confessione viventem, praesertim ab episcopis oportuisset affligi. »

Quid ergo ex his inferendum, nisi praecedentium confirmatio de confessione catholica monachorum coram Synodo alexandrina sicuti deinde coram Joanne Chrysostomo et Epiphanio ingenue emissa. Sulpitii enarratio, ubi omnis elucet simplicitas, sinceritas, quovis sejuncto partium studio, tunc fortuito Alexandriae adstantis contentioni episcoporum cum monachis quoad Origenis libros, plura nobis consideratu digna commendat.

Primo, quod nihil a monachis pro haeresi origeniana nec dictum, nec factum est: sed tantum ab his disputatum contra episcopos circa fraudem seu interpolationem operum Origenis, asserentibus *non esse mirum, si in libris neotericis et recens scriptis fraus haeretica fuisset operata, quae in quibusdam locis non timuisset incidere evangelicam veritatem;* quibus magis nostrum solidatur propositum, una additis mani-

festae falsationis tesseris, uti singillatim jam ab hujus tractatus initio indicare ac probare studui.

Secundo, notanda sunt, quae Severus ipse de Origenis libris, quorum nonnulla cum legisset, sibique valde satisfacerent, adjecerit se quaedam abnuisse (et ea ipsa erant, quae monachi penitus falsata habebant) ac simul secum ipso vehementer obstupefactum, quod ille idem Origenes tam diversa ac contraria scribere potuisset: quum in iis a se acceptis et probatis, *neminem post Apostolos parem habuisse* dicat; quod item thesi nostrae suffragatur.

Tertio, cum addat Severus ab episcopis lecta fuisse *plura ex libris Origenis excerpta, ac prorsus catholicae fidei adversata*, accipe lector, novum de Centone, sive Rapsodïa falsationum, et a calamo falsario elaborata, testimonium; eoque magis quod ibi citet Sulpitius paragraphum libri IV. *Periarchon* de secunda Christi Redemptione deque daemonis futura salute; quum amplissimis argumentis ex sincera Ruffini versione, nedum dixisse Origenem, neque unquam hujusmodi somniasse absurdum probaverim; cumque in vivis adhuc degens Auctor, obtestatus esset, *nullum nisi mente captum hoc dicere potuisse*.

Quarto, ipse obstupescit Severus, praestantissimos viros (in quibus Hieronymum omnia Origenis scripta damnantem, cum antea laudasset) ab utroque latere magnopere decertare in ea quaestione; nec ideo ipsum audere quidquam temere decernere. Quod sibi vult, nequaquam utriusque partis sive episcoporum sive monachorum, spernenda exposita fuisse argumenta, nec ibi actum de blasphemiis Origeni adscriptis, de quarum anathemate nulla quaestio; sed quaerebatur num nec ne forent interpolata ipsius scripta. In quo animi fluctuantes facile sedari potuissent, subdit Sulpitius, et quaestio brevi dissolvi, nisi res adeo fuissent turbatae; et nisi Synodo ecclesiasticae (cujus nota praecipua sedatus disputantium animus) subiisset invidiae et seditionis fervor, ac inde principum secularium concursus.

Quinto, etsi Severus erga se reapse severus, usque huc severitatem servans, a judicio se cohibuerit in hac re, attamen totius quaestionis terminos considerans, errorem po-

tius quam haeresim ibi fuisse sensit: *sive illud,* scribit, *error sit ut ego sentio.* Proindeque nobis admodum satisfacit, ut dicatur, haud in Synodo proposita fuisse quaestio de haeresi, sive de viris haereticis, haeretica dogmata defendentibus ac confessioni nicaenae contraria; verum solummodo disputatum esse (nec aliter fieri potuisset) utrum Adamantii scripta essent nec ne interpolata, et hinc ipsius doctrina veritati opposita. In quo uni vel alteri, episcopi seu monachi errare potuerint absque fidei suae detrimento.

Sexto, quamtumvis Severus utrinque decertantium virorum praeclarorum reveritus nomen et doctrinam, fraternamque cladem questus sit, reprobaritque; nihilominus episcoporum (quorum princeps Theophilus, a quo hospitio exceptus erat et honoratus Sulpitius) duritiem silere non potuit contra monachos inique exercitam: *qui etsi, ait, fortasse viderentur, parere debuisse episcopis, non tamen ab his tantam illorum monachorum copiam sub Christi confessione viventium oportuisse affligi.*

Septimo, ex hac enarratione quis non et Origenis et origenistarum causam triumphare cernet? sicuti Theophili et sociorum contra eosdem conatus frustraneos fieri? Sive enim de anathematis inflictione, sive de exilio agatur, iniquissimam sententiam ipsos pronunciasse perspectissimum est. Eoque magis quod in hac re Severo concorditer incedant Polybius, Palladius, Chrysostomus, Socrates, Sozomenus; et speciatim quod attinet ad monachorum fidem sinceram coram Theophilo in Synodo sincerissime declaratam. Si vero post hoc Severi historia iis conferatur, quae narrat Theophilus in Epistola synodica ad episcopos Cypri et Palaestinae, haud modicae discrepantiae patefient non tantum de impietatibus Origeni adscriptis, quas nunquam animo confinxit; sed et de ceteris, quae supervenerunt in Synodo scandala, quaeque in monachos vertit. Ipse enim auctor eorum fuit praecipuus ac omnium calamitatum, quas perpessi sunt monachi, verbo et scriptis, credulis et simplicibus suadens de Origenis haeresi. In quo nisi velis apertam malitiam, ipsius certe negligentiam intolerandam admitti necesse est, cum evidentibus falsationum signis et obtestationibus credere noluerit.

Patet enim, cum Theophilus in Litteris synodicis monachorum temeritatem arguit, Severum ex adverso monachos et episcopos una reprehendere, quippe se se mutuis lacessentes injuriis; ac violentas manus in eosdem jecisse ipse dicitur Theophilus. Insuper (quod nos admodum juvat) Historicus testis oculatus de Nitriae monasteriis locutus, ubique fidem, ubique pietatem, ubique leges monasticas exacte custoditas asserit; nihil memorans de perversis eorum sensibus contra apostolicas institutiones; neque ulla haeresi infectos dicit; adeo ut, si ii tantum Aegypto exulare compulsi, haeretici impiique habendi sint, ipsorum patefacta fide orthodoxa, manifestis obtestationibus coram Ecclesia roborata, necessario statuendum sit in monasteriis Nitriae nec Origenis haeresim nec monachos origenistas haereticos reperiri, nisi in mente Theophili. Qui haeresim confudit cum errore, aut disquisitionem criticam de interpolatis Origenis codicibus, ubi cuique contendere licebat, vertit in argumentum theologicae disputationis, condemnans uti haereticos, qui non disputabant pro haeresi nec pro haeretico. Sed contendebant num nec ne Origenes scripsisset et professus esset, de quibus insimulabatur, errores, argumentis multiplicibus persuasi, Adamantii scripta fuisse corrupta, nec idcirco Auctorem anathemate mulctandum esse, veluti sapientissime notavit Severus, apprime callens quaestionis hujus terminos. In qua re Hieronymi quoque constat illusio probantis quae adversus monachos decreverat Theophilus.

Et quid demum ex his fide dignis monumentis, pluribus scriptoribus et quidem coaevis suffragantibus, eruendum erit? Quid prudens lector, animadversis tot undequaque tortuosis Theophili incessibus ab exordio ad finem usque in causa Origenis ejusque fautorum, adeo ut nullum sibi supersit effugium improbitatis suae in hoc negotio, quid prudens lector deducet? Ubicumque enim manifestatur injuria, quam sibi Theophilus intulit et praesertim muneri suo sacro, nec non Origenis fidei sincerae, ac ceteris, qui partes hujus ingenue et fideliter susceperunt. Nihil amplius inde constat, quam perversa ipsius Theophili conscientia, et potissimum ob tot aerumnas, in quas pios et sanctos viros injecerit, nullius

criminis reos. Ipsorum sane fides et pietas Chrysostomo et Epiphanio quamvis sero, satis perspectae fuere. Ac insuper monachorum colloquium cum praefatis Patribus, et cura inde maxima, quam de ipsis egit Joannes, istius litterae ad Theophilum, ut communioni ecclesiasticae admitteret viros uti innocuos, illorum sepultura in ecclesiis martyrum, honores ipsis defunctis collati, ac lacrymae ejusdem Theophili ob Ammonii obitum ex illis unius, quos antea dicit, se diabolo tradidisse ad perversa Origenis dogmata ab eo rata et accepta, et quid testantur? Nisi incertam Theophili conditionem suique animi conturbationem pravitatemque? Ac tantumdem immaculatum monachorum sensum in ratione propriae fidei, sicuti et alterius, idest Origenis orthodoxiam suis insertam libris comprobant; quam vehementer propugnarunt contra Theophilum ipsum suosque foederatos.

Hucusque exposita Severi narratio de genuinis actis Synodi alexandrinae, ac de summa decreti a Theophilo subscripti, quocum Origenis ejusdem libri damnabantur, una eorum lectione interdicta, ita nequis (velut ait Prosper aquitanus in Chronico) eos legeret aut haberet, et extra Ecclesiam fieret quicumque Origenis opera probasset, apertissime indicat, quam temere ibi consultum sit de hac quaestione tum quoad ejusdem libros suosque defensores, tum ob decretum absolute obsignatum, inauditis nec admissis obtestationibus, quae in similibus rebus nullimode erant respuendae; nec minus omittendae quales huic decreto praecesserint circumstantiae; quo animo auctor praecipuus Theophilus hanc inirit discussionem; quali praeventione Origenis anathema Synodo submiserit; et quali perfidia incepta quaestio sit ad exitum perducta. Quae cuncta quum haud satis diligenter perspecta sint a posteris, fere universim putatum est, jure tanquam haereticos damnatos non solum Origenem, et ipsius libros, sed et viros qui ejus partes susceperant (quamvis primus et secundi ab omni prorsus haereseos suspicione immunes erant) adeo ut ad nostram quoque aetatem pergeret in Ecclesia opinio nec Origeni propitia, monachis autem nitriensibus vere piis vere sanctis valde ignominiosa.



CAPUT XIX.

Acta recensentur Constantinopoli inter Epiphanium et Joannem Chrysostomum circa Origenis et monachorum nitriensium anathema, ubi hucusque pro his exposita ampliori cumulantur illustratione.

Sozomenus in Libro VIII. Histor. Eccl. c. XII. etc. narrat monachos ob Theophili insidias primum Hierosolymam petisse, deinde Scytopolim; ac demum Constantinopolim adiisse, ut coram Joanne episcopo hujus urbis, et Imperatore, insidiae ipsis comparatae convincerentur. Theophilus autem, cum falsus rumor invaluisset, Chrysostomum cum Dioscuro ac reliquis communicasse, eosque in omnibus adjuvare paratum esse, cogitare coepit, qua ratione Joannem quoque ipsum ab episcopatu dejicere posset. Interea ad episcopos scribens, libros Origenis reprehendit, et maxime ad Epiphanium (tunc in ea regione fama apud omnes eximium) sibi consortem faciens in damnatione Origenis, in cujus ad ipsum litteris haec leguntur: « Didici enim quod calumniatores verae fidei, Ammonius, Eusebius atque Euthimius novo pro haeresi furore bacchantes, Constantinopolim navigarunt, ut et novos siquos valuerint, decipiant; et veteribus suae impietatis sociis conjungantur. » Itemque adstruit s. Hieronymus a Theophilo supplantatus.

« Huic monito, sequitur Sozomenus, facile assensum praebuit Epiphanius, qui jam pridem libris Origenis aversabatur, et Cypri episcopus scripta Adamantii legi vetuit; datis insuper litteris ad Joannem Constantinopolim, ut collecta Synodo, eadem decerneret; quas tamen litteras Chrysostomus neglexit. Quamobrem Theophilus Epiphanii consilio adjutus magis incubuit, ut episcopi omnes Constantinopolim convenirent contra Joannem acturi. Interea urbem ingredientem Epiphanium Joannes occursu cleri totius honoravit. Ibidem Epiphanius perspicue declaravit, se delationi adversus Chrysostomum concinnatae fidem habuisse. Invitatus enim ut in aedibus ecclesiasticis manere vellet, neutiquam acquievit Epipha-

nius, cum Joanne concredi penitus detrectans. Verum privatim convocatis episcopis, qui tunc Constantinopoli morabantur, ea quae adversus libros Origenis decreta erant, illis ostendit.» Ostendit nimirum, dico ego, litteras synodicas Theophili, seu potius syntagma perfidiae opus, ex falsatis Origenis sensibus elaboratum.

« Ac interea nonnullis quidem persuasit, ut decretis subscriberent; plures vero id facere recusarunt. Quinimmo, teste Socrate in libro VI. c. XII Theotimus Epiphanio restitit, inquiens : « Ego, Epiphani, neque eum qui jam pridem pie defunctus est, contumelia afficere volo; neque impium facinus aggredi audeo, ut ea condemnem, quae majores nostri minime repudiarunt: praesertim cum sciam nihil malae doctrinae in libris Origenis reperiri. Simul proferens quemdam Origenis librum recitare coepit, et expositiones in eo ecclesiasticas ostendit. Deinde subjecit haec verba: *Qui istos libros contumelia afficiunt, ii certe non animadvertunt se illis ipsis voluminibus contumeliam inferre, de quibus libri isti conscripti sunt.* »

« Nihilominus Joannes (pergit Sozomenus) obsequium Epiphanio exhibens, ipsum hortabatur ut collectas secum celebraret et habitaret. Ast Epiphanius se neque, respondit, ejus domo usurum, nec cum eo oraturum esse, nisi prius Origenis libros damnasset; et Dioscurum una cum sociis expulisset. Sed cum Joannes ante causae cognitionem ita facere haud justum esse diceret, et cunctaretur: tunc ipsius hostes consuluerunt Epiphanio, ut Ecclesiam adiret et Origenis libros anathemate damnaret. Nisi quod Serapio a Joanne missus, suasit Epiphanio ne haec faceret, quippe iniquum esset atque sibi perniciosum. Et hoc modo Epiphanii impetus cohibitus est.

« Interea Ammonius et qui cum eo erant venerunt ad Epiphanium; id enim ipsi Augustae placuerat. Cumque Epiphanius interrogasset, quinam essent: respondit Ammonius *μακροὶ longi* sumus, o Pater. Sed libenter equidem discerem, utrum aliquando in discipulos aut in libros nostros incideris. Illo negante, iterum quaesivit Ammonius: unde ergo haereticos eos esse judicasti, qui nullum habes argumentum, quo

sententiam illorum possis convincere? Et cum Epiphanius diceret, id se auditu accepisse; nos vero, ait Ammonius, plane contrarium fecimus. Nam et discipulos tuos saepe vidimus, et libros perlegimus: ex quibus unus est, qui *Ancoratus* inscribitur. Cumque multi vituperare te, et tanquam haereticum calumniari vellent, nos pro patre, ut par erat, propugnavimus; et causae tuae defensionem suscepimus. Proinde nec tu ex solo auditu absentes damnare debuisses, quos nequaquam tu ipse certis argumentis inductus conviceras, nec hujusmodi gratiam referre laudatoribus tuis. Post haec Epiphanius lenius eos allocutus, tum quidem ab se dimisit. Brevi autem interjecto tempore, Cyprum navigavit; seu quod constantinopolitanae profectionis ipsum poeniteret; seu quod Deus oraculo ipsum admonuisset de morte. Prius enim quam Cyprum appulisset, fato defunctus est. »

Socrates porro in libro VI. c. XII. fere haec eadem narrat. Socrates, inquam, tunc Constantinopoli degens, testis oculatus; et cujus Valesius celebrat studium singulare in conscribenda Historia. Is itaque dicit Epiphanium civitatem ingressum, Joannem, a quo invitabatur, refugisse, et hoc ut Theophilo gratum faceret, et in privato domicilio diversatum esse. Et collectis quoquot in urbe regia aderant episcopi ab Isauria, a Pamphilia et ceteris provinciis illuc profecti, uti mandavit ei Theophilus, damnationis sententiam (calumniarum libellum dico ego) contra libros Origenis prolatam, ipsis recitavit: nihil quidem habens, quod adversus eos libros diceret, nisi quod ipsi ac Theophilo placuisset eosdem rejicere. Ac nonnulli cum ob reverentiam Epiphanii huic subscriberent decreto, multi id facere recusarunt. »

Ex hucusque expositis, quae Alexandriae primum, ac Constantinopoli deinde acta sunt contra Origenem suosque libros, ejusdemque sectatores, Theophili opera impulsuque esse patrata liquet: qui in omnibus et ubique tanquam accusator et judex apparet, et amplius ad hoc pulsus ex privatis causis et absonis a quaestione, et praeter omne jus Origenem nominatim damnando, quum antea sanxisset, neminem fato defunctum, haereticum esse pronunciandum. Ambitu, inquam, istius, aliis secum assumptis monachis (quorum plures etsi

sinceri, tamen illiterati erant deceptuque faciles, alii non satis cauti in hac quaestione quamvis ministerio episcopali functi) sibi conniventibus in Synodo, factum est ut pii doctique monachi paulo ante nuncupati, uti Origenis fautores ac praesumptarum haeresum participes damnarentur; et a monasteriis cogerentur exulare.

Et quis non miretur, et quasi incredibile non existimet, praefatos monachos, abbates, presbyteros, episcopos, in quibus elucent Theotimus, Isidorus, Joannes Chrysostomus, alter hierosolymitanus, Ammonius, Euthimius, ceterique, pro Origenis haeresi pugnasse, impietatibus communicantes, quas Theophilus, Hieronymus et Epiphanius adscripserunt Adamantio, cum totam Evangelii oeconomiam funditus everterent? In hoc enim falsitatum commentario sub Origenis nomine vulgato, non haeresis una, non nova quaedam opinio, non periculosa, aut dubia, aut temeraria sententia comprehenditur; sed errorum, et peregrini prorsus generis impietatum acervatio; quibus nisi infidelis, procax et insanus homo assentiri audebit, eorum instar, qui nunc temporis deistarum aut rationalistarum nomine distincti, Ecclesiam turbant in fidelium scandalum et societatis humanae perditionem. Et Palladius insuper historicus quidem pius et sincerus, et ob hoc a posteris elogio cumulatus, Innocentio Papae notus et acceptus, altissimae perfidiae scriptor haberetur; qui eorumdem gesta colligens, fidem, pietatem ipsorum miratus est, mirabilesque virtutes. Et quando aliter hi Origenis studiosi, commentitiis ipsius adsertis eique a Theophilo adscriptis consortes reputandi essent; impii cum impio Origene commiscendi; ac uno eodemque anathemate mulctandi; veluti Theophilo et Epiphanio (qui Theophilo nimium detulit) placuit hanc impietatis notam eisdem inurere monachis, pleno ore contra hoc ipsis in conspectu Chrysostomi reclamantibus.

Praeterea ut amplius appareat actio iniquissima Theophili in hoc processu, ac violentia, quam passi sunt praefati pii viri, tam in haereseos nota, tam in condemnatione, tam in exilio, eruitur ex constanti horum obtestatione coram Chrysostomo et Epiphanio Constantinopoli facta, et cujus ipse meminit Hieronymus. In qua ipsi manifestissime decla-

rarunt, se praesumptos Origenis errores cum Ecclesia catholica anathematizantes, quaerere tantummodo, num Origenes talia professus sit dogmata, num libri ipsius his notentur erroribus. Persuasum enim erat illis, Origenis scripta fuisse interpolata, ac impia dogmata ei credita, quae nunquam excogitavit. Et ob hoc vehementer institere nolentes Origenis anathemati subscribere, sibi ceterum conscii, cum in hac re Theophilo adversarentur, se nullius criminis esse reos. Hieronymus et id fatetur inquiens, eosdem haud prava Origenis dicta defendere, sed contendere libros Auctoris falsatos esse, nec ideo Origenem jure dici haereticum. Ipsi cum Theophilo non de re dogmatica disputabant, in qua omnes pariter conveniebant, sed de quaestione facti agebatur: aliis nimirum, ipso Theophilo impulsore, Origenem impietatis auctorem condemnantibus; ceteris ex ipsius scriptis cum Ammonio et Isidoro ab his impietatibus illum vindicantibus, librorum ejusdem falsatoribus culpatis.

Et quid aequius et sapientius his Ammonii dictis adversus Epiphanii sermonem? Nonne ex his confirmatur, quod saepius supra ostendimus de iniquissimo Theophili decreto contra Origenem ejusque defensores monachos nitrienses fidem professos sinceram? Contra quod decretum clamavit Severus auditus et visus testis, et cum eo ceteri, qui Theophili improbitatem in hoc processu apertis argumentis comprehenderunt. Non et hinc patet s. Epiphanii illusio, in quam hypocritica pietate velatus induxit eum Patriarcha alexandrinus? Probe igitur Ammonius reverenter corripit s. Epiphanium, quod sine aptis rationibus et Origenem et monachos istius orthodoxiam propugnantes, haereticos reprobarit: « *Unde ergo,* dicit ei Ammonius, *haereticos eos judicasti, qui nullum habes argumentum, quo sententiam illorum possis arguere?* His positis, posteaquam nos studiose genuinos Adamantii percurrimus libros, eosque ab haeresi immunes ostendimus: quid amplius desideratur, ut patentissima reveletur injuria, quam passi sunt monachi nitrienses ob Theophili perversitatem ?

Quapropter, cum de his Ammonius sociiique monachi instarent coram Chrysostomo et Epiphanio, jure haec disputare eos nemo negabit; nec insuper ob hoc ulla ratione da-

mnandos. Et revera Epiphanius postquam haec audivit ab illis, mitius erga eos se gessit, ac visus est admodum declinasse a sinistra auditione, quam antea, instante Theophilo, comprehenderat; de quo inferius dicetur. Ex his omnibus interim iniquissime deducitur, atque contra canones ecclesiasticos probatur, actum esse a Theophilo, ac hujus impulsu ab Epiphanio, contra viros innocuos, tantoque anathematis probro indignos. Et cum his nec probatur Hieronymi sententia, qui putavit extra ecclesiasticam communionem habendos fore monachos ob hoc tantum, quod noluissent eorum opinioni acquiescere, asserentium Origenem talia blasphema dicta compegisse in suis libris, cum aliter ipsis videretur sensisse Origenes, nec scribere tot absurda potuisse; eoque magis quod eis suffragaretur priscorum Patrum testimonium de Auctoris cum Ecclesia catholica concordia: quod supra amplissime ostensum est.

Praeterea in hac quaestione valde elucet Joannis hierosolymitani prudentia, qui a Theophilo invitatus, ut damnationi subscriberet haereseos origenianae, collecta Synodo episcoporum palaestinorum, respondit, se damnare, quae damnanda esse ipse Theophilus significaret, ab ea fide discordantia, quae sancita est in urbe nicaena. Et cum accusaretur Joannes tanquam Origenis errorum sectator, adjecit se in omnibus cum Ecclesia catholica sentire, nec erroribus adhaerere Origenis; sed sibi videri talia non docuisse Adamantium. Quod idem indicat firmatque injuriam, quae, suadente Theophilo, et Origeni allata est sicuti et ceteris, qui partes ejusdem susceperunt, renuentes ideo anathematizare virum, cujus libros depravatos fuisse putarunt. Vide ergo quot argumenta contra Theophilum faciunt; quot calumniae ab eo congestae sint in sanctos viros; et quot christianos fide simplices deceperit; quantarum calamitatum auctor fuerit; et in qualia probra dejecerit viros innocuos et pios; et quam male meritus sit de Ecclesia Dei, simultatibus undique concitatis; ac demum quam infauste Hieronymus a Theophilo deceptus cum eo consenserit; monachosque pios et episcopos recta incedentes in domo Dei catholici dogmatis propugnatores, omnique virtutum genere praeclaros, tanta sit ignominia prosecutus,

haereseos labe insignitos. Quibus illum quoque inscribere visus est pietate conspicuum, divinarum Scripturarum peritissimum, zelo apostolico aestuantem, Joannem dico Chrysostomum; cujus doctrinae et sanctitatis fama totum pervadebat orbem christianum.

Quoad autem Epiphanium, nemini mirum sit, ipsum nuncupasse Origenem *Arii patrem, et aliarum haereseon radicem et parentem;* quum et ipse ab eo illusus sit syntagmate falsationum et blasphemiarum sub Origenis nomine in vulgus edito, sibique conscius, ita ipsum sensisse. Ac ideo Joanni hierosolymitano exprobravit quod aliter a se sentiret, illud effatum e libris *De Principiis* proferens et quidem commentitium: *sicut enim incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem; sic inconsequens est opinari, quod Spiritus Sanctus possit videre Filium.* Haec, inquit s. Epiphanius, in libris *De Principiis* scribuntur, his verbis legimus et ita locutus est Origenes.» En Epiphanii illusionem. Nullibi haec scripsit Origenes; nec opinari potuisse supra demonstratum est. Interpolationem non sensit Epiphanius; falsata scripta legit, nec opera genuina Origenis animadvertit, frustra Joannem corripiens hujusmodi impietatum fautorem.

Nihilominus vir ingenuus, sine partium studio, sincero corde in Ecclesia Dei versatus Epiphanius, pietate et sanctitate conspicuus, non defuit ut aliquando in se factus comprehenderet, se morem gerentem Theophili, ultra zeli terminos transvectum viros probos insimulasse; quorum fides una et eadem ac nicaena erat; et quaestionis capita inter contendentes aliter se haberi, quam et Theophilus et ipse existimarunt. Et potissimum postquam cum Chrysostomo et cum monachis ab Aegypto exulibus convenit de tanto negotio consulturus: et ab eisdem didicit orthodoxos eorum sensus, ac iniquissimam Theophili rationem in judicando, atque violentiam in ipsos ab eo patratam praeter Ecclesiae canones.

Et re quidem vera, Socrates et Sozomenus inquiunt, Epiphanium Constantinopolim profectum ob origenistas, a Chrysostomo monitum fuisse, nequid sine cognitione causae ageret in monachos; ac amplius, ideo narrant, cum eisdem monachis locutum Epiphanium, admodum sollicitum et anxium

fuisse de hac quaestione, adeo ut visus sit de suo itinere poenitentia ductus, suam opinionem emendasse de Ammonio suisque sociis, et Origenis libris. Et in hoc nihil mirum, quum ipse Epiphanius convictus sit, se ex auditu tantummodo haeretica docere monachos judicasse, quin libros eorum ac sensum novisset; ac omnia fecisse ex pravo consilio Theophili, qui ad ipsum scripsit, mandavitque ut sine mora Constantinopolim profectus, collecta undique episcoporum Synodo, Origenem nominatim damnaret et Ammonium ceterosque ejusdem fautores. Et quis inde in hac quaestione ambitum, pravitatemque Theophili non percipiet, nec non injuriam, qua postea Epiphanius sensit se affecisse monachos ob nimiam credulitatem, qua Theophili consiliis subdolis incautus cesserat?

Polybius vero in vita s. Epiphanii edita a Petavio n. 60. 61. nobis valde suffragatur in re, Epiphanii palinodiae de iis, quae antea gesserat contra Chrysostomum, indicia manifesta tradens. Is enim uti Epiphanii socius, ac eorum fidelis testis, quae tunc acta sunt Constantinopoli paulo ante ejusdem Epiphanii obitum, simultates narrat inter Theophilum et Chrysostomum ob monachos, qui ab Aegypto exules confugerant ad Joannem, et ab eo recepti. Ait enim Theophilum occasionem nactum quomodo Joannem perderet, audivisse, imperatricem Eudoxiam valde eum odisse, quod ipsam communione ecclesiastica privasset. Et ita cum ea inito consilio Theophilus: « scripsit ad Epiphanium fictas litteras adversus Joannem, quod ipse sentiat eadem, quae Origenes. Mota igitur est Imperatrix ad eum mittendum in exilium: et Epiphanius cito credidit Theophilo. Nesciebat enim, Theophilum esse Joanni inimicum. Accidit vero, ut Epiphanius vellet etiam pro re alia navigare ad urbem regiam. Cum autem de Joanne audivisset a Theophilo, multo magis studuit eo venire, sed non ut Joanni malefaceret. Me igitur (Polybium) accepit et Isaac, et navigavimus Constantinopolim. Porro cum nos venissemus in civitatem, erat de Joanne magna perturbatio, quoniam multum amabatur a civibus. »

Interea Imperatrix accersito Epiphanio, eum rogat, ut in exilium pellat Joannem tanquam haereticum et indignum

sacerdotio, et alium praeficiat episcopum civitatis. Cui respondens Epiphanius ait: « Si ejus, quam dicis, haeresis reus est, et convincitur Joannes, nec se fatetur peccasse, indignus est sacerdotio; et siquid jubet vestrum imperium, faciet servus vester. Si autem pro vestra injuria quaeris Joannem expellere ab ecclesia, servus tuus Epiphanius in hoc non assentietur. Cum autem fama civitatem pervaserit, Epiphanii consensu in exilium pulsum esse Chrysostomum, et hoc ipse credidisset Joannes, scripsit ad Epiphanium inquiens: sapiens Epiphani, assensus es meo exilio? In tuo throno non sedebis amplius. Ad Joannem autem rescripsit Epiphanius: athleta Christi verberare et vince. In locum autem, ad quem fuisti relegatus, non venies. Hoc scripsi, o fratres, ne quis hoc probrum conferat in Epiphanium. Paulo post navem conscendens Cyprum reversurus Epiphanius, mortuus est priusquam insulam appulisset. »

Quae hucusque expensa sunt de Epiphanio, perspicue ostendunt, ipsum in origenistarum causa deceptum fuisse a Theophilo, ac temere se gessisse contra Chrysostomum sicuti in Ammonium, Dioscurum et ceteros monachos, qui ad Joannem confugerant. Nullam enim haereseos notam in sua fidei professione praeferebant; et hoc quam maxime conati sunt persuadere Epiphanio; ac ideo non nisi se Theophili improbitate damnatos in Synodo alexandrina, et exilio ab eodem injuriosissime mulctatos, coram Chrysostomo et Epiphanio vehementer institerunt. Tota enim quaestio versabatur non de dogmate, quasi ipsi in aliqua re dissentirent a doctrina catholica; verum solum contendebant, num Origenes de quibus culpabatur, docuisset errores, suosque inspersisset libros. Quod aliqui affirmabant, alii pari jure negabant ullo absque propriae fidei detrimento. In quo sane et Chrysostomi primum et Epiphanii deinde prudentia eluxit, cum nollent ulterius vexare viros innocuos, illorum animadvertentes obtestationes coram ipsis ingenue factas, de sua cum Ecclesia Catholica concordia; ac perspecta Theophili perfidia in omnibus, quae contra ipsos in Aegypto gesta erant.

Deinde historiam prosecuti, quae postea Constantinopoli facta sunt in adventu Theophili, scrutatum instemus

Socratis praesertim et Sozomeni testimonium. Inquiunt enim: recedente Constantinopoli Epiphanio, illuc venit Theophilus ab Aegypto; et tunc primum, ait Socrates, multas adversus Joannem accusationes moveri coeptum est; nec jam librorum Origenis ulla facta est mentio; sed absurdas alias criminationes intendentes episcopi in suburbano Chalcedonis, quod *Quercus* dicitur, congregati, Chrysostomum confestim accersunt, ut criminibus, quae ipsi objiciebantur, responderet. Sozomenus vero in Libro VII. c. XVII. subdit, Theophilum, cum in hoc loco consedisset, reliquis episcopis adstantibus, de libris quidem Origenis nullam amplius fecisse mentionem, sed Nitriae monachos ad poenitentiam invitasse, oblivioni se traditurum praeterita, nec mali quidquam facturum, pollicitum. Cum fautores Theophili inclamarent monachis, ut veniam peterent, et Synodum pro illis supplicare fingerent, conturbati monachi, idque sibi faciendum esse existimantes, considentibus tot episcopis, id quod solemne est ipsis dicere, etiamsi injuria affecti fuerint, *parce* scilicet dixerunt. Cum autem Theophilus libenter eos in gratiam recepisset, et communionem eis restituisset, finita est quaestio de injuriis monachorum. Quod meo quidem judicio factum non esset, si Dioscurus et Ammonius una cum aliis monachis, illis adfuissent. Nam Dioscurus, antequam haec fierent, mortuus est, et in ecclesia Mocii martyris sepultus fuerat. Ammonius vero paulo ante dum Synodus pararetur, languore correptus est. Cumque ad Quercum trajecisset, ingravescente morbo, non multo post diem clausit extremum, et apud vicinos illi monachos, ubi cadaver ejus jacet, splendidam meruit sepulturam. His auditis, Theophilus lacrymas fudisse dicitur; cunctisque audientibus addidisse, neminem inter sui temporis monachos parem Ammonio fieri; quamvis illum in maximas perturbationes conjecisset. Sed tamen hoc illi ex animi sententia. »

Demum his exactis de s. Epiphanii historia in causa origeniana, opportune huc repetenda sunt, quae Georgius praefatus in s. Chrysostomi vita, ad Theophili versutiam detegendam scribit, istius enarrans studium ut ad suas partes traheret viros tunc in Ecclesia doctrina et sanctitate praecellentes; quorum adjutus auctoritate aliorum illuderet simplici-

tati. Ait enim Theophilum extimulasse per litteras Epiphanium ut Synodum congregaret, damnatis Origenis libris ob praesumptos errores.

« Illectus, subdit, litteris Theophili, facile in fraudem impulsus est s. Antistes. Quum autem consedisset episcoporum illius insulae collegium, palam interdicit lectionem librorum Origenis. Ideoque jubet conscribi et transmitti litteras ad Joannem, ab Origenis lectione ut abstineret suadens : indiceretque et ipse Synodum, ferretque decretum in eam rem. Theophilus igitur cum sibi conciliasset ceu praedam Epiphanium pietate praesignem et famigeratum : ac proinde nosset, se non infeliciter scopum attigisse destinatae voluntatis suae, hac fretus confidentia, numerosam episcoporum multitudinem collegit etiamnum ex vicinis ipsi Epiphanio adversus libros Origenis, ut huic adornaret calumniam, qui ante annos prope ducentos suam diem obierat. Sed enim non hunc sibi praestituerat veluti primarium scopum, quin potius hoc commento viam affectabat ad expetendam ultionem de Dioscuri discipulis. »

Porro quanto perfidiae artificio Theophilus sibi consensum comparaverat Epiphanii in hac quaestione; tantumdem egit erga s. Hieronymum, cujus omnimode mentem pervertit in sensum contrarium Origeni, quem antea s. Doctor *virum apostolicum* appellaverat. Datis enim huic litteris Theophilus asseveranter dicebat, se in scriptis Origenis nefanda legisse; adjiciens insuper, illum olim ideo a Demetrio jure anathematizatum, ac miserrime extra Ecclesiam obiisse. His cunctis credulus Hieronymus, mutata sententia, prorsus acquievit fraudulentis ipsius Theophili consiliis et narrationibus de monachis nitriensibus, quamvis ipse fateatur in hoc tunc plures sibi et Theophilo adversari. Quapropter infeliciter captus, perpetuo appellavit *ad chartas alexandrinas* suae illusionis fontem, idest ad cuncta Theophili scripta adversus Origenem, quae sincerae ipsius mentis putavit emanationes, cum ceteri maledicos libellos existimarent ea scripta, uti reapse se habebant.

Attamen Hieronymus perfidiae nescius, qua astutus vir cor et sensum illius furatus est, totum se addixit Theophilo.

Qui alacriter istius opera sicuti et Epiphanii usus est, ut per orbem christianum male insonaret Origenis fama. Et hinc factum est ut, quum undique execrandum Theophili nomen conclamaretur, solus Hieronymus hunc *vere Theophilum* idest *Dei amatorem et virum beatum* appellaret. Et quando idem Hieronymus in Epistola 86. ad eum scribens inquit, *post dispersos basiliscos scilicet monachos origenistas, totum mundum exultare in victoriis Theophili adversus hanc haeresim;* e contra, veluti ex praefatis constat testibus irreprehensibilibus, maxima proborum virorum pars lamentabatur Origenis damnationem et sanctorum virorum exilium et calamitates, in quibus Chrysostomi, ob Theophili factionem, qui ob privatas vindicias omnia divina et humana jura conculcare non dubitavit: uti in sequentibus amplius patefiet.



CAPUT XX.

Duae epistolae conferuntur, una Theophili alexandrini ad s. Hieronymum adversus Chrysostomum, et altera Chrysostomi ad Innocentium Papam adversus enormem Theophili improbitatem: quocum magis invalescit propositum nostrum in causa origeniana.

O saue pertimescendam hominis pravi conditionem! Et hoc manifestatur quam maxime ex mutatione scenae, ut ita dicam, quam tunc subiit Origenismi quaestio. Cum enim Theophilus Constantinopolim a Chrysostomo vocaretur criminationibus responsurus a monachis illi impositis, conscius suae contra sanctos viros perfidiae, cum se ibi superatum animadverteret, et hinc monachorum triumphum e calumniis, quibus impetiti fuerant; Origenis ac origenistarum quaestione fere derelicta, contra Joannem perfidiae suae venenata tela acuit; atque ipsius famam denigrare quovis falsarum imputationum genere conatur. Quem enim sibi infensum probaret Theophilus in Origenis causa et monachorum; ipsius ruinam aliter coram Ecclesia, et civili principatu quaerere studet, libellum a se dictatum novis falsisque contextum criminibus contra ipsum ostentans. Unde cum ex reo Theophilus evaserit judex, Chrysostomus ex judice tot pressus calumniis, rei vices subiens, instante Eudoxia imperatrice, damnatus exulare cogitur.

Et in hoc sane miserando conflictu, quod nostra interest, hujus initium pervestigantes, Theophilum reperimus, qui non valens in quaestione de Origene Chrysostomi sensum vincere, et reluctantiam hujus superare damnationi accedendi monachorum, ac deinde illorum proscriptioni, quocum et Origenis fama simul consequenter pessumdata fuisset, alia via scopum studuit perfidiae suae pertingere, idest utrumque et Origenem et Joannem prosternendi. Haec porro admodum praeclare adstruuntur in epistola Theophili ad Hieronymum, et ab altera Joannis ad Innocentium Pontificem, ubi genuine narrantur, quae iniquissime contra canones et leges omnes

perpetrata sunt ab eodem Theophilo contra monachos nitrienses ac deinde ob ipsius Origenis libros adversus Episcopum constantinopolitanum. Sic namque Theophilus ad Hieronymum de ipso Joanne scribit in Epistola 113. juxta ordinem signatum in Editione Vallarsii.

Dilectissimo atque amantissimo fratri Hieronymo in Domino salutem.

« Paucis in exordio placet judicium veritatis, dicente autem Domino per prophetam: *et judicium meum, quasi lux egreditur.* Qui tenebrarum horrore circumdati sunt, nec naturam rerum clara mente perspiciunt, pudore operiuntur aeterno, et cassos se habuisse ornatus ipso fine cognoscunt. Unde et nos Joannem, qui dudum constantinopolitanam rexit ecclesiam, Deo placere semper optavimus; et causas perditionis ejus in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere voluimus. Sed ille, ut cetera flagitia taceam, origenistas in suam recipiens familiaritatem, et ex his plurimos in sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus beatae memoriae hominem Dei Epiphanium, qui inter episcopos clarum in orbe sidus, non parvo moerore contristans, meruit audire: *cecidit, cecidit Babylon.* Scietis ergo dictum a Salvatore: *nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate,* ne quo . . . . . »

Cetera, quae desiderantur in codicibus operum Hieronymi, qui latine vertit hanc epistolam Theophili, suppleantur a Facundo afro episcopo hermianensi in libro VI. c. V. pro Defensione trium Capitulorum Concilii chalcedonensis ad Justinianum imperatorem: ubi plura citantur ex praefatis litteris valde proposito utilia. Haec namque refert Facundus: « Fratres (inquit Theophilus) Joannes persequitur immundo spiritu, quo suffocabatur Saul. Et iterum sanctorum ministros necavit. Dicit Joannem contaminatum, et in ecclesia primitivorum impium, pestilentem, vesanum et tyrannicae mentis insania furibundum, atque in sua vesania gloriantem, animam suam adulterandam tradidisse diabolo. Haec autem omnia, sicuti habentur in ipsius Theophili libro ita posuimus. Vocat (Theophilus) Joannem etiam humanitatis hostem; et qui scelere suo latronum vicisset audaciam, sacrilegorum principem,

et sacerdotium agentem impium, atque oblationes sacrilegas offerentem, procacem et frontis durissimae. Hoc quoque adjiciens Theophilus, quod non his Joannes laqueis irretitus tenetur, qui possint aliquando dissolvi; sed qui audiret pro merito flagitii sui comminantem Deum atque dicentem : *judicate inter me et Joannem. Expectavi ut faceret judicium: fecit autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem*. Dicit quoque Theophilus, quia sicut satanas transfiguravit se in angelum lucis, ita etiam Joannes non esset, quod videbatur; nec tantum similem satanae, sed immundum daemonem eum appellat, more torrentis trahentem verborum spurcitiam : quem et in Christum perhibet impium extitisse, et Judae traditoris esse consortem.

« Addit, etiam quod arguatur in Deum manus impias extendisse; et quod Jacobus Apostolus de quibusdam rerum mundanarum cupidis ait : *petitis et non accipietis, eo quod male petatis*. Hoc Theophilus beatum Joannem asserit dixisse de Christo. Ausus est dicere Joannes in ecclesia : *quod Christus oraverit, et non fuerit exauditus quia non bene oraverit*. Quis haereticorum deterius blasphemavit, quam beatum Joannem refert beatus Theophilus blasphemasse affirmans, illum consortio judaicae impietatis semetipsum tradidisse, et offerre temeritate solita, quod obtulerunt judaei, seipsum et populos decipientem, et Dathan et Abiron aemulatorem ? *Audiat*, inquit, *cum judaeis, iniquitas magnificata est nimis*. Adjicit etiam hoc Theophilus : *Ariani et eunomiani contra Christum Joannis blasphemiis delectantur. Judaei et idololatrae justificati sunt tua comparatione gentiles*. Et rursus dicit: *non solum non est christianus Joannes, sed pejor est rege Babylonio, multo sceleratior quam Balthasar; idololatris et ethnicis sceleratior Joannes. Tibi (o Joannes) praesens ignominia aeterna futuris seculis reddetur*. Hoc quoque visus est beato Theophilo dicere de Joanne : *Salvator clamavit et dixit: Tollite Joannem et mittite in tenebras exteriores*. Et iterum : *largissimos fomites ante tribunal Dei suo ministravit incendio Joannes*.

« Et omnia haec non suffecerunt irae atque furori, nisi etiam ista de memorato sanctissimo viro Joanne diceret

Theophilus, quod alia ei poena quaerenda sit, eo quod vinceret sceleris magnitudo magnitudinem tormentorum. Siquis autem experiri voluerit, quod non sententias tantum, verum etiam ipsa verba posuimus, et nosse quotiens haec ab illo (Theophilo) replicata sint, legat innormem librum, non solum contumeliis, sed ipsa quoque repetita maledictorum recapitulatione nimis horribilem, ab Hieronymo presbytero translatum. De quo item beatus Theophilus expectavit, ut per ejus eloquium, qualis Joannes fuerit, latini cognoscerent. Nos autem in illo libro, non qualis Joannes, qui nihil horum merebatur, nec qualis Theophilus, cujus virtus in multis probata, non ex isto accedenti judicanda est morbo; sed potius qualis sit miserabilis humana vita cognoscimus etc. »

Et quis (pacatum lectorem rogo) haec legens non comprehendat primum, inter Chrysostomum et Theophilum simultates incepisse ob Origenis libros et monachos ejusdem defensores? Quos Joannes damnare non ausus erat, uti nec Origeni et librorum suorum subscribere anathemati, nec illos a sua dioecesi expellere? Quos enim Theophilus undequaque dispersos a Nitriae monasteriis profligare sategerat, ne una convenirent, nec patrocinatores sibi compararent, apud Chrysostomum confugium et patrocinium validissimum asseculi fuerant. Eoque magis quod Joannes non solum monachorum proscriptioni restiterit, verum etiam ad Theophilum scripserit ut rationem redderet de omnibus, quae contra sanctos fuerant ab ipso patrata. Quare sentiens Theophilus et perfidiae suae manifestationem, ac simul honoris sui et personae discrimen coram Ecclesia et imperio, pravis prava adjiciens, alterum calumniarum cumulum commentus est adversus ipsum Joannem, ut perversitatis suae scopum attingeret, mensuramque expleret.

Deinde praemissa quaeque infra dicenda expendens quis, ab asserendo continebit se, omnia ibi conserta a Theophilo contra Chrysostomum, non Chrysostomo sed Theophilo ipsi potiori jure adjudicanda esse? Talia namque dicta, tantaque absurda non nisi vir vehementissima rabie percitus coacervare potuerit, Patriarchae quam indignissima. Haud inficior, Joannem ceu hominem errare potuisse, et hinc re-

dargutioni obnoxium fieri, quod tamen non probo: nihilominus hominem uti Theophilum reperiri, qui errantes ita corripiat, hujusmodi locutiones concinnet, talique zelo fervescat, ut in correptionis aestu futilia et blasphema loquatur, fieri nunquam potuit, nec ultra inveniri vix datur. Non enim in praefatis litteris loquitur episcopus, Dei minister, Ecclesiae vir, non homo sui compos, sed delirus et insanus. Qui inter animi sui aberrationes, quibus abreptus fuit, ea quoque soli Deo tantummodo nota et a sua providentia gubernata, emendare, moderari studuit et praesumpsit homo uti Theophilus. Et sane lamentandum est, huius generis libellum Hieronymi opera ad latinorum aures pervenisse, ac Ecclesiae occidentalis turbasse sensus erga Chrysostomum.

Attamen haud diu Romanae Ecclesiae perstitit de Joanne sollicitudo in hoc negotio. Ipse namque (quod valde quaestionis illustrandae gratia proficit) scribit ad Innocentium Papam epistolam, ubi sincere enarrantur, quae tunc in Theophili factione Constantinopoli supervenerunt calamitates, seditiones, ecclesiarum profanationes, caedes, scandala gravissima nec ab his dissimilia, quae in monasteriis Nitriae, ejusdem Theophili studio admissa antea fuerant. Quam quidem narrationem si praemissis comparat judicis cujusque sollertia, eo perveniet, ut diversas causas limpide perspiciat in iniquissima Joannis damnatione; primam scilicet supposita crimina inscripta monachis nitriensibus ab Aegypto expulsis; alteram monachorum eorumdem acceptationem, nedum patrocinium, quod eis praestitit s. Episcopus invito Theophilo, et quod denique iste ipsum Theophilum ad se vocasset, ut aequis monachorum insimulationibus responderet. Hic autem epistolae Joannis tenor ad Innocentium Papam.

Domino meo reverendissimo et sanctissimo episcopo Innocentio Joannes in Domino salutem.

« Pietatem vestram, antequam litteras nostras acciperet, audivisse opinor quid hic ausa sit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo et gravitas, ut nulla ferme orbis pars relicta sit quae tristem hanc tragoediam non audierit. Et quidem eorum quae gesta sunt, fama usque ad finem terrae perlata, multum ubique gemitum, luctumque excitavit. Verum quia

ista non modo plangere, sed et emendare opus est, simulque prospicere quo pacto gravissima illa Ecclesiae tempestas sedetur; necesse esse duximus reverendissimos dominos meos piissimosque episcopos Demetrium, Pansophium, Pappum et Eugenium hortari, ut relictis ecclesiis suis, tanto se pelago committere ne gravarentur, susceptaque peregrinatione longinqua, ad vestram properarent caritatem, ut omnibus plane dilucideque expositis promptissimum remedium compararent. Cum quibus et honoratissimos dilectos diaconos Paulum et Cyriacum misimus. Et nos ipsi velut in forma epistolae, quae hic gesta sunt, sanctitatem vestram paucis edocebimus.

« Theophilus enim alexandrinae ecclesiae antistes, cum a quibusdam apud piissimum Imperatorem insimularetur, jussus ut veniret solus, collecta secum aegyptiorum non modica multitudine advenit; eo velut praeludio declarare volens, se ad bellum et praelium venire. Deinde magnam Deique amantem Constantini urbem ingressus, ecclesiam ex more atque hactenus observata consuetudine non adiit, non congressus est nobiscum, neque participes nos fecit sermonis, vel precum, vel communionis: sed egressus e navi, et vestibulum ecclesiae praetergressus, alicubi extra urbem diversatus est. Et cum multis precibus ageremus, ut et ipse et ii, qui cum eo venerant, apud nos diversarentur, parata enim erant omnia, et diversoria et cetera necessaria, neque ipse acquievit. Haec ubi vidimus, in maxima eramus anxietate, cum nec causam injustae hujus simultatis invenire possemus. Nostrarum tamen partium munus explebamus, id quod nos decebat, perficientes, ipsumque assidue rogantes ut congrederetur nobiscum, et qua de causa statim ab initio tantum bellum accendisset, tantaeque civitati excitasset scandalum, aperiret.

« Cum vero ne sic quidem dicere causam vellet, urgentque ejus accusatores; nos evocavit piissimus Imperator, et in ulteriorem regionem, ubi degebat, abire ejusque causam audire jussit. Nam et irruptionem et caedes, et alia innumera objiciebant. Sed nos et leges Patrum et virum reverentia et honore prosequentes, habentes etiam super hac re illius litteras, quibus significabat non trahenda extra limites judicia, sed in ipsis provinciis provinciarum negotia tractanda

esse, judicium illud non solum non sumpsimus nobis, sed et vehementissime recusavimus. Ille vero, velut priora repetens certamina, magna cum auctoritate vocato archidiacono meo, quasi jam vidua esset ecclesia, nec episcopum haberet, omnem ad se clerum per illum transtulit. Desertaeque fiebant ecclesiae, cum singularum abducerentur clerici, et subornarentur ut adversus nos libellos darent, et ad accusationem accingerentur.

« His actis misit et vocavit nos in judicium, nondum purgatis quae adversus se erant, criminibus: quod maxime contra leges omnes erat. Sed et nos conscii quod non ad judicem venturi eramus, (alioquin millies venissemus), sed ad inimicum et hostem, id quod satis declarant quae et prius, et postmodum acta sunt, misimus ad eum episcopos Demetrium Pisinuntis, Eleusium Apameae, Lupicinum Apiariae, ac presbyteros Germanum et Severum, convenienti nobis modestia respondentes ac dicentes, nos non defugere judicium, sed inimicum apertum atque hostem manifestum. Nam qui, nondum acceptis libellis, statim ab initio talia fecisset, et se ipsum abrupisset ab ecclesia, a communione, a precibus, accusatores instruens, clerum ad se trahens, ecclesias desolans; quomodo dignus esset qui in judicis thronum nihil ad se pertinentem, adscenderet?

« Neque enim consentaneum est, ut qui ex Aegypto sit, eos qui in Thracia sunt, judicet; ille praesertim qui ipse criminibus obnoxius est, et inimicus et hostis. Verumtamen ille nihil horum reveritus, sed ea, quae animo conceperat perficere festinans, cum declarassemus paratos nos esse, etiam coram centum et mille episcopis diluere crimina, et puros nos, ut revera sumus, ostendere, non se continuit: sed nobis absentibus, et synodum appellantibus, ac flagitantibus judicium, nec auditionem sed manifestum odium fugientibus, ipse et accusatores admisit, et quos ligaveram, solvit, atque ab iis qui crimina nondum diluerant, libellos accepit, et confecit acta; quae omnia praeter jus, et contra canonum praescriptum erant. Et quid opus est multis? non destitit omnia facere ac moliri, donec nos per vim et summam potestatem e civitate atque ecclesia ejecit. Vespera igitur jam provecta, universo

nos comitante populo, in media civitate a Curioso urbis tractus vi abducor et in navim conjicior, et noctu abnavigo; quia Synodum ad justum judicium appellabam. Quis haec sine lacrymis, etiamsi cor lapideum habeat, audierit?

« Verum quia, sicut prius dixi, non solum lamentatione opus est, sed et emendatione; obsecro caritatem vestram, ut excitetur et ad condolendum et ad praestandum omnia, quo haec mala sistantur. Neque enim hic eorum iniquitas stetit, sed ad priora adjecerunt et alia. Nam postquam piissimus Imperator eos, qui in ecclesiam impudenter atque injuste invaserant, ejecit, et multi episcopi qui aderant, visa eorum improbitate ad sua redierunt, impetum eorum velut incendium omnia depascens, fugientes: nos quidem iterum in urbem atque in ecclesiam, ex qua injuste eramus ejecti, revocati sumus, inducentibus nos episcopis supra triginta et piissimi Imperatoris notario, qui hujus rei gratia missus fuerat. Ille vero statim aufugit, cur et quam ab causam nescimus. Ingressi igitur obsecrabamus piissimum Imperatorem, ut ad vindictam eorum quae patrata erant, Synodum cogeret. Conscius ergo factorum suorum (Theophilus) atque reprehensionem veritus, cum Imperatoris litterae in omnem partem missae undecumque omnes cogerent, occulte media nocte in navim se conjiciens ita aufugit, omnes suos secum abducens.

« Porro nos conscientia nostra freti, neque sic destitimus eadem iterum rogare religiosissimum Imperatorem. Qui pro sua pietate ad eum denuo misit, ut ex Aegypto cum omnibus suis venire maturaret gestorum rationem redditurus; et ne sufficere sibi putaret ad defensionem, quae ab una parte, nobis absentibus, tam injuste et contra tot canones patrata fuerant. Ille vero ne Imperatoris quidem litteris obtemperavit, sed domi mansit, praetexens seditionem populi et intempestivum quorumdam, scilicet qui ei favebant, studium; etsi ante has Imperatoris litteras haec ipsa plebs innumeris eum conviciis adsperserat. Verum ista nunc non edisserimus accurate. Sed haec eo animo diximus, ut eum in pravis facinoribus permanere ostenderemus. Ceterum neque nos post haec quievimus, sed institimus postulantes ut judicium haberetur secundum interrogata et responsa. Parati enim eramus

nos ostendere insontes, illos autem extremarum iniquitatum reos esse. Et revera hic remanserant syrorum quidam, qui cum illo tunc adfuerant, et omnia communiter cum ipso patrarant: Etiam adversus istos parati eramus judicium subire; et saepius super ea re interpellavimus, rogantes ut acta nobis darentur, aut in medium proferrentur libelli accusatorum, aut criminum genus, aut ipsi accusatores: et nihil horum impetravimus; sed rursus ecclesia expulsi sumus.

« Quae inde acta sunt, quaeque tragoediam omnem superant, quo pacto enarrare queam, aut quis sermo explicet, quae auris sine horrore accipiat? Cum enim ea quae dixi, praetenderemus, repente multitudo militum, ipso magno sabbato, ad vesperam jam inclinante die, in ecclesiam irruens, clerum omnem, qui nobiscum erat, vi ejecerunt, et altare armis undique circumsessum est. Et e sacris aedibus mulieres, quae id temporis ad baptismum se exuerant, acerbae illius irruptionis metu, nudae aufugerunt, cum neque ut honestati quae mulieres decet, consulerent, vestem induere permitterentur: multae etiam acceptis vulneribus exturbabantur, et sanguine implebantur piscinae, atque ex vulnerum hujusmodi cruore sacri latices rubescebant.

« Neque hic malum stetit, sed ubi sacra erant reposita, ingressi milites, quorum aliqui, ut comperimus, non initiati viderunt omnia quae intus erant; et sanctissimus Christi Sanguis, ut in tanto tumultu, in praedictorum militum vestes effundebatur: fiebantque omnia non secus ac in barbarica captivitate. Vulgus in solitudinem expellebatur, et universus populus extra civitatem degebat: erantque in tanto festo vacuae populis ecclesiae, et plures quam quadraginta episcopi, qui nobiscum communicabant, cum populo temere et nulla de causa pellebantur. Ubique ululatus et gemitus, et lamenta et fletus ac fontes lacrymarum per fora, per domos, per solitudines: et omnes civitatis regiones his calamitatibus replebantur. Nam ob iniquitatis magnitudinem non solum qui patiebantur, sed et qui nihil hujusmodi experiebantur, nobis condolebant, non modo catholici, sed et haeretici et judaei et gentiles: et quasi per vim capta civitate, ita tumultu ac perturbatione et ejulatibus omnia plena erant. Fiebant ista

praetor sententiam piissimi Imperatoris, nocte ingruente, haec instruentibus episcopis, et multis in locis ducum munus obeuntibus, quos non pudebat campiductores praeeuntes pro diaconis habere. Ubi vero illuxit dies, omnis civitas extra muros demigravit, sub arboribus, et in saltibus, quasi oves dispersae, diem festum celebrans.

« Licet vobis ex his cetera omnia pensare. Nam ut praedixi, omnia quae acta sunt singillatim sermone persequi, impossibile est. Et quod sane permolestum est, tot et talia mala ne nunc quidem finem acceperunt, sed neque ea finiendi spes ulla affulget: verum augetur in dies malum, nosque multis ridiculi facti sumus. Immo vero ridet nemo, quantumlibet perversus sit; sed, ut dixi, lugent omnes apicem malorum inauditam hanc iniquitatem. Jam vero reliquarum ecclesiarum perturbationes quis eloquatur? Non enim hic stetit malum, sed et in Orientem usque pervenit. Nam sicut a capite humore effuso reliqua membra corrumpuntur : ita nunc quoque tumultus, ubi in hac magna civitate coeperunt, velut ex fonte in omnia loca processerunt: et clerici multis in locis insurrexerunt in episcopos, et populi alii propediem discindentur. Ubique malorum expectatio, et orbis totius subversio.

« Igitur domini mei maxime venerandi et religiosissimi, cum haec ita se habere didiceritis, eam, quae vos decet, fortitudinem ac studium ostendite, ut tanta iniquitas, quae in ecclesias invasit, reprimatur. Si enim hic mos invaluerit, ac licuerit cuivis ex tantis intervallis, in alienas invadere provincias, et ejicere quos voluerit, et auctoritate sua quodlibet agere, scitote omnia pessum itura, et inexpiabile bellum quoddam in orbem incursurum, omnibus omnes ejicientibus et vicissim ejectis. Ne igitur tanta confusio in omnem, quae sub coelo est terram invadat, rogo ut per epistolam denuntietis ea, quae tam inique acta sunt ab una parte, nobis absentibus nec judicium detrectantibus, nullum habere robur, sicut ex natura sua nullum habent; et ut ii, qui talia contra leges moliti sunt, legum ecclesiasticarum poenis subjiciantur.

« Nos vero qui nec convicti nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati, vestris litteris quam primum frui date, nec non caritate ac ceteris omnibus ut antea. Sin autem voluerint ho-

rum facinorum auctores proponere et explicare crimina, ob quae nos injuste ejecerunt, datis nobis actis, libellis et accusatoribus in medium prolatis, incorrupto judice sedente, causam dicemus ac defendemus, nosque ostendemus, ut revera sumus, insontes et minime his quae nobis objiciuntur, obnoxios. Nam quae modo ab illis facta, contra omnem sunt ordinem, contra omnes leges et canones ecclesiasticos. Et quid dico canones ecclesiasticos? Neque in gentilium judiciis, immo neque in barbarico tribunali talia unquam acta sunt; ac neque scythae, neque sarmatae ita unquam judicarunt, judicium ab una parte ferentes, absente eo qui accusatur, neque judicium sed odium ac simultatem recusante, appellante judices innumeros, et extra culpam se esse dicente, cum coram toto orbe terrarum crimina depellere paratus sit, atque in omnibus se insontem demonstrare.

« Haec igitur omnia cum expenderitis, et a dominis meis piissimis fratribus episcopis liquidius compereritis, vestrum, quaeso, erga nos studium interponite. Ita non de nobis tantum, sed et de communi ecclesiarum statu bene merebimini, mercedemque a Deo percipietis, qui ob ecclesiarum pacem omnia jugiter facit. Haec ipsa (epistola) etiam scripta est ad Venerium episcopum Mediolani et ad Chromatium Aquilejae episcopum. Vale in Domino. »

Huic epistolae satisfaciunt quam plurimum, quae Severinus Binius pro rei veritate adjecit inquiens : « Joannes Chrysostomus episcopus constantinopolitanus, per factionem Theophili alexandrini episcopi, instigante imperatrice Eudoxia, in exilium pulsus, et paulo post ob populi seditionem, revocatus, ac rursum non multo post, per eamdem factionem ejectus, Innocentium papam, legatis et literis missis, appellavit, ut pro sua auctoritate, se inimicorum factione oppressum tueretur, et ecclesiarum perturbationi prospiceret. Per eosdem legatos scripsere quadraginta episcopi, qui Joanni communicabant, et clerus constantinopolitanus. Innocentius rei indignitate vehementer commotus, Synodo Romae habita, communionem quidem utriusque partis admisit, sed Theophili judicium irritum esse decrevit, et Synodum Orientalium et Occidentalium, missis legatis, fieri oportere censuit. Legati, in-

scio Imperatore, et Imperatrice agente, male accepti et vexati, cum nec mandatorum exponendorum facultas eis permissa fuisset, Romam reverterunt. »

« Interim Joannes per diversa loca raptatus moritur. Quibus omnibus Innocentius plurimum indignatus Imperatori et Imperatrici sacris interdicit; Theophilum excommunicat, et et deponit Arsacium, qui vivente Chrysostomo substitutus fuerat, etiam defunctum exauctoratum, e numero episcoporum excludit. Atticum suspendit; et donec ejus causa cognoscatur, Proclo Cyzici episcopo ecclesiam constantinopolitanam regendam committit. Post vero, cum Arcadius et in Joannis calumniatores vindicasset, et absolutionem pro se atque uxore efflagitasset, Innocentius rescripsit: Confirmato animo accedite ad dominica symbola; jubete Joannis nomen sacris tabellis inscribi. Quae enim adversus Joannem gesta sunt, nos auctoritate freti s. Petri eximii Apostolorum principis, discussis causis docebimus ex animo sanguinario processisse. »

Ex praemissis Joannis litteris neminem arbitror de integritate dubitaturum probi viri in historia texenda miserandae conditionis, in qua ipse versatus est, et cum eo episcopi multi ob Theophili perfidiam, ac ipsius nefanda artificia contra innocuum virum Ecclesiae jura sancta propugnantem. Et in hoc sane vehementer mirandum, quod non se purgare valens Theophilus a criminibus sibi a monachorum expulsorum coetu objectis in Origenis causa (ob quae Constantinopolim vocatus fuerat) in adventu suo alium induisset hominem, arma perfidiae suae vertens non contra monachos, sed in Joannem, ut sic evaderet ab insimulatione; a qua profecto non triumphasset, perspicue sciens, se iniquissime contra Ammonium ejusque socios egisse in quaestione de Origene, cunctis obtestatis et istius et aliorum sinceram fidem et probitatem.

Causa, rursus inquam, uti ab initio hujus epistolae praeclare constat, causa origeniana sanctissime tractata adversus falsissimas insimulationes Episcopi alexandrini, tantorum scandalorum origo fuit, et calamitatum, quas Praesul constantinopolitanus perpessus est. Si enim Joannes a sua dioecesi expulisset monachos nitrienses, (quos uti haereticos ab

Aegypto fugaverat Theophilus) eosque condemnasset una cum persona et scriptis Origenis, tunc irae aestus quievisset in Theophilo, nec se iste comparasset ad tanta execranda facinora. Ast aequitatis et innocentiae vindex Chrysostomus nullimode passus est improbitatis et calumniae triumphum cum detrimento sanctorum virorum, et potissimum illius, qui universim *viri apostolici*, *et magistri ecclesiarum* nomine insignitus fuerat, Origenis. Et hinc nil mirum, si tanta animi securitate et alacritate, Adamantii patrocinium susceperit Joannes, adeo ut potius gravissima mala tolerarit, quam iniquissimum complecti et probare decretum adversus Origenem et monachos istius defensores a Theophilo sancitum, et tam inhumaniter exactum.

Demum concludam: hujus tumultus princeps, tantorum malorum promotor, tantorum scandalorum causa, schismatumque auctor inter episcopos, ecclesiae profanationis et civium caedis provocator, calumniarum nefandarum in Chrysostomum architectus, istius relegationis instigator, ejusdemque mortis accelerator, idem ipse est Theophilus, qui paulo ante in Aegypto, veluti ex praefatis documentis eruitur, criminatus est, judicavit, damnavitque Origenem et hujus scripta, expulitque monachos hujus patronos. Et idem ipse est, cui totum se dicavit s. Hieronymus: qui tantae ipsius perfidiae ignarus, suas epistolas tanquam spiritu sincero, zeloque apostolico dictatas putans, latine vertit latinis offerendas ecclesiis; seque insuper comitem illius fecit in declamando undique contra Origenis libros, adversus monachos aegyptios, adversus episcopum hierosolymitanum, adversus Palladium, adversus Chrysostomum, adversus Ruffinum, adversus cunctos, qui ejusdem Origenis dogmata genuina uti pia, uti sancta, uti apostolicis institutionibus consentanea solidis et amplissimis argumentis propugnarunt.



CAPUT XXI.

Cetera hujus aetatis perquiruntur monumenta, Palladii et Isidori Pelusiotae, quibus magis ac magis perfidia notatur Theophili, et lamentabilis illusio patet ss. Hieronymi et Epiphanii in quaestione origeniana.

Cum autem plurimum ex hac Joannis epistola et Innocentii decretis, Theophili manifestetur improbitas, haud a proposito erit, recensere quoque ejusdem Chrysostomi acta, ac speciatim relate ad Theophili insidias; quibus et monachorum causam diruere studuit, et Joannis horum patroni auctoritati illudere coram Ecclesia. Haec porro ex Dialogo nimirum firmantur, qui istius nomen praefert, nec quidem absque jure. Antiqui namque codices Palladio helenopolitano episcopo hoc opus inscribunt, nomen suum ab initio obsignantes. Item tenent Georgius alexandrinus, Theodorus trimithuntes Cypri antistes, Photius, aliique. Nihilominus non defuerunt aliqui hoc negantes, alterum quam Palladium dignoscentes redactorem. Mea vero, etsi verisimilior sit priorum sententia, parum interest hujusmodi quaestio.

Illud vero sane refert, narrationis sinceritatem probare sicuti et antiquitatem, quibus nemo vix mentiri potest. Ibi namque Auctor non tantum se praesentem dicit gestis, quae tunc acciderunt, sed et consortem iis, quorum mentionem agit ceu oculatus testis. Ideoque narrat, se eo tempore visisse Romam, ac Innocentii Papae novisse consilia circa s. Joannem: quinimmo eisdem participasse. Insuper Auctor uti episcopus loquitur, et ex eorum parte se dicit, Chrysostomo inhaerentium, Romanamque Fidem confessum. Item dicit, se quaestioni de Antonino episcopo ephesino communicasse. Denique seipsum in illorum numero censet episcoporum, qui per Theophilum ob communionem cum Joanne expulsi sunt. Quae omnia etsi Palladius non scripserit, indicant tamen genuine fuisse dictata; eoque magis quod plura in Dialogo narrata, non solum a Socrate et Sozomeno ac praesertim a Sal-

pitio Severo aliisque, verum quoque firmantur ab eisdem Theophilo et Hieronymo, qui in mutuis epistolis saepe fidem perhibent narrationi Dialogo consertae, quamvis aliter perspexerint comprehenderintque rem, de qua agebatur. Quamobrem, sive Palladium, ut est verisimillimum, aut alterum quemcumque velis hujus Dialogi scriptorem, tales ipse sive per se, seu per alios profert sinceritatis notas, ut temerarium sit huic contradicere, aut de hac narratione ambigere.

His praemissis de Dialogi auctore, ejusdem prosequamur testimonia, quae initium manifestant simultatis Theophili adversus Chrysostomum; et unde consequentiae sponte diffluunt in Origenis et origenistarum monachorum causa, quoad istorum iniquissimam condemnationem. Ibi itaque Diacono et Episcopo ad invicem disserentibus de monachorum Constantinopolim adventu et de Olympiade, quae istos susceperat, benigneque istorum necessitatibus consuluit, haec ajunt c. XVI.

« *Episcopus.* De rebus autem constantinopolitanis quid attinet dicere? Quanta multitudo ab Ecclesia recesserit? Conveniens sub dio, ut superius diximus, ita ut qui rerum ecclesiasticarum potiuntur, non habeant totidem auditores silentii sui: nusquam enim apud eos sermo.

Diaconus. Dubiam et suspensam mentem meam, pater, liberasti, qui oculis meis res ipsas subjeceris. Nam verborum consonantia, et non ficta narratio certiorem me fecit de veritate rerum gestarum. Fieri enim non potest, ut falsa oratio sibi ubique consonet. Ne igitur graveris, siquid nosti, ea nobis narrare, quae Olympiadem spectant.

Epis. Qualis ea est? nam plures eo nomine.

Diac. Constantinopolitanae ecclesiae diaconissa, quae sponsa aliquando fuit Nebridii expraefecti.

Epis. Illam quidem optime novi.

Diac. Qualis illa mulier est?

Epis. Ne quaeso dicas, qualis mulier, sed qualis homo. Vir enim est practer corporis habitum.

Diac. In quo?

Epis. In vita et laboribus, in scientia et tribulationum patientia.

Diac. Cur ergo illi conviciatus est Theophilus?

Epis. Quisnam ille est?

Diac. Alexandrinus episcopus

Epis. Videris mihi, Theodore, tot orationis spatia oblivioni tradidisse.

Diac. Qua in re?

Epis. Qui veritati non pepercit; sed illam conculcavit; ut superior sermo comprobavit. Et qui Ecclesiam, quae sub coelo est, propter quam Unigenitus, ut dici solet, laboravit, ut eam uniret, non honoravit, sed contumeliam affecit habitu suo, mulieri posset parcere viduae, quae vitam in oratione consumit? Discute et vide siquem unquam reprehenderit improbum, qui probitatis semper hostis est? Cur autem et ex ejus epistolis non conjicis, quomodo illae inter se repugnent? Qui enim beatum Epiphanium Constantiae in Cypro episcopum, qui triginta et sex annos ecclesiae praefuit, probris affecerat ut haereticum et schismaticum sub Damaso aut beato Syricio; postea in sua ad Innocentium Papam epistola vituperans beatum Joannem, Epiphanium nominat sanctissimum. Quoties autem, putas, et genua Olympiadis osculatus est spe nummorum, cui nunc conviciatur? Illa humi procidente ob eam rem, et lacrymas fundente, nihilominus ista episcopus faciebat. Verum qua in re conviciatus est?

Diac. Quod susceperit monachos abs se ejectos.

Epis. Num licet episcopo, aut decet, quemvis e discipulis, seu christianum quemquam omnino projicere, nedum monachum?

Diac. Si eum laeserunt, aut ei maledixerunt.

Epis. Num iram suam explere debuit, de maledicto sollicitus? Quomodo adhuc Christi contumelias sibi quaeret ille, qui gloriae suae velificatur? Cur autem imitatus non est omnino magistrum Paulum dicentem: *maledicimur et benedicimus?*

Diac. Quid igitur si haeretici fuissent monachi illi?

Epis. Atqui omnino oportuit eos emendare et persuadere; at non projicere.

Diac. Quasi si hoc fecisset, illi non paruissent, qui pertinaces essent.

Epis. Oportebat illud apostolicum exequi: *haereticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quia perversus est hujusmodi;* at non expellere, et bona diripere, atque ex patria ejicere cum magistratuum minis.

Diac. Viri perfecti officium mihi narras et Deum amantis et injuriarum patientis.

Epis. Et certe laus magna non est deteriorem tolerare. Ceterum nisi perfectus est, quantum convenit, quomodo episcopus est hujusmodi? Imperfectus enim imperfectis non consulet. Quomodo autem et Theophilus dicitur, qui non amat Deum, propter quem et hominum injurias patienter ferre debuit? Si vero Deum non amat, ne se quidem ipsum. Qui autem suimet inimicus est, quomodo tandem alios amabit? Mirum igitur non est, si ob id Olympiadem oderat, utpote quae monachos suscepisset.

Diac. In confesso quidem est, Theophilum iracundia percitum id egisse, qui eos ejecerit, quicumque illi fuerint, sive orthodoxi, sive haeretici. Non diaconissa debuit illos suscipere?

Epis. Quid igitur tibi videtur? Bene, an male egisse?

Diac. Dixi, male.

Epis. An unquam beneficentia condemnatur?

Diac. Et omnino quidem, cum fit in malos et beneficio indignos.

Epis. Quinam igitur erant illi quinquies mille, quos Servator quinque hordeaceis panibus saturavit? boni an mali?

Diac. Boni scilicet, utpote a Servatore nutriti.

Epis. Quare igitur a Servatore nutriti hordeaceis, qui boni essent?

Diac. Ob penuriam forte triticeorum, aut ob famem.

Epis. Quomodo igitur ob incredulitatem increpantur? ut boni aut ut mali?

Diac. Utique mali, qui increpantur.

Epis. An boni iidem et mali esse possunt?

Diac. Certe.

Epis. Quomodo?

Diac. Deteriorum quidem comparatione, boni; meliorum vero, mali.

Epis. Mira dixisti. Hoc igitur modo, et monachi illi et boni erant et mali. Et illa quidem fidelissima eos ut bonos hospitio accepit. Mirificus vero ille ut malos ejecit: quod non debuit.

Diac. Sed dicet tibi quis: ut molestias mihi creares inimicos meos suscepisti.

Epis. Prorsus igitur delictum in eo est, quod et inimicos appellat, qui ut Christi imitator, injurias remittere debuit.

Diac. Ubinam vero vituperantur quinque millia a Servatore ut dixisti? Non enim scriptum est.

Epis. Cum secundo congregati ad Christum accesserunt et audierunt: *quaeritis me, non quia vidistis signa et prodigia, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

Diac. Manifestissima res est.

Epis. Qui autem vituperabilis, hoc ipso et malus est.

Diac. Ita sane.

Epis. Malos igitur an bonos pavit Salvator?

Diac. In confesso est, quod malos: *non enim egent, qui sani sunt, medico; sed qui male habent.*

Epis. Quid igitur mali fecit Olympias? Dominum suum imitata, *qui pluit, et solem oriri facit super justos et injustos;* licet pharisaei exprobrent discipulis, dicentes: *Magister vester cum publicanis et peccatoribus manducat, et bibit.*

Diac. Praeter intelligentiam, ut video, a multis vituperantur quidem honesta, et turpia diliguntur.

Epis. Cur ista dicis veritatis amantissime Theodore?

Diac. Quia, nisi sermonem tuum cum ratiocinatione aperuisses, aut explicuisses, in stolidam abripiebar sententiam, scopo veritatis non attendens, sed Theophili fabulis.

Epis. Quid si igitur e contrario viri illi sancti demonstrentur, nedum mali, sed et qui multos ab improbitate ad virtutem reduxerint: manifeste apparebit illorum persecutor non dignus persecutione, sed miseratione, ut, qui bonos semper vexavit, malos suscipiat.

Diac. Ita est ut dicis. Nam licet illi sapientes et sancti non fuerint, ut plerique dicunt, extra reprehensionem erit Olympias, ut patet ex superiori ratiocinio, quae Servatoris imitationem exhibuerit.

Epis. Quodnam vero gestorum fidelius testimonium vides? Evangelii an Theophili?

Diac. Apage sis quaeso. Constat enim apud omnes illum ira quadam et ambitione impulsum eos projecisse, et hanc a superstitione et odio profectam esse, monachos, eo praetexente Theophilo, ipsum conviciis appetiisse. Cum enim servilibus suis blanditiis nihil profecisset, et nihil ab ea (Olympiade) praeter edulia et xenia, accepisset, ad convicia vertit se. Ejus enim mos est in omnibus.

Epis. Audi igitur, diaconorum optime. Nam video publico prodesse te. Illa enim in juventute gravitas pignus quoddam est, te in senectute honorabilem fore. Viri isti a parentibus christianis orti, et a teneris unguiculis Deo subditi, nunquam passi sunt, ne admodum quidem adolescentuli cum essent, servire vanitati, neque cum turba versari: sed occupantes solitudinem, quae ad meridiem est, procul ab hominum domicilio sitam, sibi constituerunt tuguria, quibus tantum solis radiorum molestias evitarent, et aëris rorem. In quibus viventes, orationi atque lectioni tempus suum impenderent: adeo contritis volis manuum in operibus corpori, quantum satis esset ad tenuem victum; melius rati vivere cum capraeis et struthiocamelis et bubalis, quam epulari cum hominibus, qui ignorant Deum.

Horum natu maximus nonaginta ferme egressus annos, conversatus est cum beato Antonio, Hierax ipse appellatus: quod proprium nomen usque ad hanc diem retinet. Alius vero Ammonius sexagenarius cum duobus fratribus monachis et uno episcopo, qui sub Valente, cum bojas tulissent, exularunt, ut novit omnis Alexandria, tanta praediti scientia, ut nihil Scripturarum eos fugeret, quae plerisque imperviae sunt. Ex his duo quidem quiescunt, mortui Constantinopoli. Ammonius autem, ut narrarunt Aurelius et Sisinnius, circa vitae exitum prophetavit, post magnam persecutionem et schisma in Ecclesia, pessimum exitum reportaturos ejus auctores; et sic ecclesias unitum iri. Quod quidem ex parte factum est; et fiet. Inde enim quorumdam episcoporum et laicorum corpora morbus occupans, variis doloribus distrahebat. Lenta quidem febre viscera perurens, atque intolerabi-

li pruritu totam corporis superficiem unguibus fodicans: crassique intestini continui dolores. Alio aqua intercute laborante, lividi pedum tumores: alteri autem humores nunc calidi nunc frigidi per quatuor articulos defluentes, digitos, qui male subscripserant, tremore afficiebant; atque abdominis inflammatio, seu tumor, et per membrum quoddam putredo pessimum odorem procul dispergens, et vermes generans. Praeterea orthopnaea et respirandi difficultas, atque omnium membrorum distentio. Item nocturnae imagines in rabiosos canes et strictis ensibus barbaros, peregrinam et turbulentam vocem sonantes transformabantur, insomnem somnum peragentibus.

Alius autem, qui ex equo decidens, cum caulis in morem dextrum crus sibi fregisset, statim vitam abrupit. Alius, interclusa voce, octo menses in lecto maceratus est, qui ne ori quidem suo manus admovere valebat. Alteri, vivo, crura ad genua usque paulatim per triennium dissecta sunt, erysipilate videlicet materiam suppeditante. Alius inflata, ut ajunt, lingua, cum febri vehementi, ut gurgulionis interseptum in ore esset dentibus adfixum, cum lingua in loco sibi a natura definito non haereret, in pugillari confessionem scripsit. Et cernere erat divinitus immissam iram, variis poenis bellum inferentem. Qui quidem animarum medicum et delinitorem exacerbarant, atque Dei interpretem a salutis officina dimoverant, corporum medicis ad vexationem tradebantur. Qui dolorem quidem solitis remediis augebant; salutem autem non procurabant. Quis enim medebitur ei, qui a Domino punitur? Ut ait Propheta: *nunquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Sic omnes Ecclesiae tuae pacis adversarii perierunt, Domine. Ceterum fertur sepulchrum Ammonii monachi horrorem febris expellere. Sepultus vero est trans mare in Martyrio Apostolorum. Porro episcopus Dioscurus, ut dicunt, plurimum Deum deprecatus fuerat, ut aut pacem ecclesiarum videret, aut moreretur. Morte dignus habitus est, quoniam mundus pace dignus non erat: et sepultus in Martyrio, quod est ante portam, ita ut plurimae mulieres, omissis per sanctam martyrem juramentis, per preces Dioscuri jurarent. De reliquis autem monachis multus mihi sermo consumeretur

in narrando: et tu fortasse ad alia festinas, o vir tui nominis, Theodore.

Diac. Et quis adeo infelix, ut narrationibus de virtute locum non praebeat? Dic igitur, quaeso, et quocumque rationabili sermone animum meum a secularibus cogitationibus abducito.

Epis. Est igitur alter Hierax, profano quidem nominatus nomine; spiritalibus autem moribus exornatus. Qui primum quidem extra totam Aegyptum et Thebaidem in montem Porphyritem solus secesserat, et quidem sine ullo hominis affatu, quatuor annos perseveravit, solis contentus virtutibus ad solatium. Postea in solitudine Nitriae viginti quinque annos egit cum supradictis Patribus. Huic daemones instantes, ut ipse narravit, longaevam vitam promittentes, a proposita spe ipsum dimovere studebant, transformantes se in angelos lucis, dicentes: quinquaginta annos adhuc victurus es; quomodo in eremo perdurabis? Ille autem sapienter per fidem respondit, dicens: contristastis me, brevius propositi mei tempus dicentes. Ducentorum enim annorum apparatum mihi in eremo instruxeram. Quod ut audierunt, ululantes discesserunt. Et hunc ipsum, quem daemones non commoverant, diuturnum ei vitae tempus promittentes, ut virum in desidiam pertraherent, Theophilus papa Principis edicto migrare jussit: et ad talem redegit necessitatem, ut ad Comitatum iret. Qui nunc post mortem Ammonii, rursum desertissimam solitudinem repetiit, aratri evangelici veritus parabolam.

Alius rursus presbyter Isaac nomine, discipulus Macarii, qui fuit Antonii discipulus, solitudinis amantissimus, quinquaginta annos agens, Scripturam omnem memoriter tenens; cerastas serpentes in manibus sine periculo portans, ex matris utero virgo, cum septennis solitudinem incolere caepisset, post quadraginta annos, cum praefatis viris a Theophilo papa veluti cribro excussus est. Alter Isaac presbyter, et ipse discipulus ac successor Cronii presbyteri, discipuli ejusdem Antonii, Scripturarum etiam ipse peritus quam qui maxime; hospitalis siquis alius, adeo ut prae summa humanitate hospitium in eremo construxerit ad refrigerium aegrorum monachorum et peregrinorum ad invisendos beatos Pa-

tres illuc advenientium. Dicitur autem ab omni ira alienus. Trigesimum annum agens in secessu, una cum his vexatus est. Ex his autem Isaac, prior centum et quinquaginta sub se monachos habebat: cujus discipulos, septem aut octo episcopos constituit Theophilus; dum Theophilus, hoc est Dei amator esset.

Alter autem ducentos et decem habebat monachos; cujus etiam discipuli plurimi episcopis annumerati sunt. Hi sunt, quos nudius tertius memoravimus, Isidori presbyteri causa a Theophilo papa ejectos ex eremo. Hi sunt, quos sacerdotes et diaconi despexerunt: et quos in virorum confusionem virilis mulier suscepit; atque in episcoporum condemnationem, mulier diaconissa hospitio excepit: cujus laus in ecclesiis multarum rerum causa celebratur .....

Diac. Consolatus es me, venerande Pater, qui mihi accurate narraveris et eadem, quae fama vulgaverat, gratia quadam condieris ......

Epis. Et mihi permitte ea, quae huic narrationi desunt, adimplere. Festino enim iter meum perficere.

Diac. Ubi sunt episcopi, qui cum nostris missi sunt, Eulisius, Palladius, Cyriacus et Demetrius? Obscure quippe audivimus in exilium missos esse.

Epis. Si priora illa, quae a nobis audisti de beato Joanne, clara et manifesta tibi sunt, nihil habentia mendacii, atque si eorum meministi, narrabo etiam ea, de quibus me interrogas.

Diac. Ita abunde persuasus sum, tamquam si praesens locis ipsis adfuissem. Sufficiens autem meae persuasionis indicium tibi sit attentio ad ea, quae dicta sunt: quorum adhuc auribus insonantem memoriam habens, forte scripto ea mandabo in membrana, optimo atramento descripta, ad memoriam hominum aetatis nostrae, atque utilitatem eorum, qui episcopatum desiderant, adeo ut sint secundum beatum Joannem ....

Epis. Optime dixisti. Audi igitur. Episcopi quidem, ut initio fama vulgavit, in mare demersi sunt; ut autem se habet veritas, in exilium longinquum pulsi sunt, in barbaras gentes: ibique etiam nunc a servis publicis custodiuntur. Nam

cum venisset quidam diaconus, qui simul cum eis iter fecerat, retulit, Cyriacum quidem emesenum Palmyrae in Castello Persarum esse, octoginta milliaribus ultra Emesam: Eulysium similiter episcopum Bostrae, ulterius itinere trium dierum in castello arabum *Misphas* dicto, saracenis adjacente: Palladium episcopum in vicinia blemmyum aut aethiopum, custodiri in oppido Syene dicto: Demetrium interius in Oasi mazicibus proxima; sunt enim aliae Oazes. Serapionem autem post innumeras absque ulla probatione calumnias, summa cum judicum crudelitate caesum ad excussionem usque dentium, ut fama est, in patriam suam relegarunt. Hilarius vir sanctus et senex in intimum Pontum pulsus est, plagis concisus, non a judice, sed a clero: qui decem et octo abhinc annis panem non gustavit, olera sola et frumentum coctum edens....... Ac ceteris enumeratis, qui in eadem causa passi sunt, addit: « Stephanus monachus, qui romanorum epistolas detulit, ob id ipsum verberatus, decem menses Constantinopoli in carcere vitam egit. Cum autem ei communio proposita esset, et non acquievisset, lateribus et pectore ungularum violentia laceratis, cujus rei ipse oculatus testis fui, Christi providentia in secunda fortasse certamina servatus, post decimum suae curationis mensem, Pelusium relegatus est.....

Eo autem usque crudelitatis proruperunt locorum illorum episcopi de communione Theophili per totum Orientem, sicut retulit monachus, qui inde rediit, ut plerique eorum non modo debitam humanitatem nostris non exhibuerint; verum datis muneribus, praetorianos milites induxerint, ut eos ocius e civitatibus expellerent... Haec autem tibi pro virili a nobis dicta sint. Siquis autem verius et elegantius dicens, imbecillitatem nostram emendaverit, hunc libenter accipiemus ut correctorem et fratrum amantem, atque Servatori gratias agemus propter omnia. Verum ipse mihi expone occidentalis Synodi scopum et decretum, et obsigna verba mea, siquidem tibi placuerunt, ut utiliter dicta.

Diac. Tibi quidem, qui haec narrasti, det Deus misericordiam consequi in illa die, tum quia a talium communione abstinuisti, tum quia nobis haec aperte disseruisti. Ceterum

Dominus meminerit sacrificii omnis Joannis, qui ad mortem usque loquendi libertatem non abjecit. Scopus Ecclesiae Romanae est iste, non communicare unquam orientalibus episcopis, praesertim Theophilo, donec Dominus dederit locum universali Synodo, quae putrefactis membris eorum, qui haec patrarunt, medeatur. Etsi enim dormit Joannes, vigilat tamen veritas, propter quam inquisitio erit. Eos autem, qui talia in Ecclesia perpetrarunt libenter convenirem in faciem dicens: ubinam sacerdotium? Ubi sanctitas? Ubi mansuetudo et communio naturae? Ubi Servatoris mandatum? »

Haec interim omnia qui percurrerit, probe ea meditatus, viderit, num Spiritu Dei acti Theophilus ceterique praesules fuerint in hujusmodi persecutione explenda; et hinc num injuria ex parte steterit monachorum origenistarum, an ex Theophili et sociorum parte. Ecclesiastica monimenta qui investigarit, repererit nunquam, ecclesiarum antistites in Spiritu Sancto congregatos adversus haereses ita dimicasse, veluti Theophilum, et cum eo Severianum, Acacium, Antiochum, Cyrinum, Atticum, Porphyrium in praesumptos haereticos. Quocirca merito dicendum est adversus Ecclesiae canones, adversus cuncta jura sacra et profana incessisse citatos episcopos; nec ideo pro dogmate catholico decertantes, insectatos fuisse monachos, Chrysostomum, ceterosque Origenis patronos. Proindeque tenendum, illud damnationis decretum ex partium studio ortum fuisse et ex animi perversitate potius quam ex catholicae fidei zelo; ac una putandum, monachos origenistas et Origenem ipsum omni plane haereseos labe vacare; immeritoque tot passos fuisse calamitates.

Denique haud ignorandum est, Innocentium Papam in Epistola ad Arcadium imperatorem (cujus mentio apud Gennadium, Glicam et Georgium alexandrinum) hanc edixisse sententiam de Theophilo: « *Ad Theophili*, ait, *exauctorationem addimus censuram excommunicationis, anathematismum, et a Christianismo integram ac perfectam alienationem.* » Quare hac gravi oneratus ecclesiastica censura (subdit Georgius) non multo post Arcadii mortem, succedente Theodosio filio suo, Theophilus quoque ex lethargico sive veterno morbo suam obiit diem. Et episcopatus ad Cyrillum consanguineum suum transivit.

Praeterea, ut in hac quaestione amplius Theophili suorumque satellitum improbitas pateat, ac una Chrysostomi monachorumque, quos ipse apud se susceperat, sincera lucescat fides, et maxime Isidori, in quem vehementer incensus est idem Theophilus, testem nuncupabo sanctissimum virum coelestibus saginatum doctrinis, vitamque angelicam ad obitum usque protrahentem, et cujus fama totum discurrebat orbem, Isidorum Pelusiotam. Qui sane et ipsis factis proximus, et hominum in eo certamine pugnantium certior, in suis epistolis eadem testatur, quae usque modo statui, tunc Alexandriae gesta inique adversus monachos et postea Constantinopoli adversum Chrysostomum ex Theophili suorumque ambitu. Ita namque in epistola 310. Libri I. ad Cyrillum ipsius Theophili nepotem inquit: « Qui sic loquebantur, erant Patres Synodi ephesinae: multi enim ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, ut tuas inimicitias persequentem et ulciscentem, ac non ea, quae Jesu Christi sunt orthodoxa, quaerentem. Theophili (inquiunt adversarii tui) ex sorore nepos, et illius mentem et sententiam imitatur. Ut enim ille perspicuum adversus divinitus afflatum ac Deo charum virum Joannem, furorem effudit; sic etiam iste (Theophili nepos) gloriari ac se jactare expetit, etiamsi alioqui latum sit inter eos, qui accusantur, discrimen. »

Verum majoris momenti fiunt, quae ipse Pelusiota scribit de eodem Theophilo in Epistola 152. ejusdem Libri I. ad Symmachum: « Petis a me, ait, ut divini viri Joannis tragoediam tibi exponam. At eam explicare nequeo: mentem enim res ista superat. Verum pauca quaedam audi. Vicina Aegyptus hoc semper in more habuit, ut inique et perdite se gereret, Mosem videlicet repudians et Pharaonem adsciscens, humiles ac demissos flagris lacerans, laborantes opprimens, urbes extruere jubens, et mercedem negans; atque ad hoc usque tempus in eisdem studiis haerens. Siquidem insano lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro numine habentem Theophilum, quatuor sociis immo *coapostatis* septum ac munitum in medium proferens, pium virum ac divinarum rerum doctrina praeditum expugnavit; odium videlicet et inimicitiam, quam adversus eum, qui eodem, quo ego nomine

(Isidorus) appellatur, improbitatis atque importunitatis suae velut propugnaculum nactus. At Davidis domus tamen invalescit: domus autem Saulis, ut cernis debilitatur; tametsi vir ille, superata vitae tempestate ad coelestem tranquillitatem migraverit. » Ex his ut apparet, non solum Theophili pravitas adversus Chrysostomum manifestatur, in cujus processu oblique de Origenis libris agebatur: sed et illud tangebat Pelusiota, quod paulo ante inique ab eodem Theophilo in Origenis ipsius causa apertissime actum est contra monachos nitrienses (in quibus Isidorus monachus alter sanctitate et doctrina eminebat) cum anathemati Origenis et librorum suorum subscribere renuerint.

Post haec judicem quemcumque appello, ut, quid de Theophilo statuendum sit, decernat. Cujus gesta in Synodo alexandrina ac deinceps, haud dogmaticam disputationem revelabant, ast luctuosissimam tragoediam; ubi aliter penitus, quam apostolicae mandarunt constitutiones, actum est. In qua instar castrorum militantium, digladiantes Theophilus suaeque factionis viri, contra monachos, innocuosque viros irruperunt, non in opiniones sed in personas eorum dimicantes. Et in hac re ubi conventus episcoporum pacificus? Ubi mutua contestatio in hujusmodi quaestionibus, animis pacatis, peragendis? Ubi sermo Dei suasibilis? Ubi dominicum charitatis mandatum?

Similiter per haec omnia, quae sedulo hucusque ex testimoniis episcoporum et sanctorum virorum, et praesertim ex Innocentii Papae judicio perscrutatus, statui circa processum adversus Origenis scripta, monachos nitrienses, ac deinde contra Chrysostomum, non tantum abundantius et Theophili improbitas et iniquissima ipsius adversus Joannem gesta innotescunt; sed et ideo Hieronymi probatur illusio, qua ipse etsi nolens affici passus est, Theophili partes suscipiens, et Chrysostomum, monachosque condemnans innocuos omnimode. Quapropter, sicubi ea, in quibus Theophilus monachis nocuit et Joanni, praeter jus acta fuisse demonstratur, consequitur et Hieronymi auctoritatem, qui in Libro I. adversus Ruffinum n. 15. ait se primum a Theophilo didicisse Origenis impietates, nullius fieri momenti.

Sub his sane funestis auspiciis Theophilus Origenis librorum propugnatores convellere aggressus est. Ideoque, veluti de eo praemisi, si ex ejusdem actibus ab initio quaestionis usque huc, decernendum sit, nullum arbitror futurum, qui Theophili partes considerans putet, ipsum ex conscientia sincera arbitrum sistentem se, judicium rectum pronunciasse in tanti momenti contentione, sicuti in ceteris, quae subsecuta sunt. Tota, rursus inquam, Theophili actio undequaque tergiversationibus plena est, et id ultro cunctis perspectum fit tam in librorum Origenis confutatione, tam in Synodo alexandrina, tam in persecutione monachorum nitriensium, tam in suis litteris ad s. Epiphanium et s. Hieronymum, tam adversus s. Chrysostomum. Omnia dolis et fraudibus referta sunt. Et quid tandem inde expectandum erat, nisi omnium proborum ac principum christianorum execratio, Romani Pontificis, et totius Ecclesiae indignatio, ac novissimum in caput suum jactum anathema, ob tantas improbitates poenas luens, ut fidelibus universim ipsius animi innotesceret perfidia, extra Ecclesiam facti? Quapropter Honorius imperator ad Arcadium Augustum scribens, ait: « Porro hoc ante omnia obsecro Clementiam tuam, Theophilum Alexandriae episcopum, qui omnium malorum auctor esse dicitur, vel nolentem se sistere jubeas; ut nihil obstet, quominus episcoporum, qui adfuerint, Synodus convenientem temporibus nostris pacem sanciat. » Itaque Arcadius Honorii mandatis obtemperans ad Theophilum scripsit, ut summa celeritate ad se veniret, poenas ausis suis luiturus ob ea, quae acta fuerant contra divum Chrysostomum.

Verum ad eorum munimen, quae antea ex litteris Joannis ad Innocentium et ex Dialogo Palladii obsignavimus circa tempestatem a Theophilo motam adversus eumdem Joannem, audire praestat, quae ipse Pontifex deinde scribit ad clerum constantinopolitanum simul cum episcopo tot pressum vexationibus per Theophilum et alios episcopos suae factionis socios Acacium, Antiochum et Severianum. In qua epistola haec maxime notanda sunt: « Quis enim, ait n. 2. ferre possit ea, quae ab illis (episcopis) delinquuntur; quos prae ceteris decebat tranquillitatis et pacis et concordiae esse stu-

CAPUT XXII.

Discutitur praecipue quod s. Hieronymus in Epistola 127. ad Principiam, captus ab hypocritico zelo et dolosis epistolis Theophili, narrat de quaestionis origenianae conditione Romae, Siricio Pontificatum gerente.

Postquam sic Theophili acta hucusque prosecuti sumus; ac ubique ejusdem aut inscitiam, seu negligentiam, vel malitiam in scriptis Origenis dijudicandis notavimus, sicuti et prava sua consilia contra ipsius patronos; et postquam, damnato Theophilo, aliquantum origenistas catholicos pondere, quo pressi fuerant, levatos cernimus, ac simul suspicionem multorum animos continuisse, nec pie Episcopum alexandrinum monachorum nitriensium causam gessisse, pravatae potius ac malae cordis sui affectioni obsecutum, quam veritatis propugnatorem, et rectum se in his exhibentem judicem: valde nihilominus dolendum est, s. Hieronymum adhuc in sua sententia perseverasse adversus Origenem ob praesumptos ipsius errores ac blasphemias; nec amplius obtestationibus monachorum origenistarum iteratis praestitisse fidem de catholico eorum sensu, neque anathemate in Theophilum lato, nec universali hujus ignominia percitum, nec a s. Chrysostomi sapientia, sanctitate, zeloque motum; neque aerumnas hujus facientem, quas ideo tulit ex Theophili ipsius malevolentia; nec priscorum Patrum auctoritate superatum, qui Origenem *virum apostolicum et Ecclesiae Patrem* nuncuparunt; nec denique (ut ipse idem testatur) ex praevalenti fidelium pro Origene opinione motum, quorum minorem, seu minimum numerum tunc eidem adversari dicit, et plurimos sive universim Origenem tueri tanquam veritatis magistrum: dolendum, inquam, valde est, quod ipse Hieronymus in suo sensu persistens, eidem exprobraret, hunc haereticum et blasphemum vocans, ejusdemque sectatores pari ignominioso nuncupans titulo; quos tamen Ecclesia antiqua sanctorum Albo inscriptos veneratur.

Et quidem sane constat Hieronymum, ubicumque contra origenistas pugnet, eisdem exprobrantem haeresim, manifeste indicare, eosdem scilicet, quos vult haereticos, perpetuo obtestatos esse coram Theophilo, coram Synodo alexandrina, coram Joanne Chrysostomo, coram s. Epiphanio, coram Anastasio papa, in totius Ecclesiae conspectu obtestatos esse, dico, seipsos pie sentire; et in omnibus christiana dogmata profiteri, et apostolicam tenere fidem; ac nullimode blasphemias, aut cujusque generis errores Origeni adscriptos propugnare; nec antea, nec tunc, nec unquam se hujusmodi adhaesisse impietatibus; verum tantummodo opinatos, firmisque innixos argumentis, Origenem tales haud dictasse errores, neque scripto nec auribus fidelium commisisse. Proindeque, si tunc ipsius libri illas praeseferrent impietates et extravagantias, de his haereticos ipsius hostes, suorum sensuum falsatores et interpolatores, seu ignaros dictionum suarum interpretes incusandos, non vero Origenem pium, fidelem catholicumque virum. Et id nec ignoravit Hieronymus, et saepe hanc sinceram origenistarum audivit et legit protestationem, quamvis ipsam contempserit ac nefaste repulerit, veluti antea ex ejusdem decerpsi libris.

Quapropter logico sensu usos, et Ecclesiae canonum peritos rogo (quemadmodum de Theophilo nuper dictum est) jure ne haereticorum et impiorum titulo monachorum et aliorum fama obtenebranda ita erat, quos eousque pios viros honoraverat universim populus christianus? Num cohibendum erat criticorum studium in disquirendis codicibus operum Origenis et aliorum monumentis de hac quaestione? Nunquid contemnendi, vel reprobandi erant disputantes, an Adamantii libri falsati vel sinceri habendi essent, et hinc utrum errores sub illius nomine vulgati, eidem forent nec ne inscribendi? Unde liquet quam indigne ac immerito praefati viri, in quibus Chrysostomus, de haeresi vel haereseos suspicione insimulati fuerint.

Ceterum omnes quotquot in Aegypto Theophilo restitere in damnatione Origenis ab initio quaestionis usque ad novissimum, ubique et privatim et publice, sive liberi, seu vexati, sive in patria, sive exules, interrogati, hoc idem respon-

derunt, se nimirum cum Ecclesia Catholica sentientes, praesumptos damnare errores, nec tamen putare illorum auctorem fuisse Origenem. Ruffini verba patent, cum in Libro II. n. 28. ad Hieronymum loquitur: « Verumtamen scito, me ne de hoc quidem poenitudinem gerere, quin dicam, non omnia, quae in libris Origenis inveniuntur tanquam catholica esse suscipienda. Quae utrum sua sint, ut dicis, an ab aliis inserta, ut nos putamus, Deus viderit. »

Et hoc item non ignoravit Hieronymus, dum monachorum aegyptiorum sensum exponit. Qui coram Theophilo in Synodo alexandrina rogati, ut anathema in Origenem firmarent ac subscriberent, renuerunt dicentes, se quidem dicta haeretica non defendere; tenere tamen ejusdem libros ab haereticis depravatos; ac ideo Auctorem ab haereseos labe ire immunem: quod maximum erat et est in hac causa; cum sic istos jure anathemate ferire non posset Theophilus, nec istorum pessumdare famam, et vitam. Quamobrem, acceptis et probatis, quae usque modo excussa sunt de Origene, deque monachis aegyptiis, quod scilicet nec Auctor haeretica docuerit, neque in Nitriae asceteriis instaurata sint impia ipsius dogmata; nec monachi praesumpta dogmata profiterentur, et his tribus simul falsis admissis, ab imo ad summum tota criminationum structura ruit, et quasi nebula, insufflante vento, disperditur; et omnia una pereunt contra istos aedificantium studia.

Porro in eorum, quae praefatus sum de s. Hieronymo, illustrationem, ipsum scilicet nimium aures praestitisse Theophilo et ab eo illusum, et ex adverso nihili fecisse Ruffini argumenta, obtestationes et preces, sicuti ceterorum eidem Ruffino consortum in quaestione origeniana; et amplius s. Doctorem ob hanc sui sensus tenacitatem erga Theophilum et contra Ruffinum, sanctorum virorum detraxisse decori, presbyterorum romanorum sapientiae, ac Siricii Papae dignitati, lectoris judicio obsignabo, quae is ex multis enarrat, excutitque praesertim in Epistola 127. ad Principiam sub an. 412. n. 9. Cum autem haec edisseram, ac Hieronymi verbis contraire videar, tota in ipsum reverentia illud agam; mihique tamen lector, puto, benigne indulgebit. Necessitas

enim hoc urget; quaestio id postulat; veritas exigit; ac innocentiae jus, qualiscumque sit adversarius, nullo personae intuitu, ubique ac perpetuo vindicandum est.

Hieronymus itaque in iis litteris memorans, quae Romae circa illud tempus acta sunt, invalescente Origenis ejusque librorum quaestione, Siricio tunc Pontificatum gerente, scribit: « In hac tranquillitate et Domini servitute, haeretica in his provinciis exorta tempestas, cuncta turbavit; et in tantam rabiem concitata est, ut nec sibi nec ulli bonorum parceret. Et quasi parum esset, hic universa movisse, navem plenam blasphemiarum romano intulit portui. Invenitque protinus patella operculum; et romanae fidei purissimum fontem lutosa coeno permiscuere vestigia. Nec mirum si in plateis, et in foro rerum venalium fictus ariolus stultorum verberet nates; et obtorto fuste dentes mordentium quatiat: quum venenata spurcaque doctrina Romae invenerit quos induceret. Tunc librorum *De Principiis* infamis interpretatio; tunc discipulus, Ολβιος (Macarius) veri nominis, si in talem magistrum non impegisset. Tunc nostrorum διαλυτος dissoluta contradictio, et pharisaeorum turbata est schola. Tunc sancta Marcella, quae diu se cohibuerat, ne per aemulationem quippiam facere videretur, postquam sensit fidem apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque, et nonnullos monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret; ac simplicitati illuderet Episcopi (Siricii Papae) qui de suo ingenio ceteros aestimabat, publice restitit, malens Deo placere, quam hominibus.

« Laudat Salvator in Evangelio villicum iniquitatis, quod contra dominum quidem fraudulenter, attamen pro se prudenter fecerit. Cernentes haeretici de parva scintilla maxima incendia concitari; et suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec posse latere, quod multos deceperat, petunt et impetrant ecclesiasticas epistolas, ut communicantes Ecclesiae (urbe) discessisse viderentur. Non multum tempus in medio, succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur. Immo idcirco raptus et translatus est, ne semel latam sententiam suis precibus flecte-

re conaretur: dicente Domino ad Jeremiam: *ne oraveris pro populo isto, neque depreceris in bonum. Quia si jejunaverint, non exaudiam preces eorum. Et si holocausta et victimas obtulerint, non suscipiam eas. In gladio enim et fame et pestilentia ego consumem eos.*

« Dicas, quid haec ad laudem Marcellae? Damnationis haereticorum haec fuit principium: dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, et postea ab haeretico fuerant errore correpti, dum ostendit multitudinem deceptorum; dum impia *De Principiis* ingerit volumina; quae emendata manu scorpii monstrabantur: dum acciti frequentibus litteris haeretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi. Tantaque vis conscientiae fuit, ut magis absentes damnari, quam praesentes coargui maluerint. Hujus tam gloriosae victoriae origo Marcella est: tuque caput horum et causa bonorum, scis me vera narrare. Quae nosti vix de multis pauca me dicere, ne legenti fastidium faciat odiosa replicatio; et videar apud malevolos sub occasione laudis alterius, stomachum meum digerere.

« De Occidentis partibus ad Orientem turbo transgressus minitabatur plurimis magna naufragia. Tunc impletum est: *putas, veniens Filius hominis, fidem inveniet super terram?* Refrigerata charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem, nostro lateri jungebantur, quorum publice petebatur caput: contra quos opes omnes parabantur; ita ut et Barnabas (Chrysostomus) quoque duceretur in illam simulationem, immo apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit. Et ecce universa tempestas, Domino flante, deleta est; expletumque vaticinium prophetale: *auferes spiritum eorum, et deficient.* »

Ex hac Hieronymi elocutione plura eruuntur nostrae meditationis digna, eoque magis huc revocatis, quae de spurio impietatum et falsitatum syntagmate sub Origenis nomine vulgato, superius digesta sunt. Ubi ex patentibus indiciis, et quae inde collegit Theophilus, et quae latine vertit Hieronymus ipse in epistola ad Avitum (unde ambo praetextum reperere libros Origenis ejusque personam condemnandi) ea omnia extra Auctoris sensum et voluntatem, perfido calamo amandanda esse demonstratum est. Ac ideo resumptis *quae*

de sincera Ruffini versione, deque integra ipsius mente in hoc opere praemisimus, sicuti de codicibus genuinis, quos consuluit, ac de sensu catholico in *Periarchon* expresso, quem nos studiose enucleato eorumdem dictamine, exposuimus: ex his praemissis immerito sane videtur Hieronymus dixisse *navem blasphemiarum plenam romano intulisse portui*, Ruffinum indicans, citatos libros auribus latinis donantem, romanorum turbasse fidem. Nisi quod, dicere liceat, Hieronymus aliter a veritate comprehendens Origenis scripta, blasphemias ipsi adscribendo, quas nunquam somniavit, cum *infamis interpretationis* titulo insignivit Ruffini laborem, hunc titulum, quippe Ruffino ac inde Adamantio injuriosissimum, jure potiori iis, quae scripsit ad Avitum, transtulitque ex Theophili epistolis irrogasset. Attamen infauste hoc non sensit Hieronymus, nec cavit, propriam culpam in aliorum verticem remittens.

Praeterea mirum quoque videtur, quod ibi ait s. Doctor de Marcella, *quae haereticorum damnationis fuit principium*. Quasi ex unius foeminae zelo et opera, origeniana doctrina Romae cohibita fuisset; ceteris ex presbyterorum et monachorum coetu nonnullis silentibus vel paventibus, aliis et quidem plerisque Origeni conniventibus seu consentientibus, adeo ut ipse summus Pontifex Siricius *ob animi sui simplicitatem*, ipsis origenistis crederet viris astutis et perfidis, et ipse Pontifex minus prudens foret in haereticorum detegenda malitia. Et in hoc rerum statu, pravorum dogmatum cognitionem, revelationem, reprobationem Marcellae tantummodo deberi ait Hieronymus. Quae publice Origenis sectatoribus restitit: quasi sacer presbyterorum ordo una cum episcopo Siricio aut nescierit, seu nequaquam comprehenderit Origenis et origenistarum impia dogmata. Quinimmo, ut ipse subdit s. Doctor, iidem haereseos fautores (Ruffinus) uti *Ecclesiae communicantes*, *litteras formatas* accepissent ab ipso Papa; quas, Urbe profecti, quocumque irent, uti verae fidei tesseram ostendentes, Ecclesiae Romanae sinceri haberentur discipuli.

Post hoc judex quisque subeat, atque ex his Hieronymi verbis decernat, quo jure is, posthabito Romani Pontificatus

decore, foeminae zelum, vigilantiam, sapientiam praetulerit sollertiae, vigilantiae, discretioni ac sapientiae Siricii Papae, illius nimirum, cui dixit Dominus: *pasce oves meas*: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quos utique, secundum Hieronymum, non animadvertit haereticos Papa Siricius, animadvertit foemina. Et quos catholicos, pios, sinceros agnoscit, commendatque Papa; foemina impios et fraudulentos facit. Et cum omnes Romae presbyteri Ruffinum suosque socios haereticos nuncupare verentur, mulier sola, omnibus superatis, restitit; et victoriae triumphus in fidei hostes extollitur per mulieris operam. Ita ne putandum erit?

Ceterum si Siricii gesta accurate investigare velimus, aliter quam homo simplex, veluti eum facit Hieronymus, et a malitia perversorum captu facilis, reputandus est. Pontificatus sui historia ad quindecim et amplius annos undequaque admirabilem ejus manifestat prudentiam summae pietati zeloque sociatam, ac ipsius sollertiam in rebus Ecclesiae gerendis, in disciplina reparanda, in haereticos insectando. Ac praesertim id patet in manichaeorum perfidia detegenda, illorum investigatis conventiculis et simulationibus; cum exterius se profiterentur catholicos, interiusque pravorum dogmatum sectarios. Quos demum, adjuvante sibi Theodosio Imperatore, ab urbe et orbe christiano disperdi jussit.

Praeterea ipsius Siricii sollicitudo praerogativis cumulata sobrietatis, prudentiae, ceterarumque virtutum, quas vult Apostolus in regimine ecclesiarum, quam maxime lucet adversus Jovinianum haereticum. Cujus (in Epistola II.) ajebat errorem occultum intra ecclesias cancri more serpere, ut occupans pectus, totum hominem praecipitaret in mortem. Ideoque illius, comitumque suorum malitiam redarguens et hypocrisim, scribit: « Et quidem multarum haeresum malignitatem ab apostolis nunc usque didicimus, et experti probavimus; sed nunquam tales canes Ecclesiae mysterium latratibus fatigarunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes, doctrina perfidiae polluta, cujus sunt discipuli, verborum fructibus prodiderunt . . . . Hos omnes novae haereseos et blasphemiae incentores inventos, divina sententia ac nostro judicio in perpetuum damnantes, extra Ecclesiam remanere statuimus. »

Quis ergo Siricii simplicitatem, vel quamcumque negligentiam in origenistarum causa arguere poterit? ex quo divus Ambrosius, Sabinus, Bassianus, ceterique episcopi ob praefatum anathema in Jovinianum ejusque asseclas sancitum, ipsius Pontificis uti boni pastoris excubias celebrarunt diligentiam, sedulitatem in lupis facile deprehendendis, eisque animose occurrentis ac stantis, *ne isti morsibus perfidiae suae, feralique ululatu dominicum ovilem dispergant*? Unde igitur tanta Siricii desidia in origenistarum quaestione, cum in ceteros haereticos tanta sollertia, alacriterque surgens, contuderit, profligarit? Cur Joviniani et Manetis discipulos damnans, non damnavit Origenis sectatores, qui, ut ipse tenet Hieronymus, plura impietatis genera et absurda, quam Jovinianus et Manes, in Ecclesiam introduxisset? Nunquam ideo mihi suadebo, nec alius me ad hoc adiget ut putem, Papam Siricium virum probatissimum ac sanctissimum, una ideo acclamatione ad Pontificatum evectum, et ob praeclara gesta in sacro suo principatu pro fidei integritate solertem, unum hoc neglexisse circa Origenem: nec suppositam haeresim in Ruffino, si revera fuissent haeretici, animadvertisse; ita ut ab eo postulatis litteris formatis, eumdem veluti catholicum, catholicis episcopis commendaret.

Denique in citata Epistola, ubi repraesentatur Hieronymus Ecclesiam Occidentis et Orientis percurrens, et quidem antequam Anastasius Papa Theophili sententiam legeret adversus origenistas latam, ex ipsius Doctoris verbis comprehendimus, paucos ipsum ex utraque regione habere socios, qui sibi consentientes et aperto praelio ad latus suum pugnarent contra Origenis libros tanquam a veritate dissonos: « *Pauci*, inquit, *qui amabant fidei veritatem*, *nostro lateri jungebantur*. Quod sane indicat animorum fidelium et doctorum virorum timorem et perplexitatem in hac causa; sicubi agebatur de universali usque huc temporis erga Origenem fama; quem uti praediximus, virum pium et apostolicae doctrinae vindicem salutarant, et ecclesiarum magistrum.

Deinde si illius, quem in his litteris et alibi saepissime exagitavit, maledictisque oppressit Hieronymus, scrutari velimus causae suae oeconomiam, ubique perpetuo sibi conse-

ctarium servasse Ruffinum plurima adstant testimonia, quibus ipse in hac acerrima pugna, etsi non minori flagraret aestu adversus Hieronymum, eidem respondet. Ac ideo his studiose expensis, quae frequenter coram Deo et hominibus obtestatus est, in vertendis Origenis libris eisque discutiendis, de sua fide et obsequio erga Sedem Apostolicam, non solum Ruffinum ab omni haereseos suspicione immunem incedere probatur, ac anathematis indignum: verum etiam ex ipsa quaestionis natura id idem adstruitur. Quisquis enim illius legerit Prologos librorum *De Principiis*, sicuti antea notavimus, versioni praefixos, quaeque scribit in Praefatione commentarii Origenis *in Pauli Epistolas*, ac in translatione Apologetici S. Pamphili pro eodem Origene, satis comprehenderit, qua ratione et intentione id egerit Ruffinus tum relate ad suae fidei professionem penitus orthodoxam, tum relate ad hujusmodi translationis usum, juvandi scilicet gratia eruditionem ecclesiasticam, ceteros imitatus, qui similem aggressi erant laborem. In quibus omnibus ita animi sui candor apparet sensusque rectus a quocumque dolo alienus, ut jure adversantium obstruantur ora.

Haec autem de Ruffino huic loco adjecimus, ut, resumptis quae superius de ipsius doctrina et gestis expendimus, magis constet nec Ruffinum malitiose egisse, cum urbe discederet, acceptis litteris formatis a Siricio Papa, nec Siricium illusum, cum hunc virum moribus et fide integerrimum commendarit episcopis absentibus.

Sed cur tandem anathemati subjiciendus esset Ruffinus? et quale ipsius crimen? Num error, num haeresis, num pervicacia in eadem? Absit: nec unquam hoc sensit, nec voluit. Ubicumque enim in hac disputatione etsi ferventi animo inita catholicum se facit, pontificalem reveritus auctoritatem. Fortasse aliquis dicet, ille haereticus reputatur, quod Origenis blasphemias tenuit ac docuit. Sed et hoc falsum; nullibi reperitur, Ruffinum hujusmodi impietates profiteri. An haereseos reus habendus erit, quia condemnationi librorum Origenis pravam continentium doctrinam restiterit? nequaquam. Ruffini tantummodo culpa (nec tamen culpa vocanda est) in eo solum vertitur, quod ex conscientia sua, ex accurato sci-

licet operum et fidei Origenis studio, ac una priscorum testimonio, crederet, sincera ipsius Origenis scripta, et sincera dogmata de Deo, de rationalibus et dé ceteris capientia, fuisse aliquando falsata et interpolata; et in nonnullis quoque haud satis eorum sensum probe comprehensum. Ideoque ubi haeresis? ubi crimen?

Quapropter labitur quod ait s. Hieronymus in citata epistola ad Principiam de Ruffino, quod *Romae multos deciperet* ob Origenis *Periarchon* versionem. Neminem decepit Ruffinus per hanc versionem; quippe orthodoxe sentiret, orthodoxe doceret. Nec enim ipse haeresim profitebatur, nec alios in errorem inducebat; neque multo minus *Periarchon* translatio latina ab eo ex genuinis codicibus graecis adornata, veluti praemisimus, ulla dogmata capiebat haeretica, quo fideles offenderentur. Verum alii sinceram Ruffini versionem corruptam per falsas et impias insertiones, sub Ruffini ejusdem nomine publicarunt; de quo valde conquestus est. Proindeque *infamis Periarchon interpretatio et spurca doctrina*, de qua loquitur s. Hieronymus, non ea dicenda est, quam Ruffinus Romam misit ad amicos suos: sed revera talis erat, quam exactam ab interpolatis Origenis codicibus, Hieronymus a Theophilo mutuatus, undique latine publicavit Romam usque. Qua accepta ab Hieronymi amicis, usi sunt, ut sinceram Ruffini versionem, quam diversam notarunt, corrumperent; et sic infamaretur Auctoris et Interpretis nomen.

Insuper nec illud admittendum, quod ibidem subdit Hieronymus, Ruffinum *haereticum Romam accitum, ut se defenderet, venire non ausum fuisse*: « Ego enim, inquit Anastasio Papae Ruffinus, praeter hanc fidem, (uti supra exposui) idest quam Ecclesia romana, alexandrina, aquilejensis nostra tenet, quaeque in Hierosolymis praedicatur, aliam nec habui unquam, nec habeo in Christi nomine, nec habebo. Et siquis aliter credit, quisquis ille est, anathema sit. » Ceteroquin Anastasii dicta ad Joannem hierosolymitanum excludunt a Ruffino haeresim, cum sapientissime ait, ipsum in translatione *Periarchon*, judicem habere conscientiam suam; nec ideo velle ulterius de eo pronunciare sententiam. Quod magis in sequenti capite patefiet.

His de Ruffini fide discussis adversus Hieronymum, illud succedit notandum, quod in praefatis litteris scribit s. Doctor de procella et tempestate, quae *minitabantur plurimis magna naufragia, sed, flante Domino, deletas esse*: quibus indicavit origenistarum haereticorum extinctionem. Attamen, dico ego, flante Domino, tempestatem sane deletam esse, non origenistarum, quos haereticos supponit Hieronymus, quum nunquam tales fuerint, sed pii et orthodoxi, nec ideo istos ullum minitari fidelium naufragium: sed revera, flante Domino, procellam a Theophilo primum in Aegypto commotam adversus sanctos viros, et postea per Hieronymum illusum usque ad Occidentem dilatatam, cessasse ac deletam fuisse, postquam Theophilus ob execranda ipsius facinora anathemate percussus est, Romano Pontifici, episcopis, principibus universim invisus factus, sua coram omnibus revelata perfidia. Et hinc cum ejusdem humiliatione et excommunicatione cessavit procella adversus sanctos viros: quos ille perversus haereseos imaginariae insimulavit, vulgavitque per orbem ad simplicium illusionem, a qua praesertim una cum s. Epiphanio captus est ipse s. Hieronymus.

Idcirco cuncta hucusque discussa, quae Romae sub Siricii Pontificatu gesta sunt in causa origeniana, manifeste ostendunt, nec Origenem nec Ruffinum interpretem suorum librorum male resonuisse in auribus Pontificis et Cleri Romani; nec suspicionem ullam ante illud tempus eorum mentem ingessisse circa prava hujus viri dogmata; ita ut quodammodo dubitandum foret de sincera ejus fide et doctrina sive in exponendis sacris Scripturis, sive in variis tractandis de Religione Christiana argumentis: pro qua ab adolescentia usque ad mortem pie fideliterque laboravit Auctor, bonum certamen certans in Ecclesia Dei. Ac demum concludendum est, quae in ea epistola narrat s. Hieronymus de praesumptis Romae haereticis, aliunde quam a probis viris audivisse.



CAPUT XXIII.

Duae in quaestione origeniana Anastasii Papae Siricii successoris discutiuntur Epistolae: una genuina ad Joannem hierosolymitanum, altera apochrypha ad Simplicianum mediolanensem: de quibus seorsim disputabitur.

Usque modo tempestas in regione Aegypti exorta adversus monachos nitrienses per Theophili ambitum, nondum ad aures Romani Pontificis advenerat. Solum quidam s. Hieronymi familiares ex discrepantia percepta inter Ruffini et Hieronymi versionem *Periarchon*, dubiis permovebantur, ita ut ad s. Doctorem scriberent, eum de hac re interrogantes. De reliquo, hac tempestate commota in Aegypto in ceteras Orientis regiones pervadente, non dubium est quin Romam usque pervenerit haec versio, Petri successoris submittenda judicio.

Quamobrem in votis omnium fidelium hoc esse video: cunctosque vocem audire cupientes illius, cui dixit Dominus: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Si autem a me istud merito postulatur, quippe ab hoc pendet totius disceptationis solutio, praeter quam mancus foret labor inceptus, incertusque lectoris animus adhuc pergeret, tantumdem in votis fuit Theophili, ut nimirum definitio Synodi Alexandriae habitae (quamvis tumultuarie actum sit in eo conventu et contra omnia jura, uti dictum est) adversus Origenem ejusque libros firmaretur ab Episcopo Romano, seu ab Anastasio tunc in Petri Cathedra sedente. Absque enim Pontificis Romani sanctione, frustra ipse putavit Theophilus, se laborasse in proscriptione Auctoris et operum.

Verumtamen cum nobis hucusque desint et litterae synodales ad Papam Anastasium, ac una desideretur sanctio pontificia anathematis in Conventu alexandrino proclamati, sive Papae responsio ad Theophilum, si tamen dederit: non nisi oblique quidquam certi de hoc negotio comprehendere possumus; idest ex epistola ipsius Anastasii ad Joannem Hierosolymorum episcopum, qui illum consuluit, quid sentiendum esset tum de Ruffino librorum origenianorum interpre-

te, tum de ipso auctore Origene. Profecto, veluti ab exordio hujus tertiae Partis praevenimus, etsi arduum sit argumentum, summoque ideo studio peragendum, episcoporum Principis scrutari sensus, eosque inceptae accommodare disquisitioni: attamen, sicuti, qui me praecesserunt eximii viri, absque metu disceptarunt de praesumptis Origenis erratis, ratione pari eamdem viam mihi paratam libero discurrere pede posse confidam. Ac interim citata proferatur epistola Anastasii ad Joannem hierosolymitanum scripta.

« 1. Probatae quidem affectionis est hoc, ut laudabiliter de sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur praeconio, quod in merita mea effusissimum contulisti, ut amori tuo gratias ago: ita splendorem tuae sanctitatis, et eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo parvitatis nostrae favorabilis sermo prosequitur. Tam enim, vir omnium praestantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse sermo meritis non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod implere nequeo, audere non desinam. Jam hoc de laudibus tuis est, quod me tantum de coelestis istius animi serenitate laudasti. Tui enim episcopatus ordo perspicuus per diversum orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. In me quippe totum ipse amicitiae tribuis, examini nihil relinquis. Aut si jure me laudas, tu quoque similiter non relaudandus es? Obsecro igitur ob utrumque, ut meipsum apud me laudare jam desinas. Duplex etenim me caussa constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.

« 2. Sed ut ad caussam revertar: Ruffinus de quo me consulere dignatus es, conscientiae suae divinam habet arbitram majestatem; apud quam se integro devotionis officio, ipse viderit, qualiter debeat approbare.

« 3. Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit, antea et quis fuerit, et in quae processerit verba, nostrum propositum nescit. Quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper super hoc conferam sanctitate. Hoc igitur mente concepi, quod urbis nostrae populis de translatis Origenis lectio patefecit, quadam puris mentibus velut ne-

bula caecitatis injecta, fidem Apostolorum, et majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus illum voluisse dissolvere.

« 4. Discere hoc loco libet, quod agat in romanam linguam ista translatio. Approbo si accusat auctorem, et execrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama constrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum consensum praestat, et legenda prodit in populos, nihil aliud sui opera laboris extruxit, nisi ut propriae veluti mentis arbitrio haec, quae sola, quae prima, quae apud catholicos christianos vera fide jam exinde ab Apostolis in hoc usque tempus tenetur, inopinatae titulo assertionis everteret.

« 5. Absit hoc ab Ecclesiae Romanae catholica disciplina. Numquam profecto eveniet, ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure meritoque damnamus. Quapropter illa toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omnino non posse, quae Ecclesiam maculent, probatos mores evertant; aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionesque disponant. Qua re moti qualem epistolam ad fratrem et coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, ex subditis poteris comprobare. Unde igitur habeat secum ille qui transtulit, servetque sibi hanc conscientiam, non superflua laboro formidine, neque inani timore sollicitor. Mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque corporis mei per spatia diversa terrarum, quantum possum, litteris convenire, nequa prophanae interpretationis origo subrepat, quae devotas mentes, immissa sui caligine, labefactare conetur. Illud quoque, quod evenisse gaudeo tacere non potui, beatissimorum Principum nostrorum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens, ab Origenis lectione revocetur, damnandumque sententia Principum, quem lectio reum prophana prodiderit. Hactenus sententiae meae forma processerit.

« 6. Quod te vero vulgi de Ruffino querela sollicitat, ut quosdam vagis suspicionibus persequaris, hanc tuam opinionem constringam divinae lectionis exemplo, sicut scriptum

est: *non sic homo ut Deus*: nam Deus videt in corde, homo videt in facie. Itaque, frater carissime, omni suspicione seposita, Ruffinum propria mente perpende; si Origenis dicta in latinum transtulit, ac probavit, nec dissimilis a reo est, qui alienis vitiis praestat assensum. Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nec scire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi. »

Priusquam hujus epistolae tenorem studiose enucleemus, neminem lateat, inter codices quosdam, et inter editiones plures, alicujus momenti irrepsisse varietates: quae et sensum confundunt, et mentem scriptoris incertam obscuramque relinquunt. Quod processisse arbitror ex contendentium partibus in hac gravi dijudicanda quaestione. Interim, ut, quam fieri possit, nobis pateat harum litterarum sensus, illud primum, quod Origenis damnationem spectat, consideremus; quam nonnulli super has litteras statuere existimarunt: et contra quos haec opponimus lecta in paragrapho 2: « Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit, antea et quis fuerit, et in quae processerit verba, nostrum propositum nescit. Quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper super hoc conferam sanctitate etc. »

Si quorumdam criticorum lectio, qui, ubi dicitur *nescit*, legerunt *nescivit*, acceptanda foret, videretur Anastasius ingenue suam professus inscitiam de Origene; quasi ante illud tempus, quo haec gesta sunt, eo usque ignorasse et personam et Origenis scripta. Quam lectionem tamen et expositionem tum Papae indecoram, tum contextui minus aptam abjiciendam duco. Ac ideo jure potiori tenendum, Pontificem in praefatis verbis se limpide testari, suo antea inesse proposito, nec disquirere quis ille fuerit et quae scripserit; sed versiones tantum investigare, unam, dico, latinam a Ruffino conflatam, et a Hieronymo alteram, de *Periarchon* libris. Quae versiones illa, idest Ruffini jam interpolata, et altera scilicet Hieronymi ex codicibus graecis interpolatis redacta, romanorum aures offenderant. Dictionis sane ordo et syntaxis ab Anastasio servata hoc respicit, siculi genuinus hujus pericopae textus: in quo conveniunt tres, quos consului, codices Bibliothecae Vaticanae. Quorum primus n. 360. ch. 124. haec tra-

dit « Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit, ante, quis fuerit, in quae processerit verba, nostrum propositum nescit. » Similiter legitur in altero Codice Vaticano Palatino n. 234. ch. 2. et in Codice Barberiniano n. 89. Item in Codice Vaticano n. 343. ch. 207. traditur : *Origenis autem dicta, cujus in nostram linguam composita derivavit, ante, quis idem fuerit, et in quae processerit verba, nostrum propositum nescit.*

Tres Codices cum particulam *et* abjiciant; et quam quaerimus, firment lectionem acceptam in vocabulo *nescit*, praemissus adstruitur sensus circa interpretationem latinam, quam Papa intendit Joannis submittere judicio: nullimode vero Origenis personam exquirens, qualis fuerit, sed tantum exactam sub Origenis cujusdam nomine versionem ex codicibus graecis, quippe fidei apostolicae contrariam. Ea propter de fidei integritate sollicitus Papa, cohibere studuit, quod pias purasque mentes turbaret civium romanorum. Sicuti et vox *ante* non ad pontificem ceu ignarum Origenis et librorum suorum refertur; verum ad id, quod ipse prius statuere vult de hac quaestione, ut inde ad alia nempe ad translationem librorum Origenis pergat. Vallarsius ad hunc locum: « Sensus, ait, perspicuus est, minime scilicet ad propositam quaestionem de Origenis persona et mente perquirere. »

Porro quae ibidem dicit Anastasius, hanc Origenis translationem puras obnubilare mentes, apostolicam fidem dissolvere, dogmata evertere christiana, Ecclesiam maculare, mores pervertere etc. cuncta ista scias *rapsodïam* constituere errorum supra memoratam; quos veteres Origenis hostes et calumniatores sub ejus nomine publicarunt jam ab aevo s. Pamphili, in ipsius Origenis probrum, vel in falsato *Periarchon* codice, vel separatim per libellos undequaque fusos ad simplicium illusionem. Cujus generis sunt, quae s. Hieronymus transcripta Romam antea ad Pammachium et ad Marcellam misit apposita praefatione; qua omnes, qui erant in eo codice errores, omnibus manifesti fierent. Istud porro insuper constat ab epistola 88. ejusdem Hieronymi ad Theophilum.

« Duplicem, inquit, gratiam beatitudinis tuae litterae praestiterunt: quod et sanctos et venerabiles Agathonem episcopum et diaconum Athanasium habuerunt portitores, et adversus sceleratissimam haeresim zelum fidei demonstrarunt. Vox beatitudinis tuae in toto orbe pertonuit; et cunctis Christi ecclesiis laetantibus, diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat; sed contortus et evisceratus in cavernarum tenebris delitescens, solem clarum ferre non sustinet. Equidem super hac re, et antequam scriberes ad Occidentem, epistolas miseram, ex parte haereticorum strophas meae linguae hominibus indicans. Ex Dei dispensatione factum puto, ut eodem tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes; et nostram, dum ignoras, sententiam roborares. Verum a te nunc admoniti, magis studium accommodabimus, ut hic et procul simplices ab errore revocemus. Nec timeamus subire odia quorumdam: nec enim debemus hominibus placere, sed Deo; quamquam ardentius ab illis defendatur haeresis, quam a nobis oppugnetur. Simulque obsecro, ut siqua Synodica habes ad me dirigas: quo possim tanti pontificis auctoritate firmatus, liberius et confidentius pro Christo ora reserare. Vincentius presbyter ante biduum quam hanc epistolam darem, de urbe venit, et suppliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat, Romam et totam pene Italiam, tuis post Christum epistolis liberatam. Adnitere ergo papa amantissime atque beatissime, et per omnem occasionem ad occidentales episcopos scribe, ut mala germina, acuta, ut ipse significas, succidere falce non cessent. »

Et ecce fontes, unde hauriens Anastasius, Origenis *Periarchon* libros latine translatos reprobavit, damnavitque. Nisi enim Papa Hieronymi et Theophili epistolas accepisset praesumptis erroribus confertas, instantibus quam maxime apud ipsum, ut ea scripta cum suo Auctore anathematizaret, nec Anastasius nec ceteri episcopi occidentales exarsissent adversus eos errores, quos ignorabant admisisse Origenem. Quum itaque ex versione latina sibi patefacti a Hieronymo fuerint, secundum hanc relationem Anastasius de illis decernit: quaeque decreverat, notificat Hierosolymorum Antistiti in citatis litteris.

Hoc autem quoad Theophili et Hieronymi studium adversus Origenis haeresim. De reliquo admodum animadversione dignum est nostra, quod ipse Anastasius de Ruffini versione objicit Joanni, quasi Ruffinus hanc librorum *Periarchon* translationem compegisset. *Origenes autem*, inquit, *cujus in nostram linguam composita derivavit* (Ruffinus); arbitratus reapse Ruffinum, talem concinnasse cum hujusmodi erratis interpretationem *Periarchon*. Quam perlegens, scandala veritus in Ecclesia, amplissime reprobavit; ac de interpretis fide quodammodo dubitavit. Nihilominus, quum jure meritoque ab Anastasio corriperetur Ruffini versio, non vidit ipse Papa interpolationes et additiones, quae eidem translationi irrepserant ex aliorum quam Ruffini calamo. Quamobrem in suspicionem cecidit Ruffinus interpres, et ejusdem versio reprobatur.

Cum autem haec omnia sensisset Ruffinus, quam sollicite Macario scribens, valde conquestus est de temere factis versioni suae additionibus; contra quas jam in Prologo *Periarchon* obtestatus erat. Ac itaque in Libro I. n. 14. adversus Hieronymum, eidem Macario locutus ajebat: « Ut autem scias quia et quod falsaturi haec essent, et praevidimus et praediximus.... Et tamen post ista omnia tam honorifica tamque horribilia adjurationum sacramenta, falsare haec et corrumpere non timuerunt illi, qui se credere dicunt, resurrectionem carnis futuram. » Et n. 15. addit: « Verum quoniam eorum fecimus mentionem, qui haec ipsa, quoque modo sunt, tamen, nisi falsa sunt, criminari ea ullatenus potuissent: ipsum caput, in quod manus falsarias imposuerunt, conveniens puto huic Apologiae nostrae inserere: ne me studio meo subtrahere putent hoc, quod illi, addito suo, falsa crimina obtendunt. » Et de hoc superius disputatum est.

Paulo post n. 17. pergit lamentatus de falsitatibus suae versioni insertis, deque scriptis suis temeratis, ut sibi inferretur infamiae nota. Ideoque quando Anastasius in epistola ait, Origenis libros idest *Periarchon* a Ruffino in linguam latinam translatos, puris mentibus nebulam coecitatis injicere et fidem majorum firmatam traditione, dissolvere, non nisi additamenta Ruffini versioni conserta, cum ejusdem Ruf-

fini et Origenis injuria, comprehendit: quorum additamentorum sensus revera *fidem apostolicam dissolvebant et Ecclesiam maculabant*. Quasque additiones in graecis Origenis codicibus ad manus habitis non legerat Ruffinus; nec idcirco per se neque in Origene probare, aut reprobare potuit.

Quoad autem Pontificis de Ruffino judicium in hac epistola emissum, unde quidam arbitrati sunt, adversus hunc absolutum nec hypotheticum anathema decrevisse Anastasium ob hanc *Periarchon* translationem (quod alterum constituit calumniae genus Ruffino inflictae) hypotheticum illud fuisse vel leviter erueretur ab ipsius Pontificis dictis, nisi quaedam huic epistolae subrepsissent varietates; quibus visus est Papa absolute damnasse Ruffinum. Attamen, his non obstantibus varietatibus in codicibus vel editionibus, ab hoc Papae responso excludi patet absolutam damnationem; praesertim si consideretur quod in n. 2. legitur: « Ruffinus, ait, de quo me consulere dignatus es, conscientiae suae divinam habet arbitram majestatem: apud quam se integro devotionis officio, ipse viderit, qualiter debeat approbare. » Nec aliter putans Anastasius, paulo post consentanee subdit: « Si vero interpres tantorum malorum consensum praestat, et legenda prodit in populos, nihil aliud etc. » Ubi pariter constat sermo hypotheticus. Quibus praemissis, consequitur illusos fuisse, qui in n. 6. abjecta particula conditionali *si*, legerunt *quod* erronee: « Itaque, ait, frater carissime, omni suspicione seposita, Ruffinum propria mente perpende, si (non quod) Origenis dicta in latinum transtulit, ac probavit, nec dissimilis a reo est, qui alienis vitiis praestat assensum . . . . Ipse denique viderit, ubi possit absolvi. » Cui lectioni duo codices suffragantur nuper citati nn. 360. et 234: et quam Vallarsius accuratus editor accepit probavitque.

Ex hac porro lectionis varietate, sicuti ex aliis ejusmodi relate ad Ruffinum interpretem, et ad Origenem auctorem, non latet illorum studium, quocum elaborarunt, ut uterque extra Ecclesiam fieret. Quinimmo de hoc posteri persuasi, ut magis invalesceret damnatorum culpa et anathema, alia de suo quoque addiderunt citatae Anastasii epistolae penitus a contextu et a mente ipsius Pontificis aliena. Quae qui-

dem cum ab editoribus admodum sollertibus in vera a spuriis secernendo, fuerint sublata, litterae integritati suae restitutae sunt. Verba porro intrusa post illa *qua re moti* n. 5. ita sonabant: « Qua re moti Origenis quidem scripta et errores damnavimus, interpretem vero, cum non satis neque sua praefatione ad libros Origenis, neque Apologia ad nos missa se repurgaverit; immo forte eisdem erroribus reipsa consentiat, Romam ad judicium Sedis Apostolicae vocavimus: et renuentem venire, eadem sententia involvimus. Sententiam autem damnationis fratribus nostris Venerio et Chromatio scripsimus. »

His autem ex epistolae textu amotis et inter nothas amandatis ab editoribus, subdunt: « Nunc ex Palatino Exemplari absque alienis additamentis integritati redditur locus: quem ante nos ex aliis bonae notae manuscriptis, Constantius quoque ad eumdem modum restituerat. » Et quidem merito, cum noverint, Garnerium quaedam suspicatum contextu excidisse, lacunam expleri posse censuisse illis verbis, quae mutato charactere in textum ipsum intrusit. » Ceterum ista cum praecedentibus ac consequentibus si conferantur, quis non sentiat absonum prorsus haberi hoc Garnerii additamentum; atque in contradictionem inducere Pontificem Anastasium?

Et en ab unius illusione quantae illusiones subsecutae sunt. Illusus s. Hieronymus in quaestione Origenis et Ruffini, undique in ecclesiis Occidentis provocavit illusiones, praesertim in posteris. Qui ipsius scripta percurrentes minus cauti, in eamdem illusionem arrepti adversus praefatos viros orthodoxos inclamarunt. Et eo usque progressi sunt in hac illusione, ut litteras quoque Papae Anastasii corruptas existimantes, conati sint integritati restituere, addentes quae s. Hieronymus sinistre ab eisdem deduxerat, aliter mentem interpretatus Pontificis Romani. Ac idcirco comparatis, quae scribit Anastasius in epistola ad Joannem et quae inde interpretatus est s. Hieronymus, concluditur primo, Romanum Antistitem nec scripsisse contra Ruffinum, nec hunc damnasse, nec lacerasse uti haereticum, ut putat s. Doctor: sed conscientiae suae reliquisse, ut videret, qua mente *Periarchon* versionem suscepisset. Ac itaque sub conditione locutus Papa

de Ruffino, inquit: *si interpres Ruffinus accuset auctorem; si consensum praestet* etc. ex quibus locutionibus excluditur absoluta Ruffini damnatio ex parte Anastasii.

Pariter, ab eadem epistola eruitur, Pontificem nec Origenem damnasse nec cuncta ejusdem scripta, sed tantum *Periarchon* libros olim per quemdam calamum infidum a suo originali dictamine corruptos, pluribus ideo scatentes erroribus et impietatibus. Qui latine versi, ac Romam missi, instante quam maxime Hieronymo, oblati sunt Anastasio Papae: quosque, ut par erat, intento scandalo, quod de his erroribus exoriri potuisset, sapientissime reprobavit, damnavitque.

Item, quod admodum nostra refert, ex Pontificis locutione infertur, neminem adhuc Romae, nec in ecclesiis Occidentis reperiri haereticum; nec ullius ideo personam nuncupasse Papam, qui tales errores vel probaret, vel profiteretur. Cum enim n. 3. dicat *harum impietatum auctorem voluisse dissolvere fidem apostolicam;* ac amplius subdat n. 5. *se vigilare, nequa profanae interpretationis origo subrepat, quae devotas mentes, immissa caligine, labefactare conetur*, clare ostendit nullum eo usque ab hac versione illusum in haeresim lapsum fuisse, quamvis animum Pontificis ingereret timor, hoc fieri posse. Et hinc illuditur Hieronymus scribens ad Theophilum, *totam Italiam liberatam ab haeresi*, cum nemo in Italia praesumptos Origenis errores profiteretur, videlicet nec Ruffinus nec ceteri in Occidentis regione cum eo probe sentientes de orthodoxa ipsius Origenis doctrina adversus aliorum insimulationes. Nec multo minus, ut putat s. Doctor, dicit Anastasius, *a praefatis viris defendi haeresim*. Haec autem a cella bethlemitica scribebat s. Hieronymus, malitiae ignarus Theophili, qui eum secum ad hanc opinionem traduxit contra Origenem; ac deinde ab amicis Occidentis illusus (in quibus Eusebius) qui falsa ei indicarunt de vero quaestionis statu in regione Italiae et praesertim Romae.

Demum ab his deducitur, non solum nec Romae nec in Occidentis regione reperiri, qui Origenis praesumptos errores profiteretur, sed neque ante hanc aetatem in ecclesiis Occidentis, nec in Africa sicuti supra dictum est, ullam invaluisse notitiam adversus ipsius fidem et scripta. Ideoque nisi

Hieronymus falsata ejusdem scripta latine versa Romam misisset ad Anastasium ut damnarentur, veluti in Libro I. contra Ruffinum perspicue dicit, suo studio, ipso curante, fuisse a Papa damnata, nec romana nec aliae occidentales ecclesiae uti Africanae, nondum novissent Origenis errores.

Postquam vero has congessimus discussiones circa Anastasii Papae litteras ad Joannem hierosolymitanum de Ruffino et de Origene, haud nobis praetereundum est, quod scribit Hieronymus in Epistola 97. ad Pammachium et Marcellam n. 4 : « Orate igitur, inquit, Dominum, ut quod in graeco placet, in latino non displiceat : et quod totus Oriens miratur et praedicat, laeto sinu Roma suscipiat. Praedicationem quoque Cathedrae Marci Evangelistae, Cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet; quamquam celebri sermone vulgatum sit, quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis haereticos persecutum; ejusque litterae doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est etc. »

Hanc epistolam Chronistae concordes statuunt scriptam fuisse circa annum 402. quando scilicet supremam diem obierat s. Anastasius. Quapropter cum s. Doctor in his litteris vota agit ut libenter Roma suscipiat, quae ipse de graeco transtulerat, idest epistolas Theophili, ubi praesumpti inscribebantur Origenis errores, ac una confidit, Petri Cathedram, Anastasium nimirum, confirmare, quae s. Marci Evangelistae Cathedra, nempe Theophilus, decreverat in Origenis damnatione, illius vota irrita manserunt. Papa enim Anastasius, ut dixi, mortuus erat. Hinc insuper eruitur ante illud tempus Pontificem (et hoc nostra satis interest) nullum subsignasse decretum adversus Origenem, nec solemni declaratione hunc nuncupasse haereticum pro confirmatione Synodi alexandrinae, cui praefuit Theophilus; verum tantummodo Anastasii censeri epistolam ad praefatum Joannem de Ruffino et de Origene eo sensu, quem supra discussimus. Et amplius arguitur, *celebrem sermonem vulgatum,* uti dicit Hieronymus, usque ad Orientem et ad aures suas, *damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum fuit*, falsum fuisse rumorem. Nec enim Anastasius damnavit Origenem, nec deinde ejusdem Papae successores, sicuti in sequentibus patefiet.

Et ob hoc denique circa Anastasii epistolam ad Joannem, quamvis reapse hanc scripserit, dederitque ei Papa: attamen dubitari posset, utrum ad nos pervenerit in sua sinceritate, et istud, ut dixi, ob quasdam codicum varietates et quaedam obscura dicta, quae mentem auctoris confundunt. Et propter quod interpretes valde laborarunt illas litteras ad genuinum restituere dictamen. Cui rei non nisi per universam hujus quaestionis historiam, consulendum esse puto.

His exactis animadversionibus supra Anastasii epistolam de Origenis libris et de Ruffino horum interprete, tria adhuc supersunt notanda. Primo, ab hujus epistolae exordio firmatur, quali animo hierosolymitanus episcopus Joannes se se gesserit erga Romanum Pontificem; qualive auctoritate in hac quaestione praepollentem consideret Petri successorem. Quem idcirco reverenter consulit, judicium suum praestolatus tum de Origene, tum de Ruffino *Periarchon* translatore. Quamvis enim epistola Joannis hucusque desideretur, ex responsi tamen exordio abundanter comprehenditur non tantum Joannis obsequium in Anastasium, verum etiam et ipsius Joannis eximiae virtutes, quibus in ecclesiae Hierosolymorum regimine tunc excellebat, propter quas s. Pontifex *virum omnium praestantissimum* vocat.

Secundo, ab eisdem litteris magnopere elucet, quanta prudentia beatissimus Papa hoc tam arduum egerit negotium: ita ut, cum hinc impia dogmata totum evertentia apostolicum depositum, quae sub Origenis nomine huc illuc per christianum orbem et fidelium manus tunc discurrebant ad pusillorum scandalum, damnaret: inde tamen in designatione auctoris harum impietatum, personae videlicet illius, qui talia sensit et scripsit, noluerit judicium instituere, a proposito suo istud existimans alienum. Ac ideo ajebat: « *Origenes autem cujus in nostram linguam composita derivavit, ante, quis fuerit, et in quae processerit verba, nostrum propositum nescit:* solummodo sollicitus Anastasius de latina versione *Periarchon*: et quidem non de ea, quam sincere ex fontibus graecis genuinis exegerat Ruffinus; sed de illa, quam pravatam ab amicis Hieronymi, undique consertis impietatibus, obtulerunt Pontifici anathematizandam.

Tertio, uti pontificii decreti consequentia, mutuis intentis contestationibus inter Ruffinum et Hieronymum de praesenti quaestione, liquido constat, liberum ad artem criticam patere aditum, interpretumque solidari arbitratum, sicuti antea ita et nunc, pro lubitu de Origene disceptandi, defendendi, prout quisque ex suo studio proficeret in perscrutatione ejusdem operum, quin Ecclesiae Catholicae vereatur reprehensionem. Qua libertate usi, nos quoque, ut dixi, impavidi in hanc, sicuti ceteri, qui nos praecessere, descendimus arenam, sacrosancta vindicaturi viri innocentis jura.



CAPUT XXIV.

Pergit disquisitio circa Epistolam apocrypham Anastasii Papae ad Simplicianum episcopum mediolanensem, in qua una cum suis scriptis indistincte condemnatur Origenes: studiose collatis quae deinde usque ad seculi V. finem de hoc argumento dicta sunt ab Ecclesiae scriptoribus.

Nemo nescit, quae hucusque de Anastasii litteris in causa Origenis hausimus, videri quodammodo infirmanda ab alia ipsius Anastasii epistola scripta ad Simplicianum episcopum Mediolani: ubi appareret ulla absque restrictione damnatus Origenes. Tenor vero epistolae sic se habet:

1. Grandem sollicitudinem atque excubias super gregem suum pastor habere adprobatur. Similiter et ex alta turre caussa civitatis diu noctuque cautus speculator observat. Magister providus navis hora tempestatis et periculi, magnam patitur animi jactationem, ne procellis atque asperrimis fluctibus navis elidatur in saxa. Pari animo vir sanctus et honorabilis Theophilus, frater et coepiscopus noster, circa salutis commoda non desinit vigilare, ne Dei populus per diversas ecclesias Origenem legendo, in magnas incurrat blasphemias.

2. Conventus litteris memorati, convenio sanctitatem tuam, ut sicuti nos in urbe Roma positi, quam Princeps Apostolorum statuit, et fide sua confirmavit gloriosus Petrus, ne quis contra praeceptum legat haec, quae diximus, damnavimus, et cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta, quae ex ore suo Dei et Christi docuit censura, ab hac recedi omnino non debere, sed illud in memoriam deduci, quod Paulus venerabilis Apostolus praedixit, atque commonuit: *si quis vobis evangelizaverit praeter quod evangelizatum est vobis, anathema sit.* Igitur hoc praeceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostrae contrarium, ab Origene quondam scriptum indicavimus, a nobis esse alienum atque punitum.

« 3. Haec sanctitati tuae scripsimus per Eusebium presbyterum, qui calorem fidei gestans, et amorem circa Dominum habens, quaedam capitula blasphemiae obtulit, quae nos non solum horruimus, et judicavimus, verum et siqua alia sunt ab Origene exposita, cum suo auctore pariter a nobis scias esse damnata. Dominus te incolumem custodiat, domine frater merito honorabilis. »

Cum itaque hanc epistolam (quovis modo alteri praeferendam ratione temporis) genuinae isti ad Joannem hierosolymitanum scriptae comparaverimus, pluribus indiciis convincitur esse commentitiam. Et primum quidem hoc convincit substantialis discrepantia, quae uni ab alia intercedit in ordine dictionis, ac vocabulorum usu. In litteris namque ad Joannem circumspectio sapientiae pontificalis digna ubique apparet: et praesertim in his, quae dicit Papa Anastasius, non esse propositum suum investigare *quis Origenes fuerit et in quae processerit verba.*

Et hinc paulo post uniformiter, minime de Origenis persona absolute loquitur summus Pontifex: ac amplius non nisi de translatis in latinum sermonem libris agit, eorumque corripit errores. Ex. g. scribit: *de translatis Origenis: in romanam linguam ista translatio*: *interpretatio profana.* Cujus interpretationis sensus utpote pravos haereticosque jure damnavit Anastasius. Et *usque illuc* tantummodo ipse ait, *formam suae sententiae processisse* in ejusmodi proscriptione. Ex adverso idem Pontifex in supposita epistola ad Simplicianum, absolute dicit ac universim mandat, ut nullus legat Origenem, ne in magnas incurrat blasphemias. Insuper nil de translatione horum librorum indicans, pariter absolute addit: *omnia ab Origene quondam scripta et punita*: item : *omnia blasphema cum auctore suo Origene esse damnata.* Quae sane expressiones, cum valde unae ab aliis dissonent, varium quoque manifestant auctorem harum epistolarum Anastasii nomine munitarum.

Secundo, quaedam etiam incongruae locutiones occurrunt in litteris ad Simplicianum, quae alium et fere ineptum constituunt harum auctorem. Postquam enim usque ad astra extulerit Theophili sanctitatem et honorem (qui tamen ex

praefatis discussionibus nobis repraesentatur improbissimus et scelestissimus vir) scribit, se ipsius litteris conventum sanctitatem Simpliciani convenire: *ut sicut nos*, ait, *in urbe Roma positi, quam Princeps Apostolorum statuit, et fide sua confirmavit gloriosus Petrus*. Et quid hoc sibi vult? fortasse Princeps Apostolorum alius erat a Petro glorioso? Profecto si unam eamdemque personam in ea pericope volueris interpretari, quod non inficior, tamen ab expositione uti habetur, necessario tibi fatendum erit valde incomptam haberi vocabulorum syntaxim, et hinc Anastasio indignam. Sed et amplius ibi est quid mirandum: *urbe Roma positi, quam Princeps Apostolorum statuit, et fide sua etc.* Quae item aliquam anomaliam praeferunt a communi Ecclesiae sermone.

Tertio, statim subdit Auctor epistolae: *cum magnis precibus postulavimus ut Evangeliorum instituta, quae ex ore suo Dei et Christi docuit censura, ab hac recedi omnino non debere*. In his pro sermonis nexu etsi desideretur particula relativa *ita*, sed tamen transeat, mirare novum ac peregrinum dicendi genus tam in usu vocabuli *Evangeliorum* quam in reliquis. De quibus rogo ut quis mihi demonstret, quo intendat particula *ut*, ac insuper quid sit *quae ex ore suo Dei et Christi docuit censura*.

Quarto, epistolae Auctor, ad Simplicianum locutus, has interserit voces *postulavimus, indicavimus, scripsimus*: unde videretur non de praesenti sed de praeterito loqui auctor epistolae, quasi alias litteras antea ille scripsisset de Origenis erroribus evitandis: cumque eodem tempore fateatur n. 3. se nondum novisse ac legisse horrendas blasphemias, quas ei obtulisset Eusebius, per cujus manus hanc epistolam ad Simplicianum dederat. Ceterum in litteris genuinis Anastasii ad Joannem hierosolymitanum, notatur ipsum Pontificem scripsisse de hac re ad Venerium episcopum Simpliciani successorem in urbe Mediolani; quin indicaret aliam dedisse antecessori suo. Item Hieronymus adversus Ruffinum in libro II. n. 6. tradit, Venerium ex Pontificis monitu denuntiasse Origenem haereticum, ac una silens de Simpliciano, qui aliam pariter antea accepisset de eodem argumento epistolam.

E quibus omnibus, intentis maxime quae ad sanctionem spectant Anastasii circa librorum Origenis prudentissimam proscriptionem in litteris ad Joannem hierosolymitanum, cum satis dissonent a sensibus in hac ad Simplicianum epistola expressis; additaque criticorum auctoritate, qui de hujus genuitate dubitarunt; valde suspicor, hanc a quodam Theophili patrono adornatam fuisse epistolam, istius famam roborandi causa coram Romano Pontifice, ac ejusdem Origenis fautoribus nocendi.

Porro sic dixi, valde suspicari de huius epistolae sinceritate, ne penitus falsam dicam, sensuum inspecta varietate istius ab altera genuina. Si enim uti genuinas habere quis velit has Anastasii ad Simplicianum litteras, certo ipsarum aetas restituenda esset ad annum 400. sicuti legitur in Annotatione Collectoris apud Passionaeum *in Editione Conciliorum* de Anastasii Papae epistolis: « Ex occasione, idest post Synodicam Theophili alexandrini, ait, datas censeo litteras hasce Anastasii; quem de origenistarum damnatione Alexandriae facit certiorem. Simplicianum vero anno 400. ante Junium mensem obiisse in notis meis ad Pagium in novissima Editione Annalium Baronii etc. demonstravi: ex quo consequitur, litteras istas ad Simplicianum haud serius Junio anni 400. dari potuisse. »

Item tantumdem patet ex Baronio, alteram de Ruffino et Origene ad Joannem hierosolymitanum (de qua nemini dubitadum est) datam fuisse ab Anastasio anno 402. et anno V. Anastasii ejusdem Pontificatûs, et in quo Papa supremam explevit diem. Quamobrem sequeretur in duabus epistolis Origenis causam pertractasse Anastasium, et quidem substantiali diversitate: ita ut una alterius dirueret sensum; ac Pontifex, quae antea dixit, retractasset de Origene. In primo namque decreto in litteris ad Simplicianum exposito, Anastasius scripta quaecumque Origenis cum suo Auctore damnata explicite et absolute declarat. In secunda vero epistola aliter loquitur Papa de Origene, emendatis, quae antea obsignavit in prima ad Simplicianum. In qua, nimirum ad Joannem locutus, non Origenis personam damnat, neque ulla ejusdem scripta originalia, graeco idiomate exarata: sed tantum-

modo quorumdam ipsius librorum, idest *Periarchon* latinam ex Ruffini opera translationem (et quidem, inquam ego, alieno calamo interpolatam) anathematizare se dicit.

Hoc autem vix putandum est admisisse Anastasium. Aut saltem, si ad hanc palinodiam coactus fuisset, paulo post quam primo subscripsit decreto, non omisisset in hoc secundo causas significare hujus retractationis, ne secum ipso pugnare videretur, aut animi sui ostendere instabilitatem. Ideoque et ab hoc latere supposititia reputanda est, quam praemisi Anastasii epistolam ad Simplicianum de Origenis anathemate; in suo tenore manentibus, quas ad Joannem dedit litteras.

Praeterea, probatis quae de hac ad Joannem epistola statuimus circa tempus et circa ipsius tenorem, quo scripta est, idest anno 402. seu quatuor menses priusquam obiret Anastasius, sequitur quoque s. Hieronymum illusum fuisse ab amicis, aut vulgari fama, cum asserit in Libro II. n. 22. adversus Ruffinum: « Ergo beati episcopi Anastasius, et Theophilus, et Venerius, et Chromatius et omnes tam Orientis, quam Occidentis catholicorum Synodus, qui pari sententia, qui pari et spiritu illum (Origenem) haereticum denunciant populis etc. » Quod in Libro I. praefatus erat, inquiens: « Quid facient epistolae Theophili: quid Anastasii Papae in toto orbe haereticum persequentes? Et alibi subdit: « Ejusque (Anastasii) litterae doceant damnatum in Occidente quod in Oriente damnatum est. »

Si reapse, ut putat Hieronymus, Origenis libri ejusque persona tam in Oriente, tam in Occidente damnationem subiissent; et si publico decreto anathema sanxisset Anastasius ita ne cui liceret amplius vel legere vel habere eos libros praesumptis refertos impietatibus: cur paulo post et graeci et latini orthodoxi scriptores ecclesiastici suae aetatis propinqui, qui huic dicuntur subscripsisse damnationi; cur, inquam, isti tale neglexerunt decretum? nec episcoporum occidentalium nec Concilii alexandrini, nec Theophili Synodicae, neque Anastasii Papae veriti auctoritatem, Origenis discurrentes libros? alii valde dubitantes, nam haeretica docuisset reapse, suspicati de suorum operum interpolatione; et alii impavide ipsius dicta comprobantes, ab hareticorum numero amotum, inter Ecclesiae Doctores celebrarunt?

Sedulius presbyter sollers doctrinae Patrum, qui ei praecessere, investigator circa an. 430. in Epistola ad s. Macedonium, cui obtulit *Opus Paschale* ex Scripturis soluta oratione elaboratum, cum antea carmine dispositum illud edidisset, adversus obtrectatores suos inquit: « Nam si seculares litteras asseculi, aut divinis videbuntur libris instructi, debeat exempla veterum recensere, ne similia lacerare conentur injuste. Cognoscant Hermogenianum doctissimum legislatorem tres Editiones Operis sui confecisse. Cognoscant peritissimum divinae legis Origenem tribus nihilominus Editionibus prope cuncta, quae disseruit, aptavisse. Nec eorum quisquam laceratur mordacis linguae injuria; cum potius inde laudis consequantur argumenta; quod proventibus uberioris ingenii diligentius posteros fide noscendae veritatis instruxerant. » Profecto si Origenes tunc universim ab Ecclesia reprobatus fuisset ut haereticus, nescio qua temeritate Sedulius ipsum uti doctrinae sanae typum repraesentarit.

Sollius Apollinaris Sydonius, Doctor insignis, ut ait Gennadius, circa illud tempus in Epistola 2. Libri IX. ad Eufronium ait: « Neque enim cum Hieronymus interpres, dialecticus Augustinus, allegoricus Origenes gravidas tibi spiritualium sensuum spicas doctrinae salubris messe parturiant, non scilicet tibi partibus meis arida jejunantis linguae stipula crepitabit? » Ita locuto Sydonio, Origenem Hieronymo et Augustino comparante in spicis proferendis salubris doctrinae, satis quidem est, ut ab anathematis ictu excludantur tam persona tam ipsius libri.

Similiter ab eodem Scriptore educitur, nullius momenti tunc factos Hieronymi clamores ob praesumptam damnationem adversus Origenis libros, eorumque interpretem Ruffinum, quando in Epistola IX. Libri II. ad Donidium, se se referens ad Athenaeum Romanum, praeclare scribit, eo ipso tempore ibi legi inter scriptores sacros Augustinum, Prudentium, Origenem quoque latine versum a Ruffino. Inquit enim: « Nam similis scientiae viri, hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. Quos inter Adamantius Origenes Turranio Ruffino interpretatus, sedulo fidei nostrae lectoribus inspiciebatur. Pariter et prout sin-

gulis cordi diversa censentes sermocinabantur, cur a quibusdam protomystarum tanquam scaevus cavendusque tractator improbaretur: quamquam sic esset ad verbum sententiamque translatus, ut nec Apulejus Phaedonem sic Platonis, neque Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in usum regulamque romani sermonis exscripserint. » Sane ob Pontificis et Cleri Romani oculos in publico Urbis Gymnasio Origenis volumina a Ruffino versa cum Augustini et Prudentii libris ita legi, ac universim tunc accepta a fidei christianae lectoribus, sensum nostrum firmat de Auctoris et Interpretis doctrinae integritate; et hinc diversimode exponendas esse constat Anastasii Papae litteras, quam praetenderunt nonnulli et veteres et recentiores de Origenis ejusdem damnatione.

Circa idem tempus idest seculo V. Auctor *Praedestinati*, cujus superius meminimus, in Libro I. de Haeresibus nn. 82. 84. 85. Paternianos a Damaso Papa, Helvidianos a Siricio, Jovinianos ab Anastasio, ac deinde Pelagium et Coelestium ab Innocentio damnatos dicit. Attamen de Origene aut persona aut libris, aut origenistis transigit omnino. Quinimmo ex adverso cum Auctor videatur Anastasii tempora pertigisse, veterum testimonia recensens de Origenis doctrina, Origenem *catholicum* vocat; ejusque libros ab haereticis vitiatos fuisse ait. Item Theodoretus in pluribus et vario genere scriptis et praesertim in Compendio Haeresum (jam diximus) saepe libros Origenis memorat, eumque Ecclesiae Patrum albo inscribit; et haereticorum, qui sua aetate et antea invaluerant in orbe christiano, confutatorem celebrat.

Vincentius lirinensis (de quo superius egimus) in Commonitorio I. c. XXIII. primum valde Origenem extollit uti Ecclesiae Doctorem et prophetam. Secundo veluti errantem reprobat. Tertio quorumdam opinionem profert (quibus nec ipse resistit) existimantium libros Origenis fuisse corruptos: « Nam id (fuisse scilicet hos corruptos libros) ait, a quibusdam non catholicis tantum sed et ab haereticis traditum et scriptum est. » Ideoque si revera publicoque anathemate mulctati fuissent Origenis libri ejusque persona per Anastasium Papam ea ipsa aetate, qua vivebat Lirinensis; nec hujus anathematis emisisset mentionem; et hinc variam de Origene loquendi formulam adhibuisset.

Quinimmo Auctoris dicta ita exposita, praesumptum Anastasii decretum, sicuti putavit s. Hieronymus, adversus Origenem suosque libros, prorsus excludunt: ac genuinum et sincerum et communem Ecclesiae sensum proferunt de quaestione origeniana in ecclesiis tunc invalescente; ita ut cuique liceret extra anathematis metum de Origene in suo sensu abundare, quemadmodum praefati scriptores nullimode veriti sunt iniquam dicere Theophili sanctionem adversus Origenem et origenistas; probe scientes, quid sibi vellet decretum anastasianum de ejusdem libris.

Et sane ipse Vincentius nonnullos ait pro lubitu agentes, seduloque investigatis antiquorum monumentis praestantium virorum, nomen et genuina Origenis scripta encomiis esse prosecutos, falsatoribus hujus librorum remissis improbis et haereticis dogmatibus sub ejusdem nomine publicatis. Item alios notat Auctor ex adverso uti errantem condemnasse Adamantium, illusos, dico ego, ab illa recenti speciatim in Occidente vulgata historiola errorum: quam s. Hieronymus a Theophilo acceptam misit in Italiam ad amicos suos; unde aliqui scandalizati, ideo dubitarunt de orthodoxa Origenis doctrina; cum antea (ex ipsa Hieronymi confessione in Libro I. n. 22. adversus Ruffinum) ad Anastasii usque aetatem uti celebratissimi viri, famam illius gloriosam in hac praepollentem regione audivissent.

Idcirco cum tam ingenue Lirinensis exponat utramque de Origenis doctrina opinionem his diebus, idest Anastasii Papae, in Ecclesia vigentem: cumque insuper nec per se, nec per alios, nec multo minus per Pontificem Romanum Origenem vocet haereticum, nec anathematizatum, nec una cum eo Ruffinum, nec monachos nitrienses, nec ceteros Origenis patronos sub eodem anathemate vinctos, praeclare inferendum est, quali mente Anastasius litteras suas dictaverit ad Joannem hierosolymitanum circa hanc quaestionem; adeo ut firmanda sint, quae in praefatis de ea epistola discussionibus pertractata sunt. Quod magis adstruitur ex verbis, quibus Lirinensis concludit caput: « Sed illud est, quod nunc debemus advertere, etsi non ipsum (Origenem) libros tamen sub nomine suo editos, magnae esse tentationi: qui multis

blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui et leguntur et amantur; ut, etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum auctoritas valere videatur. » Haec verba explicant et confirmant, quae Anastasius rite indicavit Joanni hierosolymitano de versione latina *Periarchon*.

Sed et vehementer nos urgent ad dubitandum de solemni Anastasii Papae pronunciata sententia adversus Origenem, acta Synodi tertiae oecumenicae ephesinae: ubi episcopi qui convenerant, in fidei emissione frequentius adversus haereticos, in iis enunciarunt Arium, Eunomium, Apollinarem, Sabellium, Photinum, Paulum samosatenum, Manetem, Valentinum, Marcionem, quibus adjecerunt Nestorium. Ab hoc numero, praesumptis Origenis pravis sensibus praesertim contra Dei Filium, non videbantur excludenda istius nomen et secta. Eoque magis, quod ipsi quoque Patres in Synodo decreta firmarunt adversus Pelagium et Coelestium, qui ab initio hujus seculi V. in dogma catholicum insurrexerant. Ideoque cum Patres omnes Anastasii Papae aetatem attigerint; itemque cum nullimode eos hujus Pontificis sit praesumendum ignorasse statuta in Ecclesia proposita, et illud maxime contra Origenem et origenistas editum, valde dubitandum est, hac intenta Patrum omissione, an Anastasius talem adversus hos obsignarit damnationem, qualem videretur decrevisse, urgentibus Theophilo et Hieronymo.

Item invalescente Eutychetis haeresi, adunata est Synodus oecumenica IV. chalcedonensis: ubi Patres et Leo Papa veterum innovantes decreta adversus haereticos praesertim Christi divinitati mentitos, ab eorumdem numero excludunt Origenem. Nec insuper Leo Anastasii decretum citat contra eumdem et ipsius libros in epistola adversus manichaeos, quorum errores iidem reputati sunt, quos docuisset Origenes, uti videre est in anathematismis a Mansio in Supplemento Conciliorum editis et ab ipso Pontifice designatis.

Similiter Felix deinde Papa Petrum Fullonem corripit, quod veterum haereticorum amplexus sit impietates, idest Valentini, Marcionis, Basilidis, Photini, Manetis, Arii, Sabellii, Apollinaris, Pauli samosateni, Artemii, Nestorii. Attamen

ab horum censu exclusit Origenem. Si enim vere errasset Origenes ac impietates hujusmodi admisisset ac ideo ab Anastasio Papa damnatus, socium Fullonis una cum aliis haereticis nuncupasset Felix.

Verum, quod magis praestat, huc quoque revocandum est Gelasii Papae in Concilio Romano decretum an. 496. ubi primum sacri ab apocryphis decernuntur libri. Deinde scriptores recensens ecclesiasticos, de Ruffino inquit Papa, se in eo damnare, quae damnavit Hieronymus; et in Origene ea ipsa abnuere, quae idem s. Doctor refutat. In qua expositione cum Origenis personam excludit a damnatione Gelasius, ita et omittit Anastasii praedecessoris decretum: nec amplius dicit, quod Origenem respuerit, aut damnarit Anastasius, sed quod in ipso refutarat Hieronymus. Insuper quando Gelasius Papa ait, se in Origene et Ruffino damnare, quae Hieronymus damnat; cumque item probatum fuerit neutrum eorum errasse; tunc ipsius Papae stat sententia *De Vinculo Anathematis,* huic Operi praemissa: *Non erranti autem nec poena anathematis potest esse*: *quae non erranti non debetur inferri.*

Demum si explicite, si publico decreto antea Anastasius et scripta et eorumdem auctorem anathematizasset Origènem; qua praediti erant Gelasius et cum eo ceteri episcopi antiquarum constitutionum scientia, aliter, sibi innotescente Anastasii sententia, de eo pronunciassent. Quod autem nobis magis suffragatur, legitur in fine decreti Gelasii; ubi peculiari mentione haeresiarcharum nomina notantur ab ipso Papa, incipiendo a Simone Mago ad istam usque aetatem 496. Attamen in hoc catalogo Origenis origenistarum sectae principis nomen omnino desideratur: quod quidem non erat praetereundum, si Anastasius per totum orbem Adamantium inclamasset haereticum.

His praemissis de eorum Patrum testimoniis ea ipsa aetate vel proxime succedentium, a quibus praesumptum omittitur Anastasii decretum contra ipsum Origenem, necessario concludendum, quae scripsit s. Hieronymus adversus Ruffinum in Libro II. n. 22. inquiens, *beatos episcopos Anastasium Theophilum, Venerium et Chromatium et omnem tam Orientis quam Occidentis episcoporum catholicorum Synodum, sen-*

tentia uti spiritu pares, Origenem haereticum denunciare populis, nequaquam tantam praeferre auctoritatem, ut ceterorum, quos nuper nuncupavi, superent testimonium; qui aliter viderunt et interpretati sunt Pontificis Romani decretum circa Origenem, ejus libros et personas eorum, qui ab haeresi illum defenderant.

Et quidem jure Origenis patroni seorsim ab opinione Hieronymi comprehenderunt synodorum orientalium decreta contra Origenem et origenistas. Jam enim palam constiterat, illas synodos tam in Nitriae monasteriis, tam Alexandriae sub dominatione, perfidia et violentia Theophili congregatas esse. Item nec latuit, quomodo s. Epiphanius illusus, coram Cypri episcopis legit Theophili ipsius epistolam synodalem, vel melius libellum famosum adversus Origenem et monachos nitrienses. Similiter nec ignoratur, quod Constantinopoli factum est de eadem quaestione, renitentibus s. Joanne aliisque sanctis episcopis, coram Concilio obtestatis adversum Theophili et Epiphanii decretum. Ac demum nota fuerunt eis, quae sapientissime Romae judicavit Anastasius Papa respondens Joanni hierosolymitano, qui de hac re Romam misit Petri successorem consulturus.

Insuper quoad episcoporum occidentalium synodos, quas dicit s. Hieronymus consonuisse orientalibus, hucusque desunt documenta dignoscendi gratia, ubi adunatae sint, Romae vel alibi, et quot convenerint episcopi: num dioecesanae fuerint, an provinciales. Quomodo in his synodis proposita sit quaestio Origenis; num de persona ejusdem, an de libris, vel de cunctis, vel de quibusdam uti ex. g. *Periarchon*, num de Origene solo, vel de suis quoque asseclis in quibus Ruffino, actum sit, adhuc nescimus. Num fortasse supra eamdem basim et eumdem processum episcopi occidentales instituerunt judicium et condemnationem Origenis sicuti orientales? Nunquid in occidentalibus synodis actum est de Origene et sociis ejus secundum Theophili relationem, quam dicit Hieronymus, ipsum misisse Romam ad Pontificem pro eorum sanctione, quae in monasteriis Nitriae et Alexandriae gesta sunt contra Origenem et monachos, et postea Constantinopoli innovata? ita ut occidentales episcopi normam ab eis-

dem actis desumerent in Origenis damnationem et eorum pro eo pugnantium?

Attamen, quomodocumque sit, in Orientis et Occidentis ecclesiis post Anastasii obitum, non obstantibus praefatarum synodorum definitionibus, quas in cella bethlemitica clausus, s. Doctor, hominumque perversitatum nescius, scripserat adversus Ruffinum, aliter putatum est de Origene ejusque scriptis fere universim commendatis: adeo ut Romae quoque paulo post in Athenaeo legerentur, lectionibus conserta ss. Ambrosii et Augustini. Et haec satisfiant circa suppositam Anastasii Papae epistolam ad Simplicianum de Origene suisque libris, alteri collatam ad Joannem hierosolymitanum.

Postquam vero plura discussa sunt de s. Hieronymi dictis adversus Ruffinum, ubi quaedam non tantum historiae contraire viderentur, sed et ab eo alibi tractatis, ac potissimum in iis, quae Romae scribit evenisse in Pontificatu Anastasii circa quaestionem origenianam, omittere nolo, quod alibi obiter indicavi de libris Ruffini adversus Hieronymum et vicissim de libris Hieronymi adversum Ruffinum: valde nempe dubitandum esse de sinceritate horum librorum secundum Vallarsii editionem. Viderentur enim quidam calami tam in libris Hieronymi, tam in illis Ruffini glossas furtive intrusisse, ita ut de parvis libellis, veluti in sua origine legebantur, valde ii adaucti fuissent additamentis extra Auctorum mentem. Quatuor codices Bibliothecae Vaticanae legi, ubi hanc decerpsi varietatem, et hinc suspicionem de sinceritate editionis Vallarsii. Quocum explicari posset, cur in his libris circumstantias quasdam notet Hieronymus de Anastasio circa Origenis damnationem, quae inconsideratae manserunt apud successores suos.

Demum in s. Hieronymi excusationem, siqua praeter historiae veritatem adjecerit in suis scriptis de veraci quaestionis origenianae conditione Romae sub Anastasio Papa, non est omittendum, uti multoties indicavi, hinc inde ab Aegypto et ab Italia ipsum fuisse in errorem traductum; ab Aegypto per Theophili perfidiam, et ab Italia, per immodicum Eusebii zelum et temeritatem adversus Ruffinum. Et quidem ex istius speciatim narrationibus videtur Hieronymus duos

primos compegisse libros adversus eundem Ruffinum, priusquam legeret quae contra seipsum ille scripserat. Et hoc significavit Vallarsius *Admonitione* in Libros Hieronymi contra Ruffinum : « Tunc recrudescente, ait, in dies magis inimicitiae vulnere, duos *Invectivarum* libros anno insequenti 401. in s. Doctorem procudit : quibus ille nondum lectis, sed tantum ex ore amicorum ex parte auditis, respondet tribus hisce apologeticis libris, quos ad annum 402. refero ex duobus ipsiusmet Hieronymi testimoniis ..... Tertio tamen respondet Ruffino, jam hujus libris acceptis. »



CAPUT XXV.

1. *Theophili et Hieronymi inconstantia in Origenis dijudicanda doctrina:* 2. *simplicitas, ut ipsi ajunt, quacum Ecclesiae Patres, sive episcopi Origenis scripta legentes, ante illud tempus non comprehenderint ipsius nefandos errores:* 3. *modicus illorum numerus, qui Theophilo et Hieronymo convenerunt adversus Origenem, universim tunc erga eumdem vigente studio:* 4. *hypocriseos insimulatio origenistis ab utroque inlata: haec quatuor capita ultimum et ineluctabile constituunt argumentum Theophili et Hieronymi illusionis, et Origenis cum suis victoriae.*

Postquam diligentem exegimus disquisitionem in Anastasii Papae litteris ad Joannem hierosolymitanum, et amplius historiam percurrimus ecclesiasticam, Patrum investigantes dicta usque ad Gelasium Papam: ubi nullam invenimus Romanorum Pontificum-Encyclicam, nec ullum synodorum decretum adversus Adamantii et origenistarum haeresim: sed ex adverso, quod antea putatum est de orthodoxia Origenis, inter priscos Ecclesiae Patres honorati, deinde post Anastasium perseverasse ostendimus: consequitur, quod antea praemisi circa originem, progressum et genuinum hujus quaestionis statum aliter, quam generatim hucusque persuasum fuit, magnopere firmari.

Et quis non putarit, sedulo perpendens acta in Aegypto et Constantinopoli a Theophilo de monachis Origenismi insimulatis, sicuti Hierosolymis de Joanne, et Romae de Ruffino ejusque sociis, instante Hieronymo: quis non cogitarit, dico, nec viderit, in hoc conflictu nequaquam comprehensam fuisse quaestionem dogmaticam, quasi disputaretur de quodam fidei articulo (etsi Theophilus et Hieronymus conati sint ad istud revocare quaestionem) sed reapse disputantes pro Origene, se se continuisse in quaestione critica; et hinc ipsam adeo varium omnino praeseferre characterem, ut quisquis pro lubitu suo de ea ageret, disceptaret sive contra sive pro, quin haereseos argueretur, nec ullimode Ecclesiae vereretur anathema, nec Dei judicium novissimum?

Et hoc sane ita se habere patet tum ex monachorum aegyptiorum protestationibus coram Theophilo in Synodo alexandrina, coram Joanne Chrysostomo et Epiphanio, tum ex nuper censita Ruffini fidei professione: qui pariter testati sunt, se universim et singulos Ecclesiae Catholicae consentire, ac cum ea convenire in damnatione errorum, blasphemiarum et impietatum, quarum fit mentio in epistola Hieronymi ad Avitum, et in epistolis Theophili et Epiphanii; et quae fuerunt Origeni inscriptae. Ast una obtestabantur se valde suspicere, quinimmo firmiter opinari, calamum fraudulentum in ipsius scripta irrepsisse, ejusque corrupisse sensum, adeo ut pravarum opinionum, quas non tenuit nec scripsit, iniquam subierit insimulationem. Et de hoc amplissime convictos esse dixi praefatos viros, alias scientia probatissimos, fide ,et pietate, ac valde scriptorum veterum peritos. Ideo enim haud eos latebat, ecclesias romanam, africanam, palaestinensem et constantinopolitanam usque ad illud ignorasse tempus, in tot sphalmata lapsum esse Origenem; sed ex adverso de eo propitiam et gloriosam ubique audivisse famam, *vir apostolicus et ecclesiarum magister* nuncupato.

Quapropter juxta ecclesiastica statuta patet, cum Theophilus in Oriente adversus monachos aegyptios, et Hieronymus in Occidente adversus Ruffinum ejusque asseclas dimicantes, Origeni adscriptas insectati pravatas doctrinas, jure quidem Ecclesiae judicio submitterent anathematizandas, gratis tamen ambos anathemati obnoxios praetendisse citatos viros. Qui orthodoxam professi fidem, judicium singuli instituerant privatum, nequaquam disceptantes, num scilicet supposita Adamantii blasphema dogmata in sensu catholico forent nec ne acceptanda, vel defendenda, aut interpretanda uniformiter apostolicae traditioni, quod nunquam animadverterunt; sed cum de his horrescerent, persuasio iis intima invalescebat de falsatione librorum Origenis. Propter quod noluerunt personae ejus subscribere anathema; nec genuinos ipsius libros, in quibus orthodoxam explanans et contra haereticos et impios vindicans doctrinam, valde de Ecclesia Christi meritus est, condemnare. In quo diuturnam usque huc insumpsi operam, tale quid ostendens ipsius sin-

ceris supervenisse libris, satisque firmis argumentis propositum exornans, adeo ne sit dubitandum amplius de eorum interpolatione.

Praeterea, quod in causa Ruffini et monachorum dixi, quippe non fuerint anathemati obnoxii ob ea, quae de Origene opinati sunt, illud idem jam sapientissime indicavit et distinxit Anastasius Papa, rescribens Joanni hierosolymitano de Ruffini conditione roganti, an post damnatos errores, qui Origenem auctorem praeferebant, Ruffinus ipse haereticus reputandus esset: « Itaque, respondit Papa, frater carissime, omni suspicione seposita, Ruffinum propria mente perpende; si Origenis dicta in latinum transtulit ac probavit, nec dissimilis a reo est, qui alienis vitiis praestat assensum. Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nec scire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi. »

Post hoc, nostro valde proficiet argumento non solum Ruffini sed et monachorum nitriensium, Chrysostomi et aliorum sententiae erga Origenem stabilitas: a qua non decessere, nec retractarunt, nec unquam de ea dubitarunt, personam cum suis scriptis orthodoxam fuisse existimantes. Et in hoc maxime veterum Patrum traditionem fecerunt; quamque nos ab huius Tomi initio citatam studiose expendimus. Ex adverso tamen in hac eadem quaestione se se continuerunt Theophilus et Hieronymus, nullam in suis dictis promittentes firmitatem. Quamobrem jure Ruffinus in Libro II. n. 6. exprobrans Hieronymo, ait: « Numquid illum imitabimur, qui reos nec interrogatos, nec respondentes condemnat, et non solum non respondentes sed et mortuos: et non solum mortuos, sed et eos, quos semper ante laudaverat; et non solum eos, quos laudaverat, sed et quos secutus fuerat, et magistros habuerat? »

Et ita revera vidimus, quorum ingenium et doctrinam pietati conjunctam antea in coelum extulerat Hieronymus, deinceps ipsum eorumdem detrahere famae, non Origenis solum, sed et Eusebii, Didymi, Ruffini, Chrysostomi, ac ceterorum. Et amplius ab hoc factum est, ut per tot anfractus duceretur animus Hieronymi, ut nullum reperiret ubi con-

sisteret, locum: ac easdem simul pateretur animi turbationes, quas Theophilus ipse tulit auctor et suus in hac infaustissima quaestione magister et dux. Ambo enim, ut dixi, in primis Origenis labores, scientiam, ac pietatem ad aethera levarunt: deinde penitus respuerunt. Alias mediam percurrentes viam, quaedam Adamantii opera quippe utilia laudibus decorarunt, alia reprobantes condemnarunt. Et haec omnibus elucent, qui Hieronymi speciales de hoc argumento tractatus legerint; adeo ut Editores, qui probe Hieronymi dicta expenderunt, *nullibi*, dicant, in quaestione origeniana, *nullibi sibi constat s. Doctor : ubique sibi adversatur.*

Et quomodo non ita putandum erit de hujusmodi Hieronymi conditione in hoc conflictu? Quando enim ait s. Doctor, Origenem in commentariis divinarum Scripturarum sub Scholiorum vel Tomorum nomine, apte sapienterque scripsisse; adeo ut per illorum versionem latinam *romani cognoscerent quantum boni et ante nescierint, et scire tunc coeperint*; uti videre est in Prologo commentarii Evangelii s. Lucae et in altero Ezechielis; alibi ex adverso scribit, Tomos fere erroribus plenos esse. Cum autem ita dicit in Bibliorum nempe expositione et in genere homiliatico nequaquam offendisse Origenem: in aliis vero tractatibus et praesertim in libris *De Resurrectione, De Principiis, et Stromatum* putat profana, absurda, impiaque dictasse : « Quis, scribit in Epistola 84. ad Pammachium et Oceanum n. 7. quis latinorum ausus est unquam transferre libros ejus (Origenis) *De Resurrectione, De Principiis et Stromatum ?* »

Et hoc ait, quasi praesumendum esset, aliud tempus, aliam materiam, alium scopum ob oculos habuisse Origenem, quando tam diversa et prorsus contraria scripto mandarit: seu quasi dogmata discussa vel ex professo, vel obiter in Bibliorum sacrorum interpretatione, ac praesertim homiliis in vetus et novum Testamentum, non eadem essent, quae pertractavit in Libro *De Oratione, De Martyrio, contra Celsum* et praecipue in *Periarchon*, in *Stromatibus*, et in duobus Libris *De Resurrectione;* in quibus maxime laboravit adversus haereticos, et gentiles: hoc est de Deo disputans, de Trinitate, de Christi divinitate, de Incarnatione, de anima, de an-

gelis, de libero arbitrio, de vita futura, de resurrectione et de similibus, et ut summatim dicam, de toto Religionis Christianae aedificio. Ideoque cum tot et tanti sint articuli ab Origene discussi et tam arcte sibi inhaerentes, ut vix reperiatur argumentum, quod vel hic, vel illic saltem obiter non memoretur aut discutiatur: accepta Hieronymi hypothesi, sequeretur sibi aperte in eadem re contraire Origenem, sancta scribentem in exponendis Scripturis, et impia in aliis tractatibus.

Nec insuper suspicari licet, ista et illa pro variis vitae suae intervallis scripto mandasse, adeo ut, quae prius probavit, postea reprobarit; aut potius quae in juventute pie docuit in explicandis Scripturis, deinde senex in pravam partem commutasset per illos libros *Periarchon*, *Stromatum* et *De Resurrectione*, seu vicissim. Nec istud quoque putandum est. Origenes enim sermone et scripto auspicatus est curriculum suorum studiorum e Libris divinis, in quibus usque ad obitum perseveravit. Ac interea sicuti opus erat, aut pro didaschalio tum adversus haereses, tum ethnicos commentariis seu homiliis in sacram Scripturam interponebat tractatus speciales ex his memoratis, veluti ab his infertur: adeo ut *Stromatum* libri, *Periarchon*, et *De Resurrectione*, vel praevenerint, vel subsecuti sint, aut dimidiaverint multiplices suos in Scripturas sacras labores. Ex. g. Commentariorum *in Joannem* partem scripsit in virilitate: quinimmo ab his auspicatus est, ut ipse dicit in praefatione, exegesim Bibliorum; libros vero contra Celsum scripsit sexagenario major.

In utroque opere, cujus adhuc superest textus graecus, nemo est, qui errorem aut blasphemiam corripiat, ex iis dico, de quibus accusatur a Theophilo et Hieronymo. Item constat quoque in eo intervallo Origenem scripsisse *Stromata*, *De Resurrectione*, et *Periarchon*: ubi cujusque generis errores et falsitates dicit Hieronymus coacervatas esse, et quidem eadem sancta dogmata conculcantes ac diruentes, quae antea et postea propugnavit *in Joannem* et contra Celsum, sicuti in ceteris commentariis scripturalibus. Ita ut dicendum foret, ex. g. Origenem Christi divinitatem, et poenarum aeternitatem in vita futura et alia hujusmodi propugnasse pri-

mum, deinde negasse, ac tertio denuo confessum esse. Quamobrem, cum ita non praesumatur, ipsum in his tractatibus, quos Scripturarum inseruit expositionibus, tàm contraria docuisse, pia cum impiis commiscentem, profana cum sacris, et hinc quotidie sibi adversatum in tanti momenti quaestionibus: concludendum ergo est, quae in Bibliorum commentariis orthodoxe dictavit, eadem in ceteris firmasse libris; qui etsi varios praeferant titulos, doctrina tamen eorum eadem est, ad eumdem mirata scopum, sicuti fides una semper extitit, quae ad credendum et scribendum movebat Origenem.

Quare, his praemissis de s. Hieronymi instabilitate et incohaerentia in scriptis Origenis dijudicandis, si (veluti de seipso ait in Libro I. n. 12. adversus Ruffinum) si Romanus Pontifex Anastasius miro odio detestaretur origenistas, operatus est suus stilus: si totus orbis, qui simpliciter legebat Origenis libros, instante ipso Hieronymo, in eosdem postea exarserit odium: si ipse decreta principum, quibus ab Aegypto expellerentur origenistae, suggessit etc. lector inde decernat et illationem deducat.

Secundo, s. Hieronymus in citato testimonio inquit totam orbem antea *simpliciter* legisse libros Origenis, adeoque non comprehendisse errores eisdem insertos. Quod idem innuit Theophilus in suis epistolis, Origeni exprobrans quod ita senserit in sua doctrina, arbitrato, neminem unquam fore, qui aliquando ipsius errores intelligeret et confutaret.

Hac sane accepta hypothesi, inferendum esset totum orbem in legendis, exponendis et interpretandis Adamantii scriptis, non comprehendisse haeretica dogmata, quibus inspersa erant. Verumtamen ex hac Theophili et Hieronymi sententia magis puto imminui horum auctoritatem; et amplius confirmari propositum nostrum, cum priscorum de hac re investigentur monumenta Ecclesiae Patrum ante s. Doctoris et Theophili aetatem, vel priusquam ambo haec scriberent de Origenis doctrina. Hac enim aetate et antea hucusque noti pietate et eruditione insignes eminuerunt in Ecclesia Dei Hyppolitus, Gregorius Neocesareae, Dionysius alexandrinus, Pamphilus, Eusebius, Athanasius, Ambrosius, Gregorius nazianzenus, Theotimus Scythiae apostolus, Chrysostomus, ce-

terique ab hujus Tomi initio memorati. Quorum alii ab ejusdem Origenis ore dicta audivere, alii genuinos illius libros legerunt, verterunt, exposueruntque ea *simplicitate*, qua scripti fuerant, idest ab erroribus immunes et impietatibus, quibus impetitus est a Theophilo et s. Hieronymo: nequaquam vero illos tali legerunt ac considerarunt *simplicitate*, ut ignorarent eorum sensum, quo scripserat Auctor.

Aliter porro mihi satis arduum videtur, fereque incomprehensibile, tot sanctos viros et martyres Origenis discipulos, quorum scripta usque hodie fidei sinceritatem spirant et scientiae claritatem in rebus sacris, ac reliquos, qui successere, Ecclesiae Doctores, et universim cunctos orbis christiani episcopos ad centum quinquaginta annos post Origenis obitum tam *simpliciter*, ut vult Hieronymus, legisse illius libros, ut non animadverterint dogmata tam peregrina, tam prava, tam impia de Deo, de Trinitate, de Incarnatione, de vita futura, de homine, de angelis, de anima, aliaque absurda de resurrectione, quibus eos scatere asseverarunt Theophilus et Hieronymus.

Et quali *simplicitate* putandum erit, cunctos praefatos et episcopos et Doctores praeditos fuisse, ita ut Dei omnipotentiam non comprehenderent, ut ignorarent Christum esse Deum, ac nescirent, poenis sempiternis mulctandos esse daemones et reprobos; nec intelligerent corporum resurrectionem, pro qua tam pugnarunt veteres: neque scirent mundi creationem ex nihilo, nec hominis primi conditionem, nec ejus arbitrium, nec ejusdem naturam et statum diversum ab angelis, nec, summarie dicam, constitutionem et regulam Fidei Christianae? Hujusmodi ideo *simplicitatem* arbitrandum ne foret tot Ecclesiae viros ad hoc latissimum temporis intervallum praesetulisse, ut haec omnia ignorarent, nec, Origenis libros percurrentes, his contraria eum docere senserint: nec propterea talium absurdorum Auctorem condemnarint? Et quis credet?

Tertio, inquit Hieronymus in praefata epistola ad Principiam n. 6: « *Et hinc refrigerata charitate multorum, pauci, qui amabant fidei veritatem, nostro lateri jungebantur,* cum his indicare volens, invalescente quaestione de Origene et o-

rigenistis, ac ferventibus disputantium animis sive pro, sive contra ejusdem doctrinam, paucos (ut ipse fatetur s. Doctor) secum convenire et cum Theophilo adversus Origenem in ejusdem damnatione. Cum aliter universa fere Ecclesia partibus susceptis monachorum nitriensium, Chrysostomi, Ruffini, Palladii, Joannis hierosolymitani, Theotimi, cum his conveniret, qui putarunt fidelem virum fuisse Origenem, pie in domo Dei versatum esse, orthodoxam professum, scriptoque mandasse doctrinam.

Numquid ergo acceptandum erit, quod ibi dicit Hieronymus, ideo nimirum plures sibi et Theophilo contrarios, accessisse Origeni suisque patronis, eo quod *horum charitas esset refrigerata*, *nec fidei veritatem amarent?* absit. Plures jungebantur lateri monachorum, Chrysostomi, Theotimi adversus improbum Theophili decretum, luculenter scientes ex Patrum traditione sinceram Origenis fidem, ac pie in Ecclesia defunctum, ejusque memoriam cumulatam *viri apostolici fama*, *magistri ecclesiarum*, *et mallei haereticorum*. Quam famam, nec Hieronymus negavit aliquando, tam late fuisse in orbe cristiano diffusam.

Praeterea, quomodo suspicari licuerit, fere universum (paucis exceptis) episcoporum coetum cum Chrysostomo ceterisque, Origenis propugnasse causam, et cum eo tam impia propugnasse dogmata nuper descripta, quibus totum convellebatur Christianae Religionis aedificium? Num adeo mente hebetes erant episcopi, ut nescirent, se in defensione Origenis mentituros fuisse Christi divinitati, pro qua praedecessores in Synodo nicaena et postea usque ad sanguinis effusionem dimicarunt adversus arianos? Et sic praesumendum esset de ceteris erratis non minoris momenti, quorum auctor insimulatus erat Adamantius; et quibus consequeretur convenisse plerosque ecclesiarum antistites, et eos verisimiliter antea in synodis adunatos contra hujusmodi pravas opiniones. Ita ne putandum erit? nequaquam. Sed accessisse eos tenendum est lateri Chrysostomi et aliorum (paucis relictis cum Theophilo et Hieronymo) amplissime sibi conscios Origenem nec errasse, nec haereticos fuisse monachos, nec ideo frustra Chrysostomum cum suis illorum suscepisse patrocinium, sicuti manifestissime in praecedentibus declaratum est.

Quare *multi jungebantur lateri* Origenis non haeretici sed catholici. Seu melius multi jungebantur lateri monachorum nitriensium et ceterorum, et quidem non haereticorum sed orthodoxorum, adversus iniqua Theophili decreta et Hieronymi et Epiphanii illusionem; in qua tamen postea se captum esse sensit Epiphanius. Pauci, dicam, jungebantur lateri Theophili et Hieronymi, quippe praeclare compererunt, quali artificio, quali perfidia contra Origenem et origenistas aggressus erat quaestionem Theophilus. *Non erat refrigerata nec charitas, nec fides multorum*, ut putat Hieronymus, ita ut haeresi vel haereticis participarent; sed refrigeratus erat sensus multorum erga Theophilum ob ea, quae patraverat in viros sanctos et innocuos. Et ob hoc alienati plerique ab ipso Theophilo, juncti sunt illis, qui non tantum orthodoxe sentiebant et sincere: sed et qui immaculatum, ac integerrimum vitae regimen continuerunt, quotidie proficientes in scientiam sanctorum, ita ut post ab hoc seculo discessum coelesti gloria participes honorati sint a fidelibus, ac martyrum quoque titulo cumulati. Aliter vero (si Hieronymum et Epiphanium exceperis revera sanctos et doctos viros, et quosdam, timidos et ignaros) ceteri, qui Theophilo adhaeserunt, veluti ex praecedentibus Innocentii Papae litteris constat, haud bonum per ecclesias emittebant sanctitatis odorem.

Novissime ex hac limpida Hieronymi confessione de modico fidelium numero, qui secum et Theophilo convenerant adversus Origenem et origenistas, cum praemissae discussionis additamento, magis ac magis nostrum invalescit propositum pro Origenis doctrina suisque defensoribus.

Quarto, item impar Theophili ac Hieronymi judicium in Origenis et origenistarum causa, constituitur non solum in praesumptis erroribus; verum et, quod grandem provocat admirationem, in hypocriseos labe eisdem origenistis inflicta. Ita ut, quamvis celebrati viri, presbyteri nimirum, monachi, et episcopi in Aegypto, in Palestina et alibi, manifeste ore et scripto orthodoxam et catholicam emisissent fidei professionem, ac una anathematizassent haeretica dogmata pravasque opiniones Origeni adjudicatas (nisi quod Origenem talia putarint nec tenuisse, neque scripsisse): nihilominus,

nescio sane qualibus argumentis, simulatam et fictam ipsos exhibuisse arbitrati sunt confessionem Theophilus, et Hieronymus: et ob hoc ab eosdem insectando non destitere tanquam fidei verae simulatores.

Superius fidei confessionem ecclesiae Palaestinae, Synodo nicaenae consentaneam obsignavi, quam Joannes Hierosolymorum episcopus ac presbyteri coram Epiphanio palam emisere. Attamen Theophilus idem ad Hieronymum scribens (Epist. 89.) ait, fugatis ab Aegypto Origenis sectatoribus, Ecclesiae pacem redditam esse: « Atque utinam apud vos quoque (in Palaestina scilicet) deponerent hypocrisim, qui occulte dicuntur subruere veritatem. » Item hoc volens Hieronymus exprobrat Ruffino in Libro III. adversus eum, talem vocans haereticum, quamvis ipse se profiteretur catholicum.

Et ut summatim dicam, Theophilus et Hieronymus concordes adversus Origenem et origenistas, cum Magistrum versipellem vocarint, discipulos quoque idest monachos nitrienses, Ruffinum ceterosque pro Origene pugnantes, audita eorum fidei professione juxta statuta nicaena, nec valentes huic contraire, ad hypocriseos criminationem conversi sunt: « Soli sunt, inquit s. Hieronymus in Epistola 97. n. 2. soli sunt hujus haereseos sectatores, qui cum ecclesiasticis non valent foederari: quia quod sermone coguntur dicere, mente condemnant. Et siquando aperta blasphemia publicis auribus fuerit revelata; et viderint contra se audientium turbam circumfremere, tunc simulata simplicitate, dicunt se audisse primum, quae Magistrum dicere ante nescierunt. » Ac propterea hac illusione ductus Hieronymus, pergit eosdem vellicare, tales vocans *poenitentiae simulatores*, *haeresi jungentes perjurium*, *perfidos*, *illusores*, *hypocritas*, *pelle aethiopica pardique indutos*.

Hujusmodi porro crimen universim monachis, iisque praesertim, de quibus hucusque egi, validum nobis praebet suspicandi, ne dicam, asseverandi argumentum, eosdem ita insimulatos, haberi orthodoxos et a quavis haereseos nota immunes. Impossibile namque in primis est, admissis tot Origenis erroribus et blasphemiis, uti putarunt Theophilus, so-

ciique, impossibile est, Ruffinum, Palladium, Joannem hierosolymitanum, Evagrium, ceterosque nitrienses monachos palam nicaenam tenere sanctionem, fidemque profiteri catholicam, corde tamen et secreto tam prava dogmata fovere; ac una simul tam piam sanctamque, cui nemo mentiebatur, ducere vitam, quin et mores suos, vitaeque conversationem illis absurdis accommodarent institutionibus. Ruffinus *simulator*, Palladius *hypocrita*, Evagrius *illusor*, Isidorus *fictor*, Melania *nigra pelle induta*, monachorum nitriensium chorus *perfidus et perjurius*.

Et quae inde illorum utilitas? qualis spes in hoc hypocriseos studio? palam confitendo orthodoxam fidem, idem sentire cum Ecclesia Catholica, ac praeterea huic professioni consentaneam ducere vitam; pietatem, continentiam colere, cunctaque exercere virtutum genera? qualis usus in hac perfectionis via, hujusmodi pravos sensus in occulto tenere; qui nec sibi nec aliis proficerent; nec publicae opinioni, nec carnalibus concupiscentiis satisfacerent? Mentiri ex. g. dogmati de aeternitate poenarum, et eximium humilitatis et continentiae testimonium exhibere? Et haec omnia eo patrassent consilio ac vafritie, ut veritati illuderent, nullum sibi commodum comparantes. Hujuscemodi sane hypocriseos genus novum in Ecclesia foret, et hucusque inauditum.

Ceterum, cum ex facie sive palam accusatores nequirent, horum virorum adstruere perversitatem, idest nec ab ore, nec ab actis testimonium proferre adversus istos tamquam haereticos et pravos in fide; dominicam potius sententiam sedulo eos meditari complereque oportuisset; quam Anastasius Papa Joanni hierosolymitano circa Ruffinum eadem de causa obtulit considerationi, dicens ipsum in hac re suae conscientiae arbitrum habere Deum: *non sic homo ut Deus. Nam Deus videt in corde, homo videt in facie.* Adeo ut, cum tantum judicium de hominum corde ad Deum solum spectet, huic tantummodo supremo judici nec aliis nec sibi committendum esset in tam ardua expedienda quaestione; nec ideo illis liceret condemnare in monachis, in Ruffino, in episcopis ac in aliis Origenis defensoribus, quod soli Deo cordis scrutatori servatur.

Et quare, cum Romanus Pontifex inquit, *cum Deus videat in corde et homo in facie*, nec ideo ultra licere homini intima cordis penetrare, nec discutere, nec consequenter probare aut condemnare, quare, inquam, Theophilus in Synodo alexandrina supra humanam scientiam ascendens, existimavit audacter in corda monachorum nitriensium, qui coram eo palam fidem nicaenam professi sunt, penetrare, scrutari, et tanquam pravas eorum cogitationes rimatus, absque manifestis simulationis signis, hos corripere, damnare, anathematizare, haereticosque publicare, et uti impios a monasteriis expellere? Ubinam legitur in historia conciliorum, Ecclesiae antistites in confutandis haereticis, aut dubiis extricandis circa quorumdam fidem: ubinam constat eos, postquam horum legerint, vel audiverint ingenuam fidei professionem juxta ab eisdem decreta (uti videre est in actis Synodi nicaenae et Chalcedonensis) non solum dubitasse de hac confessione, sed et subdolam hanc fuisse et hypocriticam decrevisse, ut inde ob hoc tantummodo declarandi forent haeretici ac puniendi?

Quamobrem sicuti in hoc casu manifestatur luculenta Theophili perfidia, ita s. Hieronymi probatur illusio; qui sicut in ceteris, cessit sententiae episcopi alexandrini; cum putarit hunc in cunctis actis adversus origenistas animum integrum, zelumque praetulisse apostolicum: adeo ut, quae ad ipsum scriberet de processu contra monachos aegyptios, fuisse veritate communita crederet, proindeque undique propaganda.

Ideoque, quando ad hanc necessitatem redactos vidimus Theophilum et Hieronymum, ut ex defectu confessionis haereticorum, quos ita existimarint, haud in faciem eorum, sicuti oportuisset, haeresim in illis corriperent et damnarent tam pios viros, ceterosque Origenis fautores uti verae fidei simulatores; cunctos rogo judices, non solum num jure et juxta canones ecclesiasticos actum sit adversus praefatos viros; sed et quid, intentis ab initio praemissis, ab hac criminatione deducendum sit nostris disquisitionibus accommodatum. Concludam ergo, origenistas fuisse damnatos ob praesumptos Origeni inscriptos errores, et amplius non mediante ex-

terna ac probata confessione haeretica, quam nec sermone nec ab actis eorum probare ullimode potuit Theophilus: sed quod ita Theophilus in sua imaginatione, cordis penetralia soli Deo nota, scrutari, cognoscere, et hinc condemnare iniquissime praesumpsit.

Postquam vero diligenter haec quatuor capita discussimus, idest Theophili et maxime Hieronymi instabilitatem in dijudicandis Origenis scriptis: Patrum veterum simplicitatem in his legendis, quin ipsius caperent errores: numerum illorum modicum, qui Theophilo et Hieronymo adstitere adversus Origenem: ac demum hypocriticam fidei professionem imputatam origenistis; quid adhuc manet opponendum ne dicatur, Origenis haeresis et monachorum nitriensium et illorum, qui unius et aliorum susceperunt partes, super calumniam et illusionem implantata fuisse; ac ideo uterque non nisi ad terminum properare, quo cito vel serius properant calumniatores et illusi?

Cum autem ad finem accedamus nostrarum disquisitionum, huc congestis, quae valde Origenis prospiciunt orthodoxae fidei ac simul illorum catholicae professioni, qui Origenis ipsius partes sectati sunt, suam contexentes apologiam sicuti et operum suorum; si ex hoc diuturno, quem suscepimus laborem, consequentias deducere velimus; evidentissime primum constiterit, tres fuisse praecipuos in damnatione Origenis actores, (ceteris passive tantum, ut videtur, se habentibus) Theophilum, dico, ss. Epiphanium et Hieronymum; et in his superasse Theophilum principem, auctorem et amplius insimulatorem et judicem in eadem causa. Et ob hoc vidimus Hieronymum ab eodem Theophilo auxilium postulantem contra Origenem, ut, mediante auctoritate sua, coacta Synodo, Auctor ejusque scripta publice ferirentur anathemate; ac inde, quod factum fuerat in Aegypto, in Occidente quoque decerneretur adversus ipsius Origenis patronos.

Constat praeterea in Synodo alexandrina, instante Theophilo, tumultuarie potius quam pacifice tractatam esse Origenis quaestionem, ac amplius violentiam ab eo admissam in viros innocuos. Item non latet, Theophilum, adhuc ardente animi sui pravi aestu, Epiphanio (cui sane non satis,

tunc perversi viri malitia perspecta erat, nec antea senserat librorum Origenis interpolationem) per litteras mandasse, ut quidquid contra Adamantium, ipsius scripta, suosque sectatores sancitum fuerat Alexandriae, ratum haberet; et in insula Cypri et alibi instauraret anathema. Huic mandato adjecta est Epistola synodica, aut potius falsitatum syntagma, seu libellus famosus: ubi brevi sermone praesumpti Origenis errores, blasphemiae, impietates eidem adscriptae continebantur. Cui mandato Epiphanius malitiae nescius obsecutus est; donec Constantinopoli cum monachis aegyptiis Ammonio ac sociis ejus versatus, et perfidiae Theophili certior factus uti et monachorum innocentiae fideique integritatis, destitit ab incepto, tantummodo rite damnatis praesumptis erroribus Origeni adscriptis, salva tamen ipsius Origenis persona.

Quapropter si ambo et Hieronymus et Epiphanius minus ex studio, sensuque proprio quam alterius idest Theophili, anathemati subscripsere Origenis, et illius cessere judicio et auctoritati, tunc dicendum est, totum quaestionis negotium ac definitionem veluti centrum gravare Theophilum, seque de ipsa sponsorem gerere. Adeo ut, ipse operum Origenis aut interpres habeatur incuriosus, seu incapax vel temerarius, aut praeceps in judicando: vel si testis falsus probetur, aut judex corruptus, seu malae fidei adsertor, partium studiosus, aut alienis privatisque praeoccupatus simultatibus extra principale argumentum: aut diversimode si Theophilum comprehendatur in investigatione origenianae doctrinae minus caute codices falsatos, interpolatos, apocryphos consuluisse, neque sibi in hoc adversantibus aures praebuisse; nec satis eorum obtestationibus, neque fecisse rationibus, qui ingenue de Origenis libris cum eo locuti sunt disputantes, ac una Auctoris catholicum sensum defendentes, sed contra hos pluribus tergiversationibus usum esse Theophilum: quis unquam ideo erit verborum suorum astipulator, ut credat illum pro tribunali sedentem, ac ceterorum episcoporum potitum votis, veritatem dilexisse, amplexum esse, propugnasse; ac denique jure proclamasse Origenem haereticum, impium, blasphemum, hypocritam, totius

evangelicae dispensationis eversorem, et christiani nominis hostem? ac una putet, jure ipsum eisdem titulis onerasse, qui pro eodem Origene laborarunt, fidei suae integritati studiose ac sincere consulentes?

Perspectis igitur, ac summatim comprehensis, quae in hoc, praecedentique capite discussa sunt, initium fini, sicuti causam effectui, respondere vidimus. Cum enim Theophilus Origenis et origenistarum insectationum actor praecipuus, de turbido fonte biberit, falsaque hauserit contra Origenem ipsum argumenta; inde impar et iniquum plane consequitur expectandum esse judicium. Et re quidem vera, nisi probetur crimen; praeter jus sancitur poena. Ubi abest culpa, cessat multa. Ubi non reperitur haeresis, nec anathema invalescit. Et ubi veritas, fugit error; et ubi sinceritas, perfidia silet: et in conspectu veritatis lingua obtrectantium obmutescit.



CAPUT XXVI.

Quaeritur cur, patefacta in Origenem et monachos injuria, postea tamen ipsi in suspicione haereseos continerentur, et apud posteros ad nostram usque aetatem in ecclesiis valde dubitaretur de eorum fide; ne dicam, eosdem universim uti haereticos fuisse reputatos.

Forsitan in hoc novissimo loco me quis rogaverit: Cur ergo, rebus sic stantibus, Origenis fama hucusque jacet tantae ignominiae denigrata coloribus? ejusque pietas tam indecoris inusta notis in Ecclesia manet, et usque modo perdurat? Et quare cum eo pariter sanctorum virorum, qui ejusdem ac suorum librorum causam susceperunt, memoria in conspectu Ecclesiae incerta perseverat, adeo ut cum suspicione quadam de iis disserant scriptores ecclesiastici?

Huic interrogationi respondeant circumstantiae, quae hujus contentionis expeditioni sunt quam maxime adversatae; in quibus praecipue notandus est repentinus Ammonii, Isidori, et Dioscuri obitus, tot pressorum angustiis, et vexationibus ex Theophili opera exantlatis. Qui quidem inter Origenis patronos, sanctitate, scientia ac institutionum ecclesiasticarum eruditione praestantissimi, eximiam librorum ipsius notionem sibi compararunt; adeo ut totis viribus Theophili ejusdem synodali decreto restiterint, pro seipsis magna monachorum copia stante, qui ex priscorum Patrum traditione, tum Origenis personam, tum ipsius scripta genuina, immunia ab haereseos nota habenda esse obtestati sunt. Ideoque fato istis defunctis, cum iis quoque defuit, ceciditque propugnaculum ac turris, in quam eo usque Theophili ac secum eo militantium arietes frustra laborarant.

Secundo, validum amisit defensorem Origenes in Ruffino, calumniis ideo fracto et laboribus, cujus non tantum pietas, sed et sincera fides et scientia ecclesiastica in mundo coruscarunt; quarum ipse Hieronymus quandoque testis. Et potissimum hujus rei documentum in expositione Symboli apostolici reperitur. Is enim ab Oriente regressus in Italiam

apud Rhegium Julii se se recepit, ac in monasterio pie defunctus est.

Tertio, Origenis triumpho Joannis Chrysostomi restitere quam maxime vexationes, detractiones, exilium ac deinde mors. Qui item rerum divinarum peritus, priscorum Patrum traditionum observantissimus, catholicae fidei zelo in domo Dei ardentissimus, prudentia morumque probitate excellens in Ecclesiae regimine, ac sanctitate conspicuus, qui quidem, inquam, etsi instantibus pluribus, praesertim Theophili ambitu, et seculari quoque potentia oppressus, renuit tamen anathemati subscribere Origenis, ejusque damnare libros, quam maxime ideo insistens pro Concilio generali; uti testis est Socrates in Libro VI. c. XIV: « Cum Joannes id facere differret, nihilque temere agendum esse diceret ante Concilii generalis definitionem : » quin de ceteris haud satis in proposito firmis verba faciam, seu in cognitione caussae tardis, aut potius haereseos notam veritis. Ex his itaque aliis supremo cedentibus fato, aliis timori, aliis dubiis, cum eisdem quoque decessit causa Origenis et victoria.

Profecto, tam eximiis viris degentibus adhuc in vita, rem aliter processisse sponderem. Ex Ruffini namque et monachorum et Chrysostomi maxima in investigandis Origenis libris genuinis, atque sinceris eorum sensibus sollertia, sicuti tamdiu inter eos cupierat Ruffinus, sperandum erat (uti Epiphanio, quamvis sero benevertit), omnes simul convenientes cujusque partis patronos, ac, sepositis inimicitiis, animis pacatis, novum studium ineuntes in Origenis scripta, fidelia perscrutatos exemplaria, dogmata ipsius sedulo discutientes, arduis illius quaestionibus pro re, pro tempore, ac pro philosophiae circumstantiis illustratis, et quandoque num uti historicus, an ut dogmaticus in suis processerit disquisitionibus, et insuper quo animo quasdam in mysteriis fidei christianae tractandis protulerit similitudines, suisque aptaverit argumentis etc. confidendum erat, inquam, omnes in unum factos, ac rem ita auspicatos, nec amplius impium, nec amplius haereticum, nec amplius a veritate devium nuncupasse Origenem. Quinimmo audentius dico, damnatis suorum librorum falsatoribus, ac ipsius sensuum corruptoribus, pristina ejus instaura-

ta in orbe christiano fama, uno ore laudassent virum, quem Ecclesia antiqua summa reverentia, et sub hoc titulo *ecclesiarum magister* celebraverat.

His praecipuis causis adjicienda quoque est miseranda tunc Ecclesiae conditio, difficilioribus, et majoris momenti pressa circumstantiis, hinc haereticorum factionibus agitata, et praesertim donatistarum, et pelagianorum, inde dissidiis ac simultatibus intestinis supervenientibus civilis principatus discordiis, et barbarorum excursionibus. Quare ab hac quaestione supersessum est, et sic apologistarum Origenis conamina irrita manserunt, fides ejus dubia, ejusdemque doctrinæ valde suspecta. Suspecta, dico, non tantum quoad praesentes, quantum valde relate ad posteros, ac praecipue latinos; qui s. Hieronymi scripta percurrentes de hac quaestione (aliis praetermissis fortasse minus notis scriptoribus) tantam argumentorum copiam in illis repererunt, ut incauti putarint reapse haeretica docuisse ac professum Origenem: et consequenter, qui ei adhaeserunt, sectam constituisse origenistarum, adversus quam illusus pugnavit s. Doctor. Quibus causis altera praecipua addenda est hujus quaestionis innovatio, imperante Justiniano. De qua in Parte sequenti disputandum erit.

Quapropter, si tunc ob citatas causas ab hac quaestione supersessum sit, liceat saltem modo e pulvere famam tanti resuscitare viri, et aliorum, qui pro eo strenue pugnarunt, injuriam ulciscendo, quam quindecim ab hinc seculis iniquissime patiuntur: unius idest Origenis gloriosam instaurando famam, qua ad biscentum fere annos universim honoratus fuerat; aliis ejusdem defensoribus, sincerae fidei decore ulla absque haereseos nota, restituto. Quod hucusque prope ingenii mei parvitatem eo lubentius egi, quo magis ab aliorum exemplo roboratus: et amplius id existimans acceptissimum illis fore, qui cupiunt et student in Ecclesiae Christi unitate, virorum quoque ecclesiasticorum cujusque aetatis reperire concordiam, juxta proverbium: ubi unitas, ibi vis: ubi concordia, ibi fortitudo.



CONCLUSIO

Cunctis ad hunc locum revocatis discussionibus circa initium, progressum et finem oppositionum adversus Origenis doctrinam suosque patrocinatores, non erit amplius ambigendum de ss. Epiphanii et Hieronymi illusione, quam passi sunt in Origenis et origenistarum causa ob Theophili perfidiam. Ipsi enim quasi coeci ab Episcopo alexandrino manuducti, in cunctis ei adhaeserunt, iniquissimum illud decretum complexi adversus praefatos viros tamquam dogmatis christiani perversores. Quod decretum uti juridice et canonice latum, Epiphanius et Hieronymus undique acclamarunt. Ille per Orientis, iste per Occidentis regiones propagarunt; ita ut, quos Theophili synodica sententia haereticos, impios et execrandos nuncupavit, undequaque ipsi per suas epistolas ecclesiarum aures personuerint.

Attamen quos ipse Theophilus et cum eo s. Epiphanius et s. Hieronymus haereticos nominarunt, orthodoxam profitebantur doctrinam: quos errantes increpaverant, veritatem tenebant; quos uti hypocritas et simulatores vellicabant, fidem sinceram ex corde puro coram Deo ambulantes possidebant; quos ignaros vel simplices viros dicebant, scientia et sagacitate in Ecclesia eminebant. Quos scandala et schismata asserebant per orbem christianum serere et excitare, aedificationem juxta Patrum instituta promovebant, fidei unitatem studiose providentes. Quos pravos homines et aspides venenatos dixerunt, doctrina et sanctitate insignes universim putabantur.

Et quando s. Hieronymus ait hydram in mundo sibilantem, idest origenistarum haeresim, fuisse a Theophilo perculsam, nullibi tamen hujus hydrae sibilus auditus erat, cum nullibi reperiretur hanc haeresim propugnans. Haeresis enim monachorum nitriensium Origenis defensorum conficta est in prava Theophili imaginatione; et ab hujus imaginatione translata est per epistolas ad aures Hieronymi et Epiphanii: qui una cum eorum duce Theophilo conclamarunt errorem, ubi non erat error; vociferati sunt ad haeresim, et haeresis non erat: zelo excanduerunt in impios Origenis sectatores; atta-

men eorum excandescentia neminem pertigit, quia nullibi impius, nulli praesumptarum Origenis impietatum patrocinatores; cum nec magister, nec discipuli unquam professi sint doctrinam haereticam.

Verumtamen memini, nec occultabo, me superius distinctionem instituisse inter Origenem orthodoxum, et origenistas pariter orthodoxos et inter Origenem haereticum, qui illius nomen usurpavit et origenianos ejusdem haereseos sectatores. De his loquitur s. Epiphanius in Haeresi 63. ignorans unde nomen hoc sortiti erant, an ab Origene Adamantio, an ab aliquo alio. Eosdem autem dicit, de gnosticorum secta oriundos, nonnullos sacrarum Scripturarum libros adhibere ac simul quosdam apocryphos extra Canonem ab Ecclesia amandatos. Sed praeterea (quod maximum et vituperandum in iis crimen est) nuptias repudiant, omni tamen libidinis genere corpus suum ullo sine pudore polluunt; quamvis castitatis simulationem vitaeque monasticae una cum mulieribus praeseferant.

In hoc vero loco, segregatis his ultimis, quomodocumque ipsi fuerint, tamen sub quavis ratione distincti a primis; denuo concludam, nec me temerarium quis arguat, accurate examinatis et expositis, qui Origeni catholico inscribuntur, erroribus, et quidem in eo numero et multiplici forma et in suis consequentiis, sicuti nobis per sua scripta objecerunt Theophilus et Hieronymus: quosque in eodem numero omnes et singulos in suis partibus praesumpserunt acceptos fuisse et probatos primum ab Origene, deinde a monachis nitriensibus, a Ruffino, caeterisque; et ob hoc uti revera haereticos, jureque condemnatos, quod ista impia dogmata singillatim, veluti ea saepius numeravit Hieronymus, profiterentur et propugnarent: denuo concludam, nullimode nec magistrum, nec discipulos, nec Origenem, nec monachos (quique proprie dicuntur origenistae uti singula citata perversa dogmata professi, et adversus quos in Aegypto et Constantinopoli dimicavit Theophilus) numquam hujusmodi adprobasse impietates, doctrinae christianae penitus non solum contrarias, verum etiam ab imo ad summum, totum evellentes evangelicae veritatis aedificium.

Quamobrem consequitur, imaginarios fuisse cunctos errores Origeni inscriptos; imaginariam fuisse haeresim monachorum nitriensium, Ruffini et illorum, quos socios habuerunt in hac quaestione; et imaginariam fuisse haereseos suspicionem, in quam capti dicuntur Eusebius caesariensis, Didymus, Evagrius, Palladius, Joannes hierosolymitanus, Joannes Chrysostomus, aliique innumeri; qui illusi dicuntur et arguuntur a Hieronymo in hanc haeresim traducti. Proindeque in conclusione hujus disputationis mihi liceat tandem exclamare:

O horrendum calumniae genus, quod cecidit super caput Ori genis et monachorum nitriensium!

O execrandam Theophili alexandrini perfidiam, qui tot viros doctrina et sanctitate eximios pessundedit!

O miserandam, s. Epiphanii et s. Hieronymi illusionem sub tali et tantae perfidiae duce.

O deplorandam tantae et tantorum virorum illusionis haereditatem, hucusque fere universum christianum pervadentis orbem!



INDEX

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.



IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A.

Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Castellacci Archiep. Petr.

Vicesgerens.

VIGILII PONTIFICIS ROMANI
ORIGENIS ADAMANTII
JUSTINIANI IMPERATORIS
TRIUMPHUS
IN SYNODO OECUMENICA QUINTA

PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM

VOLUMEN IV.

PARS IV.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1865

IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A.
Magister

IMPRIMATUR
Petrus Castellacci Archiep. Petr.
Vicesgerens



In quo memorato scripto, etiam contra divinas Scripturas, non solum Pontificibus multis, sed etiam (quod dici nefas est) ipsi quoque principi sacrilegas injurias irrogare tentastis, qualenus ignorantem christianum populum diabolica amplius deciperetis astutia.

Vigilius in Epistola ad Rusticum et Sebastianum.

Hoc quoque fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne ulterius praedictorum Rustici et Sebastiani, aut illorum, qui pravae eorum praesumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat: sed et universos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi a praedictis relegant aliquid destinatum, vel falsitati eorum ulterius animum suae credulitatis accommodent.

Idem in Epistola ad Valentinianum de Tomis.

Fraternitas ergo tua, quem Apostolicae Sedis per nos constat esse vicarium, universis episcopis innotescat, ut nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis qualibet ratione turbentur.

Idem in Epistola ad Aurelianum arelatensem.

Propter quod nulli venit in dubium, quod ea, quae adversus nos false dici asserimus, neque a nobis facta esse omnino diffateamur: et quae ex abundanti recepisse adstruimur, et antea tenuisse firmemur.

Idem in Constituto pro damnatione trium Capitulorum n. 7.

PRAEFATUM



Nemo miretur titulum huic quartae Parti inscriptum, ubi acta investigantur Synodi V. oecumenicae tum relate ad Vigilii Papae perspicaciam in trium Capitulorum causa tractanda, tum quoad probum Justiniani consilium adversus ea Capitula, tum quoad Origenem, contra quem nihil in hac Synodo disputatum est, nec consequenter anathema adversus eum conclamatum, veluti fere universim existimatur ab hujus Concilii tractatoribus. Nemo miretur, inquam, si fortasse contra omnium expectationem, tali promptitudine, unius idest Vigilii prudentiam, animi, fideique suae integritatem aggrediar vindicandam, alterius idest Justiniani probitatem, tertii, Origenis videlicet denuo insimulationes profligandas.

Sicuti in praecedentibus de Origene speciali studio egi adversus suos obtrectatores; ita et in praesenti eumdem confido assequi scopum, diligenter pergens non tantum pro Origene laborans, quantum fontem scrutaturus calumniarum, quibus Vigilii Pontificatus ab initio ad finem impetitus fuit magno tunc Ecclesiae Catholicae scandalo, et Episcopatus Romani vituperio. Cum enim indubie declaratum fuerit, infensissimos Sedis Apostolicae praecipuos haberi auctores harum narrationum, cumque luculentius constiterit, Facundum hermianensem, Liberatum, et Victorem tununensem aegerrime passos trium Capitulorum damnationem, scriptis nefandis adortos fuisse tum Vigilii privatam et publicam personam in Ecclesiae regimine, tum Justinianum, tum eximios episcopos; quisque viderit quanti ideo sint facienda horum testimonia; et quid arguendum sit de tot scripturis sub ipsius Papae aut aliorum idem cum eo sentientium nomine editis, praesertim inter se colluctantibus tum in trium Capitulorum, tunc in Origenis quaestione.

Si itaque ob hujusmodi partes potissimum ex Pontificatus Romani hostibus manantes, jure dubitandum sit de illorum integritate in texenda Concilii quinti historia; non immerito idcirco nos perquam cautissime suscipienda esse putamus, quae ipsi commentati sunt gesta, Concilii Patribus, eidem Vigilio ac Justiniano quoque injuriosa valde valde. Quapropter nostra summopere interest in hoc Tomo quaerere, num scilicet Caesaris metu, aut fa-

vore Patres trium subscripserint Capitulorum damnationi; num Vigilius fuerit simoniaca labe pollutus; vel Petri Cathedram ascenderit ex secreta sponsione ea Capitula anathematizandi: num haereticis convenerit, promittens Anthymi restitutionem in Sedem constantinopolitanam; utrum Silverium praedecessorem suum a Pontificatu expulerit, necique ejusdem cooperatus sit; num in perpetua incertitudine sit versatus in trium Capitulorum causa, alias defendendo, alias ea damnando, variis cedens circumstantiis: num Justinianus aliter quam decet principi catholico et pio, egerit in hac quaestione cum Pontifice Vigilio; utrum Patres Capitulorum damnatores, praesumptis Origenis erroribus communicarint; utrum denique Origenes ipse sit in ipsa Synodo quinta damnatus.

Et quoad Origenem, nemo ignorat, etsi post s. Hieronymi obitum aliquantulum quievissent de eo contentiones, tamen sub dimidium seculi VI. denuo pugnam contra eum fuisse instauratam; tantoque ardore dimicatum, ut nonnulli ex recentioribus existimarint, actam rem esse, nec ultra licere defensionem arripere tanti viri, praesertim animadversis, quae in Synodo V. oecumenica vulgo putantur de eodem sancita. Haec porro fundantur maxime in quadam Epistola, sive Tractatu Justiniano inscripto (de quo saepissime in praefatis disputatum est) sicuti in ejusdem Synodi definitionibus, ubi explicite doctrina et persona Auctoris anathematizatae dicuntur.

Profecto admissa unius et alterius sinceritate documenti, temerarius quodammodo videretur quisquis hoc vindiciarum aggrederetur opus. Nihilominus fatendum mihi est, et confidentius asseverabo, nec unum, nec alterum impedire, quominus ab insimulationibus vindicetur Origenes, sicuti usque modo factum est; ipsis scilicet documentis inter spuria mandatis, quippe extra Patrum synodalium mentem illuc intrusis. Scio quidem (si paucos excipias in quibus Halloixium) quam plurimos, et quidem viros clarissimos Baronium, Norisium, Petrum De Marca, Cabassutium, Baluzium et Labbeum mordicus in hac Synodo errores Origenisque personam tenuisse damnatos. Verumtamen non istud de his mirum, cum eo usque ab horum oculis plura sincera de Actis Concilii V. documenta celata fuerint, et alia ab eisdem probata, quae falsata vel apocrypha reputantur; nec insuper eis satis innotuerit tria Capitula defendentium perfidia: et praesertim cum nondum publici juris per typos editum esset Vigilii Constitutum, quod sub *novissimi* titulo praenotavimus.

Ac interea ne forte quis illudatur in scriptis apocryphis a genuinis secernendis tum circa Origenem ac maxime circa Vigilii Papae decreta de tribus Capitulis, sciat tria Constituta hujus Pontificis memorari in historia hujus Synodi. Primum illud habetur et quidem genuinum, quod Papa Constantinopolim ingressus Mennae patriarchae dedit per epistolam, et vulgo *Judicatum* dictum: quod tamen

usque modo desideratur, ac solum notatur in litteris ipsius Pontificis ad Rusticum et Sebastianum diaconos. Item alterum Constitutum et quidem genuinum, quod *novissimum* nuncupavi, et cujus initium: *Aetius archidiaconus.* Tertium vero apocryphum, quod a Vigilio dicitur fuisse Justiniano datum, incipit: *Inter innumeras sollicitudines;* quod sane notas manifestas profert praefati Constituti in contrariam vero sententiam transversi, veluti suo loco disputabitur.

Petrus De Marca qui in speciali dissertatione *De Vigilii Papae decreto pro confirmatione Synodi V.* n. 23. miratus, nullam ibi factam esse mentionem de Origenis anathemate, putavit: « mutilata ac truncata fuisse ejusdem Concilii Acta, eo quod ibidem nulla instituatur cognitio de Origenis causa, sciens ceterum quod ipsius Vigilii videretur fuisse officium non ea praetermittendi, eo magis quod ante sexdecim annos, idest anno 538. ad suggestionem Pelagii diaconi et apocrisiarii Ecclesiae Romanae, Justinianus sua adversus Origenem oratione ejusque blasphemias, Mennam patriarcham hortatus fuisset, ut illas una cum episcopis in urbe degentibus regia, subjiceret anathemati. Idem judicium, misso edicto suo, a Vigilio Papa et ab aliis patriarchis expetivit et impetravit. Quod testatur Liberatus his verbis in *Breviarii* capite XXIII.

« *Eo jubente sive hortante* (*Justiniano*) *dictata est in Origenem et in illa capitula anathematis damnatio: quam subscripserunt una cum Menna archie-*

piscopo apud Constantinopolim reperti. Deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo alexandrino, Euphracmio antiocheno, et Petro hierosolymitano. Quibus eam accipientibus et subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus. Quod confirmat Cassiodorus. » Et haec ait De Marca. Verumtamen desiderandum foret, aliquod sibi aliisque de hac subtractione suffragari documentum. Sed de his modo satis.

Cum itaque non tantum pro Origenis orthodoxïa, sed et pro Vigilii et Justiniani imperatoris decore, etsi vario sub intuitu, dimicandum mihi sit; neminem lateat me, sicuti in praecedentibus, aegro quidem animo, opinioni communi quamvis vetustate solidatae firmiter restiti, ita et in praesenti a nuper celebratorum virorum sensu longius abire cogi.

Ac interim, siquando scriptor, prope tritum proverbium, unius fraudis labe probetur inspersus, in ceteris quoque liceat ipsum eadem nota conspergere, adeo ut cautissime acceptandi sint ipsius sermones, istud sane arbitror jure infligendum trium Capitulorum defensoribus. Quum enim (quod ipsi multiplici conanime nisi sunt stabilire pro animi sui lubitu ad quorumdam ignominiam sibi adversantium) nec per Justinianum, nec per episcopos, nec per Vigilium Papam ostendero fuisse Origenem damnatum; in reliquis item insimulationibus et praesertim Vigilio et Justiniano irrogatis, nullam fidem eis exhibendam duco, immo firme teneo.

Hoc autem obtinebitur, cum studiose ex summorum Pontificum Pelagii I. Pelagii II. et Gregorii Magni obtestationibus vel amplissimis patefactum fuerit, tribus Capitulis a Synodo V. anathematizatis, horum patronos, voce et scripto totam pervagasse Ecclesiam, cujusque generis obtrectationes, mendacia, gestaque commentitia serentes; quibus sinceram hujus Synodi historiam corruperunt, perverteruntque in diuturnum fidelium scandalum, uti crebrius laudati Pontifices per epistolas conquesti sunt.

Porro cum in hac quaestione admodum obstupescerem cur in Vigilium, in Justinianum, et in Origenem tales praevaluissent insimulationes, et quare adhuc perdurarent; hujus rei rimatus causas, binas reperi, quas lectoris judicio submitto considerandas. Quarum prima haec est: coaevorum scriptorum testimonia calamo elaborata Ecclesiae Catholicae et Pontificatui Romano hostili, nimia tunc in ecclesiis suscepta alacritate et vulgo credita sincera, hujusmodi injuriam intulere Vigilio, Justiniano, Origeni et episcopis, qui Synodo V. adstiterunt. Secunda, documenta quaedam de Vigilii Pontificatu, et de Justiniani imperio in archiviis sepulta, et quidem ex illis, quae Vigilius ipse, ejusque immediati successores uti falsa respuerunt, damnaruntque, hodie infaustissime in lucem eruta, et ab inconsultis historiae veteris studiosis genuina accepta, recentioribus Sedis Apostolicae hostibus magis ut in hanc irrumperent, suppeditarunt arma. Et haec sunt, quae diligenter in praesenti Tomo examinata et expugnata, nos ad tales conducent consequentias.

Primo, omnimode rejiciendam esse Cabassutii opinionem in *Historica Synopsi Ecclesiae Seculi VI.* ubi de Concilio V. ait: « *Sed hortatoribus haereticis auscultans Justinianus, Concilium oecumenicum coegit Constantinopoli, non solum Ecclesiae inutile, sed etiam perniciosum, ut effectus comprobavit; sibique renitentem Vigilium Pontificem in vincula conjecit: eumdem, nequid deterius occasione suae resistentiae Justinianus moliretur, approbare Concilium compulit, dissidia renovando, quae jam pridem auctorum poenitentia consopiverat.* »

Secundo, praeclare eruetur, quae hucusque inscripta sunt Justiniano tum circa exordium quaestionis trium Capitulorum, tum circa violentiam in Vigilium Papam et episcopos patratam, ut ab eis extorqueret eorum Capitulorum damnationem, tum circa haeresim *Incorruptibilium*, in quam dicitur lapsus, haec omnino falsitate laborare.

Tertio, in omnibus item patefiet falsissima Labbei sententia de Historia Concilii V. asserentis: « *Actum est etiam in hac Synodo de erroribus Origenis, Didymi et Evagrii; lectisque Eulogii, Cononis, Cyriaci, et Pancratii monachorum libellis, quos ipsi contra impietatem Origenis Synodo obtulerant: prolatisque in medium scriptis, quae adversus Origenem a Justiniano edita, et a Vigilio Papa confirmata erant, omnes Patres uno ore Origenis errores damnarunt, ejusque impietatem communi suffragio detestati sunt.*

Quarto, item manifeste consequetur, graeci sermonis ignorantiam et sanae criticae defectum, deinde pervicaciam et perfidiam tria Capitula defendentium, tale in Ecclesia scandalum provocasse; diuturnumque per eos in Africa speciatim et in Illyrico perseverasse schisma. Quapropter ne jota quidem donandum eis erat a consultis historiae veteris scrutatoribus in Synodi V. expendendis Actis: sed tantum, quos praemisi, tituli adversus eos confirmandi erant merito illis inscripti a summis Pontificibus Vigilio, Pelagio I. Pelagio II. ac potissimum a s. Gregorio Magno, qui probe calluerunt, de qua agebatur, quaestionem et insidiosos ea defendentium Capitula conatus.

Quinto, similiter ceu praefatorum consequentia, et maxime quos citavi, historicorum eruetur illusio, qui in quaestione trium Capitulorum simultatum initium interpretati sunt inter episcopatum orientalem et occidentalem, quae serius, Photio instigante, in apertum schisma irruperunt, usque hodie infaustissime perdurans. Haec autem suppositio evanescit, dissipata ex eorumdem Pontificum dictis et praesertim s. Gregorii Magni; qui contrarium omnino huic hypothesi testatur. Quinimmo, et quidem aegerrime dicam, in trium Capitulorum quaestione non orientales, sed occidentales, seu ut melius dicatur, plures Africae, superioris Italiae et Illyrici episcopi incusandi sunt: quibus celebrati Pontifices jure exprobrarunt inscitiam, pervicaciam et perfidiam.

Quamobrem, cum quibusdam ab initio quaestionis, sive postea graecae linguae, sive historiae ignaris, aut illusis benigne parcendum sit, adversus tamen alios, qui Pontificum Romanorum epistolas falsarunt, qui Petri successoribus insultarunt, qui Synodi Acta corruperunt, qui Justiniani decreta perverterunt, qui voce et scripto istos et ceteros episcopos calumniati sunt; adversus eos, dico, qui tales sunt mentitores, obtrectatores et falsarii, perenne bellum indicendum nobis est.

Quibus diligenter discussis, neminem mirari confido de hujus Tomi inscriptione: *Vigilii Papae, Origenis et Justiniani triumphus in Synodo V. oecumenica adversus perfidiam tria Capitula defendentium.* Horum namque unusquisque in hoc negotio pro sua parte viri pii et catholici obtinet encomium. Uniuscujusque in suo munere pro Christi Dei gloria et Ecclesiae suae unitate vindicatur zelus, cui perpetuo vacavit irreprehensibiliter.

Vigilius summus Pontifex primus de hostibus suis triumphum agit, a Deo electus universalis Ecclesiae Pastor, s. Leonis Magni in ordine suo dignus successor ob sinceram et incessantem sollicitudinem adversus impietatem Nestorii et Eutychis, et aliarum sectarum praesertim acephalorum, sedulus apostolicarum traditionum custos, juris pontificii vindex, in unitate Ecclesiae servanda studiosissimus, ac firmus trium Capitulorum expugnator. In quo non tantum persona privata consideranda venit: sed in ipso idem Petrus Apostolus nobis of-

fertur, idem primatus, eaedem claves regni coelorum, eaedem oves pascendae, et eadem fides indefectibilis in fratrum suorum confirmationem. Ideoque absit, absit, ut dicatur scandalum tunc in universam Ecclesiam irrupisse ob anathema trium Capitulorum a Vigilio subscriptum, veluti nonnulli temere potius quam incaute praesumpserunt, quasi pontificia decreta in fidelium scandalum edita aliquando credantur.

Justinianus, alter Constantinus in imperio, fidei catholicae propugnator et propagator, perpetuus haeresum insectator, in Pontificatum Romanum et in episcopos ecclesiarum observantissimus, jurisprudentiae christianae princeps, religiosissimus vir, sincera mente causam suscipiens adversus tria Capitula, de insimulatoribus suis triumphat.

Origenes priscorum Patrum nemini secundus in custodienda et illustranda traditione apostolica, in divinis exponendis Scripturis, in christiano nomine vindicando ab ethnicorum insidiis, et ab haereticorum improbitate, triumphum ducit de maledicis, qui hac aetate, Vigilio Pontifice et Justiniano imperatore, novum inierunt tentamen adversus eumdem, ejusque patronos, suo furtive intruso nomine inter haereticos a concilio V. damnatos.

Et istud est, quod pro viribus meis, Deoque juvante, pertractare studui in hac ultima disquisitionum mearum Parte.



CAPUT I.

Documenta perquiruntur, unde initium instituitur trium Capitulorum quaestionis: quid de his decreverit Vigilius Papa, priusquam Constantinopolim adiret; ac num eisdem inserta sit Origenis causa.

Cum in praefatione cuncta breviter pertigimus, modo opus aggressi, ampliori expediendum sermone, inde exordiamur, quo pedetentim, quamvis per arduas vias, ad oecumenicae Synodi devenerimus convocationem. In qua primum conspexeris Origenis quaestionem amotam fuisse omnino ab hac Synodo, sicuti in praecedentibus de illis Capitulis privatis congressibus; nihilque ibi propositum, nec disquisitum, nec decretum aliquod adversus Origenem obsignatum tunc esse a Patribus. Item quoad tria Capitula, Vigilii Papae comprehenderis longanimitatem, prudentiam, animique simul firmitatem, supernamque sapientiam, quin nec ad dexteram nec ad sinistram incederet in muneris pontificii ministerio a Christo accepto. De hujusmodi porro sermone ne miretur lector. Prius legat, postea judicet. Legat, inquam, mecumque discernat genuina a spuriis, orthodoxos testes ab heterodoxis; sermones elaboratos a perfidia, ab aliis cordis simplicitate dictatis; fideles Ecclesiae Romanae discipulos ab istius conviciatoribus: Pontificum Romanorum probitatem et fidem ab haereticorum et schismaticorum improbitate, et vafritie.

Quaestionem itaque trium Capitulorum ab altera de Origene segregatam, nunquam cum ista confusam, nec a Patribus esse in judicium synodale vocatam, constat ab actis, quae ipsi Synodo praecesserunt: in quibus et origenianae quaestionis exclusio penitus comprobatur, sicuti praeliminaria manifestantur, unde ventum est ad trium Capitulorum damnationem. Ex his sane valde nostra interest, et quam maxime Vigilii decoris, primum originem decernere quaestionis de his Capitulis; secundo quando Justinianus emiserit decretum in illorum condemnationem, universae Ecclesiae committendum, firmandumque.

De principio, non est dubium ab Anastasii imperatoris aevo, initio seculi VI. Ecclesiam orientalem undique partibus agitari circa Synodum chalcedonensem; in quibus, etsi confuse, conserta fuere tria Capitula, et hinc semina quaestionis et schismatis, quod sub Vigilio Papa maximam Ecclesiae occidentalis partem invaluit. In hoc autem nobis suffragantur Victor tununensis et Evagrius. Hic in Libro III. Hist. Eccl. c.XXX.:»Tunc Synodus chalcedonensis, inquit, nec palam praedicabatur, nec omnino rejiciebatur.... Nonnulli quidem eorum cuncta, quae in illo Concilio exposita sunt, pertinacissime defendebant; nec in ejus decretis unam syllabam remittere, ac ne unius quidem litterae mutationem admittere sustinebant: sed magna cum fiducia recedebant ab iis, qui illius decreta minime reciperent. Alii vero condemnabant Synodum chalcedonensem et Leonis epistolam. Hinc multa dissidia in Orientis et Occidentis partibus et per Africam extiterunt: cum nec orientales episcopi occidentalibus et afris sociarentur; nec isti vicissim coirent cum orientalibus. Deinde in c. XXXI. de Xenaja locutus scribit: « Xenajas, relicto Nestorio, ad Dioscorum transgressus est et ad Theodorum ac Theodoritum et Ibam et Cyrum, et Eleuterium ac Joannem aliosque nescio quos unde collectos. Ex quibus quidam Nestorii dogma revera sectati fuerant; quidam vero cum in suspicionem ejus rei venissent, postea idem dogma sub anathemate damnarunt; et in Ecclesiae communione extremum clauserunt diem.

« Hos, inquit, omnes nestoriani dogmatis assertores nisi anathematizaveris, nestorianus es, licet Nestorium millies cum doctrina ipsius anathematizes. Et scriptis etiam litteris ad fautores Dioscori (alii Diodori) et Eutichis, eos concitavit, suadens eis ut sibi adversus Flavianum auxilio esset, et exigerent ab eo non quidem ut ipsam Synodum, sed ut eas dumtaxat personas, quas supra nominavi sub anathemate damnaret. » Victor tununensis in Chronico haec signavit: « Anastasius imperator Flaviano antiocheno et Philoxeno (Xenaja) hieropolitano praesulibus, Constantinopolim Synodum collegit, et contra Diodorum tarsensem, Theodorum mopsuestenum cum scriptis, Theodoretum Cyri, Ibam edessenum.... inferre anathema persuasit. »

Initio quaestionis de tribus Capitulis praenotato, ejusque auctoribus in haereticorum grege compertis, investigandum superest, quando primum Justinianus adversus ea Capitula decretum edidit (quod sane ab alio distinguendum est sub titulo *Fidei Professio,* serius publici juris facto) et qualis ejusdem decreti conceptus. De hujus decreti aetate, quamvis certa definiri non possit, cum et istud hucusque desideretur, et hinc ipsius Justiniani subscriptio et Consulatus annus: attamen a Vigilii Roma discessu ut Constantinopolim veniret, et ab epistola Pelagii et Anatolii ad Ferrandum et a litteris Pontiani ad Justinianum de eadem re, et a Facundi testificationibus contra istud anathematis decretum, statui potest ante annum 544. in Ecclesia orientali hanc causam (jam ab Anastasii aetate inceptam) novum subiisse impulsum a Nestorii asseclis, ut aperte dicit Vigilius in Constituto novissimo. Quare ab episcopis orthodoxis illius regionis cum Justiniano, accurato quaestionis praemisso examine, anathemati, ut dixi, primum tria Capitula subacta fuerunt, inserta declaratione, hoc non obstante anathemate, integra mansisse in Concilio chalcedonensi definita. Quod anathema, quamvis tunc et deinde contradictiones ex contestationibus variis et iteratis conaminibus subiret ab eorumdem Capitulorum propugnatoribus; nihilominus in sua forma, in suo sensu, in sua integritate mansit: et quin ullimode convelleretur, oppositoribus restitit perpetuo.

Hoc autem, sive quoad hujus decreti tempus, vel sensum illius, roboratur ab epistola responsoria Ferrandi ad duos diaconos Ecclesiae Romanae tunc legatos pontificios apud Justinianum, qui Ferrando scripserant, ut animadversis, quae in Urbe regia statuta fuerant adversus tria Capitula, damnationis decreto subscriberent. In hoc responso dicit Ferrandus (qui anno 545. supremum obiit fatum) se valde sollicitum fuisse de hac quaestione nuper exorta, et hinc sero scripsisse. Ibidem insuper ostendit, se a litteris diaconorum invitatum fuisse ad trium Capitulorum damnationi subscribendum, antea subsignatae per Justiniani edictum ab episcopis orientalibus. Ideoque ex hoc testimonio, de quo inferius longius disputabitur, comprehenditur, quid jam consultum fue-

rat Constatinopoli a Menna ceterisque episcopis, et qualis eorum sententia de tribus Capitulis, priusquam Ferrandus diaconorum romanorum acciperet litteras.

Item de hujus decreti sensu ac de tempore, quemadmodum supra statutum est, aliud documentum nobis traditur ab epistola Pontiani ad Justinianum, ubi eadem innoventur de trium Capitulorum damnatione, ab Imperatore proposita Pontiano, ut huic accederet. Pontianus vero hujus decreti novitatem sentiens, miratusque, ista inter cetera scribit Justiniano: « In extremo, ait, itaque epistolae vestrae cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum et Scripta Theodoreti atque Epistolam Ibae damnare. Eorum dicta ad nos non pervenerunt usque nunc. Quod si et pervenerint, et aliqua ibi apocrypha, quae contra fidei regulam dicta sint, legerimus, dicta possumus respicere, non auctores dictorum jam mortuos praecipiti condemnatione damnare. Quod si adhuc viverent, et correpti errorem suum non condemnarent, justissime damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostrae? Quod in eis recorrigatur non est. Sed timeo, piissime Imperator, ne sub obtentu damnationis istorum eutychiana haeresis erigatur: et dum minima indicia non spernimus, ad majorem haeresim et collisionem veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione victoria? Apud judicem verum jam tenentur, a quo nullus appellat etc.. »

Praeterea Facundus hermianensis, qui ejusdem decreti adversus tria Capitula sensum exposuit, quem deinde Vigilius in Judicato firmavit, atque in ultimo instauravit Constituto, manifeste dicit hoc decretum Romano Pontifici amandatum fuisse pro confirmatione, antequam Roma discederet. Insuper e Libro ejusdem Facundi contra Mocianum infertur, eidem decreto anathematis subscripsisse Mennam, Ephraemum, Zoilum et Petrum patriarchas; ac episcopis postea missum Orientis et Occidentis, sicuti ex epistolis praefatis adstruitur et Ferrandi et Pontiani. Cunctis igitur animadversis circumstantiis circa Justiniani edictum ecclesiarum praesulibus commendatum pro subscriptione, et ab ipsis episcopis acceptum, priusquam Papa Roma egrederetur,

Pagius in notis Baronii non annum 546. sed 544. assignat huic edicto. Et ad hoc sane ipsius Facundi dicta conducunt in Libro IV. c. III, ubi ait: « Quod romana quoque universitas egredientem, qui venientem, Africa atque Sardinia, quamquam non per eas transierit, per ipsius tamen consiliarium, publica cum attestatione pulsaverint, sicut Hellas et Illyrius provinciae, per quas venit, ut nullatenus novitati, quae facta est, acquiesceret. » Quinimmo cum eo ipso anno 544. putetur Vigilius urbe profectus, et causis expensis, quare Constantinopoli incepta sit quaestio Capitulorum, definita, ac longinquis commissa episcopis, etiam ante annum 544. hoc decretum subscriptum fuisse videretur. Cur porro huic instem opinioni, ubi de Origenis damnatione sermo habebitur, patefiet.

His praemissis disquisitionibus de quaestionis origine et statu antequam Vigilius Roma discederet, instantibus scilicet pro Capitulorum damnatione cum Justiniano episcopis orientalibus, reluctantibus vero Occidentis pluribus, in hac sensuum disparitate et animorum perturbatione, quid Vigilio agendum erat? Non enim de dogmate aliquo, sed de personis, et amplius dico, in Synodo chalcedonensi citatis, et in quas Anastasius haereticus, ut vidimus, episcopis persuasit inferre anathema. Et hoc dicit Victor tunnunensis. Evagrius autem idem testatur de Xenaja sive Philoxeno, qui ad Dioscori sive Diodori haeresim transgressus, coegit episcopos, ut Theodorum, Theodoretum et Ibam ceterosque tanquam nestorianos anathematizarent.

Rebus sic stantibus, summa profecto cautione Vigilio opus erat, quippe haereticos noverat, quos etsi confuse et indiscriminatim damnaverat Anastasius; et adversus quos Justinianus et episcopi orientales, (quamvis apta praevia distinctio inter citatos viros et inter eorum scripta, instituta fuisset in edicto adversus tria Capitula, et ubi eaedem personae singulae pro parte sua fuerant nuncupatae) adversus quos, inquam, Justinianus et episcopi orientales pariter insurrexerant. Quamobrem cum ab initio quaestio non esset in omnibus suis partibus Vigilio satis comperta, si Justiniani decreto in ea Capitula subscripsisset, sibi quadammodo videbatur

haereticis assentiri et chalcedonensis Synodi contraire definitioni. Et si ex adverso ea comprobasset Capitula, blasphemiis Theodori mopsuesteni ac Nestorii erroribus se communicare in suspicionem venisset. Quo ergo in tanto discrimine confugiendum ipsi erat Vigilio, nisi ad expectationem? per quam, causa studiose expensa, Patrumque Concilii chalcedonensis, ubi de Theodoreto et Iba actum est, dictis exploratis, et Theodori mopsuesteni historia revocata, dubiis sublatis, constaret veritas, ad quam accederet, sanciretque.

Ideo cum, ut infra dicetur, Pelagius II. adversariorum praetextum citat contra Synodum quintam, asserentium: *quod in causae principio et Sedes Apostolica per Vigilium Papam, et omnes latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt*, in hac locutione, cum nostra intersit Vigilii oeconomiam tueri; eumque a ceteris episcopis, qui serius damnationi subscripserunt, secernere, animadvertendum est, Papam non restitisse absolute condemnationi Capitulorum, quasi omnimode ipsa defendenda forent cum eorum defensoribus; verum restitit ab initio, scilicet donec agnosceret quid veri in traditione ecclesiastica contineretur de his Capitulis: « Certe Fraternitas vestra, inquit Pelagius ad Istriae episcopos, illorum consensum despiceret, si ausu praecipiti, priusquam verum agnoscerent, consensissent. Et paulo post : « Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permaneat, quid obstat etc. »

Haec autem ita se habere ut magis innotescat, ad hoc nimirum Vigilii mentem intendisse, accipito, quod ipse egit Papa statim ac Constantinopolim attigit. Ubi facta concione ibi adstantium episcoporum, hos interrogat, quid de hac causa sentirent, eis mandans, ut unusquisque suam scripto signaret de his Capitulis sententiam. Et hoc testatur una cum Facundo Justinianus. Justinianus quidem in *Forma*, de qua infra, asserit Vigilio, cum pervenisset ad Urbem regiam, de tribus Capitulis se omnia subtiliter manifestasse, eumque interrogasse quid de his saperet etc. Facundus porro in Praefatione 12. Librorum ad Justinianum, inquit Episcopum Romanum Constantinopolim adductum, ab universis episcopis expetivisse, ut scripto quisque responderet, quod sibi de his Capitulis videretur.

Quamobrem, his ponderatis circumstantiis, eruitur, Vigilium quam prudentissime egisse ab ipsius quaestionis exordio, ita ut nec damnantibus, nec defendentibus tunc arriserit, ac ideo neque ab unis nec ab alteris incusandus; nec sic dici possit, ipsum retractasse postea, quod antea probavit, ea Capitula defendens: cum reapse nec defenderit neque anathematizarit, tantummodo in expectatione manens usque ad suum adventum in Urbem regiam. Quod quidem amplius roboratur ab ipsis episcopis occidentalibus: qui, cum adhuc Romae degeret Pontifex et in Sicilia, ipsi cum universitate romana, inquit Facundus, rogarunt Vigilium ne Imperatoris instantiis cederet, nec ea Capitula damnaret. Si namque Vigilius tunc edicto Justiniani cessisset, damnatis tribus Capitulis antequam Constantinopolim pertingeret; antistites occidentales haud apud eum institissent, ne in Urbe regia constitutus acquiesceret eorum damnationi. Item si ante Vigilii profectionem in Orientem, defensioni subscripsisset eorumdem Capitulorum, sicubi Constantinopolim pervenit, nec Justinianus ipsum interrogasset quid sentiret, neque ipse episcopos consuluisset de illorum judicio in hac quaestione. Ex quo concluditur, Vigilium ab eo tempore, quo primum epistolam aut edictum imperiale accepit de tribus Capitulis, et usque ad ipsius adventum in Urbem regiam, nullam nec per litteras, nec per legatum in utramque partem emisisse definitionem. Sed consilio omnia remittens ac tempori, sponte Roma discedens Constantinopolim venit, propinquius cum Justiniano et episcopis ibi adstantibus de re tam ardua tractaturus.

Demum ab his multiplicibus documentis tum Vigilii, tum Justiniani, tum episcoporum relate ad initium trium Capitulorum discussionis usque ad Vigilii ingressum in Urbem regiam, clare quoque constat, horum neminem, quos nuncupavi, in suis scriptis ullum inseruisse de Origene sermonem, quasi illius indicium, quod deinde pertractandum esset in plenaria Synodo V. adversus eumdem.



CAPUT II.

Vigilii Papae excutitur Judicatum sive Constitutum editum in suo Constantinopolim adventu ex epistola ejusdem Pontificis ad Rusticum et Sebastianum.

Post haec consideratum pergamus, quae Vigilius statuit simul ac Constantinopolim appulit. Ab hoc enim ingressu non semel de hac quaestione egit et coram episcopis et Justiniano et per sermonem et per epistolas. Quivis autem has sinceras perlegerit hucusque superstites, non solum tunc de tribus Capitulis seorsim a quaestione origeniana disputatum fuisse comperit: verum etiam comprehendet, Pontificem ab ipsius ingressu in Urbem regiam, sibi se perpetuo cohaerentem praestitisse in his Capitulis damnandis: idemque ubique et quotidie obtestatum, in hoc perseverasse usque ad ultimum Constitutum editum in eorum confirmatione, quae antea sive voce sive scripto sanciverat. Quae quidem cum nobis beneverterit a falsatis et commentitiis narrationibus sejungere, ipsius Pontificis famae ac decori admodum consuluerimus.

Patet interim luculenter ex hujusmodi Vigilii documentis hic et infra opportune revocandis, praefatum Pontificem, quum in urbem advenit Constantinopoleos, per epistolam ad Mennam datam, decretum obsignasse condemnationis trium Capitulorum, nimirum Librorum Theodori mopsuesteni, ejusdemque personae, sicuti et Epistolae Ibae ad Marim Persam, et Conscriptorum Theodoreti adversus rectam fidem Cyrilli; nec unquam ab hoc decreto recessisse, licet hinc inde obstrepentibus adversariis et obtrectatorum linguis, Vigilii mentem, consiliique sui sobrietatem varimode, summoque pusillorum scandalo, interpretari conatis.

Hoc porro Papae decretum vulgo sub *Judicati* nomine venit: quocum Vigilius Mennam ceterosque episcopos Constantinopoli degentes ac ipsum Imperatorem certiores fecit de suo circa tria Capitula sensu. Et hoc primum praestitit Vigilius: nisi quod, ut erat suspicandum, cum hoc Judicatum, plures reperisset maxime in Occidentis ecclesiis, vel qui stre-

nue huic contrairent, aut dubitarent de ejusdem rectitudine, putantes per hoc decretum statuta dissolvi Synodi chalcedonensis, dissidium magnum exortum est; quod ad septem fere perduravit annos, donec ad oecumenicum Concilium perventum est. In qua temporis expectatione, non solum sedulo examinandi, firmandique praebebatur occasio ea Capitula expugnantibus, verum amplius ea defendentibus (de personis namque ibi agebatur et de scriptis quaestio erat) quin tamen Vigilius eo ipso diuturno intervallo, ut infaustissime opinatum est, contra ea, quae ab initio definivit, ex animi levitate pugnaret, alias nempe negando, alias affirmando, quae antea negaverat.

Haec porro, ut quisque novit, cum sint testimoniis comprobanda, ab ipsius Vigilii in Constantinopoleos urbem ingressu exorsi, eumdem sectemur, per quam accuratissime omnes illius actus meditati usque a Constitutum ultimum, sive ad Synodi quintae sanctionem. In quo intervallo, ut dixi, Pontifex nec inconsulto nec temere quid egit, nec judicium suum retrectavit, ut jactant adversarii; nec multo minus, ut est in nostro proposito, in epistolis suis, aut quibusvis scriptis quidquam addidit de Origene, nec in Synodo proposuit discutiendum; nec ipse demum nec Synodus hanc instaurarunt quaestionem, nec ideo ipsius condemnarunt personam et genuina ejusdem scripta.

Jam praefatus sum, Vigilium Urbem regiam ingressum, decretum ad Mennam datum de tribus Capitulis proscribendis obsignasse, et in ea defendentes minatum censuras. Hoc porro decretum etsi hucusque desit, de ipso tamen ejusque sensu manet testis epistola ipsius Papae ad Rusticum et Sebastianum circa an. 350. Ubi pro re nostra speciatim plura notanda sunt tum quoad Vigilii Judicatum, tum de eo, quod factum est a praefatis viris adversus Pontificis mentem. Sic namque incipit epistola.

« Diu vobis, Rustico et Sebastiane, canonibus et decessorum nostrorum congruentem ultionem inferre pro apostolica moderatione distulimus. Sed quia Doctoris gentium in cordis vestri duritia (quod a nobis cum nimia tristitia dicitur) verba videmus impleta, quibus ait: *nescitis quia pa-*

tientia Dei ...... Ad hoc, Rustice, malitia tua perducta est, ut nostra admonitione contempta, in odium potius prosilires: et occasionem quaereres, quatenus causa Capitulorum, idest de dictis Theodori mopsuesteni ejusque persona; sed et Epistola, quae ab Iba ad Marim Persam perhibetur scripta, nec non et dictorum Theodoriti, quae contra rectam fidem, et Epistolam beatae recordationis Cyrilli synodicam ad Nestorium cum duodecim capitulis, quam et sancta Synodus ephesina prima suscepit, et beata chalcedonensis Synodus ad convincendas Nestorii vesanias in definitione fidei legitur posuisse: quae, te etiam instante, certum est flagitata, ita ut filiis nostris Sapato et Paulo diaconis, sed et Surgentio notariorum primicerio clamitares, dicens, non solum nomen et scripta Theodori mopsuesteni a nobis debere damnari, sed et territorium ejus ipsum, ubi positus est; et si ossa ejus evulsa quisquam de sepulchro ejiceret, et cum eodem territorio incenderet, gratanter acciperes.

« Et cum necesse esset ut negotium quod fuerat in Judicio nostro perductum, te etiam quam maxime inter alios tam sacrati ordinis, quam sequentis consentiente, sententia finiretur, quod constat effectum: et quid de eodem Judicato feceris: quomodo etiam in palatio, ut fratri nostro Mennae, ad quem scripseramus, celeriter traderetur, institeris, nulli habetur incertum; ita ut filio nostro Surgentio primicerio petenti schedam ipsam Judicati nostri, ut apud se pro loco suo secundum consuetudinem retineret, per multos dies dare penitus noluisses, donec exemplaria per plurimos sacerdotes ac laicos, sed et per gloriosum virum Tyrannum magistrum militum, aliosque laicos in africanam provinciam destinares, quod in ecclesia nostra a diacono nunquam factum est; ac nobis etiam nescientibus, ejus exemplaria destinares. Nam et Sabbato sancto, quo ipsum te, sicut praefati sumus, imminente, protulimus Judicatum, in ecclesiam sessum processisse, et communicasse, et officium tuum implesse cognosceris. Nam et eodem die revertens ab ecclesia, coepiscopo nostro, quantum perhibet, Juliano haec diceres, quia melius fieri non potuit, quam quod factum est Judicatum; et hortareris ut Deus oraretur ne, quod factum est, tolleretur.

Quod etiam succedente dominico die Paschae similiter effecisti: et diu in eadem perdurando sententia, alios ut Judicatum nostrum libenti animo sequerentur nihilominus hortabaris.

« Nam dum antiochenae ecclesiae apocrisiariis ejusdem Judicati exemplaria nos dare petentibus differremus, sed hoc magis justum esse praedictis apocrisiariis diceremus, ut a fratre nostro Menna potius exemplaria peterent, ad quem nobis videbatur fuisse prolatum; tu autem publica voce deposceres, dicens domnum Leonem ita de epistola sua diversis exemplaria destinasse, nos facere debere similiter asserendo, quia metueres, nisi universitas Judicati nostri exemplaria de scrinio nostro edita teneret, qualibet ratione postea forsitan celaretur. Nam dum occasionem euntis ad Siciliam reperisses, et Judicatum nostrum, laudesque ejus, ubi etiam filii nostri diaconus et primicerius tecum manifestum est subscripsisse, filiis nostris Pelagio diacono aliisque dirigere voluisses pro cautela, ne ab aliquo inveniri forsitan potuisset, nobis etiam nesciis, in membrana conscriptum, et in brevitate quadruplicatum, litteris scriptum minutissimis destinasti.

« Nam et Vincentio secundae regionis subdiacono, iterum a nobis postea ad Siciliam directo, per eum filio nostro Pelagio diacono similiter scripsisti; sed quia ita memoratus subdiaconus prospere navigavit, ut illum, qui in membrana scripta portaverat, praecedere potuisset, quantum nobis retulit, ea quae in membrana scripseras, Pelagius diaconus ipso praesente percepit. Ergo dum et te prae omnibus imminente, prolatum fuerit Judicatum, et tanta in ejus Judicati laudem succensus per multum tempus scripseris, fecerisve, ut nunquam te crederemus ab hac posse rectitudine deviare, repente te immutatum post haec quadam animi levitate, vulgante opinione, comperimus, et cum adversariis Ecclesiae, qui contra Judicati nostri seriem nitebantur, et a nobis sunt per Judicati ipsius tenorem a communione suspensi, secrete tractare. Et dum filius noster Paulus diaconus ad Italiam discedere voluisset, posteaquam et ad eum pervenit, quod scandalum Ecclesiae in communione adhuc nostra positus, secrete et hic et in africana provincia, ubi antea de-

fendendo et laudando Judicatum nostrum, ejus exemplaria destinastis, facere nitebaris, tunc tibi coepit insistere et dicere, ut, si verum esset, producere debuisses, quod tu convictus, celare minime potuisti. Tunc vero memoratus nobis coepit imminere diaconus, ut aut corrigere te ab his, quae illicite faciebat, sub nostra praesentia et clericorum promitteres : aut certe petitionem adversus te et varietatem tuam atque fallaciam ab eo factam, quam et prae manibus gerebat, debuissemus accipere; ad hoc es propria voluntate perductus, ut, tactis Evangeliis, sacramenta praestares; et verba tua a notario scripta in nostro teneantur scrinio, quibus inter alia legeris promisisse, te nunquam a nostro penitus obsequio discessurum.

« Posteaquam vero pejor te Sebastianus pro solo scandalo faciendo, sicut et initia ipsius venientis in Constantinopolim monstraverunt, et exitus pejor edocuit, noscitur advenisse, ita ut mox tui immemor sacramenti, conjurationem inter vos contra statuta canonum, nobis ignorantibus, facientes, in apertum uterque prorumperetis scandalum. Sed ut tua Sebastiane, non in quantum sunt, sed in quantum referre possumus, mala quae feceris diversi cognoscant; et juste, nam magis tarde canonicam advertant te subiisse sententiam, ad tuae ordinationis veniamus initia. Absentibus filiis nostris diaconis Anatolio atque Stephano, a nobis postulasti, ut ad tempus pro implendo officio, absentium loco diaconum te interim faceremus. Quod ideo tibi ad praesens, speranti concessimus, quia ante ordinationem tuam cautionem nobis propria voluntate emisisse legeris, quam et testibus roborasti, et tactis Evangeliis juramentum corporaliter praestitisti, ut quidquid tibi a nobis pro ecclesiastica utilitate fuisset injunctum, fideliter et sine aliqua fraude compleres, officium vero locumque diaconi sine aliquo vitio, sine aliqua superbia, sine aliquo neglectuum, donec reverterentur diaconi memorati; aut quanto te tempore in levitarum voluissemus ordinatione ministrare, cum omni humilitate et studio sine neglectu modis omnibus impleturum. In eadem cautione rursus adjiciens; quod si de his omnibus, quae cum sacramento, tactis corporaliter Evangeliis, promisisti, aliquid minus implesses, tunc a

sancta communione esses suspensus : ita ut a die excessus tui intra annum poenitentiae noluisses colla submittere, tu tibi anathema manu propria scribendo dixisti.

« Tunc ergo ad praesens factus es sub ea, quam sperabas et pollicitus fueras, conditione diaconus. Postea vero ut a nobis ad Dalmatiarum patrimonium mittereris, summis precibus postulasti. Quod nos securi, quia talem feceras cautionem, animo libenti concessimus..... Sed tu omnia praetermittens ad Constantinopolim urbem pro solo faciendo scandalo festinasti, quantum et sequens exitus declaravit. Relegens tamen Constituti nostri seriem, quam de praefatis Capitulis ad Mennam hujus civitatis antistitem dedisse relegimus, in conspectu diaconorum, subdiaconorum, vel universorum clericorum, publica voce laudabas, ut de coelo Judicatum nostrum ordinatum atque prolatum, omnibus, sicuti praefati sumus, loquereris clericis. Dicta vero Theodori mopsuesteni asserebas te Romae inter aliquos codices invenisse; quae confirmabas omni execratione et blasphemiis esse completa. Haec dicendo in nostro obsequio et in ecclesia publice, et in Placidias officium diaconatus implebas.

« Nativitatis Christi Dei Domini et Salvatoris nostri secundum carnem dies advenit. Vocavimus te, quia ad nos, quae supra meminimus te fecisse in Dalmatia, de recenti pervenerunt: et sicut oportuit, diximus tibi, si cum illis, qui sunt contra Sedis Apostolicae constituta in sacratis applicati ordinibus, processisti, aut eorum te communioni, sicut dicitur, sociasti, necesse nobis est, ut, si nos Deus ad nostram dignatur revocare Ecclesiam, quaeramus ista, et veritatem manifestius cognoscentes, secundum canones vindicemus. Tu vero conscientiae tuae reatu perterritus, quia contra apostolica feceras constituta, occasionem tibi discedendi dissimulans requirebas. Nam cum te pro certo mandato cum Joanne episcopo et Surgentio primicerio, atque Saturnino consulario nostro ad Mennam fratrem nostrum hujus civitatis antistitem misissemus, reversus in Placidias, multis praesentibus et officium diaconi tu et Rusticus ex more complestis, et quando clementissimus Princeps dominus filius noster, ut alia die ad ecclesiam procederc, referendarium destinavit, ut ei pro-

mitteremus, cum aliis diaconis et clericis nos tu et Rusticus fuistis hortati. Nam et ad refectionem pariter in nostra mensa ambo fuisse simili ratione probabimini. Sed sicut Judas, postquam buccellam accepit, de traditione Domini cogitavit, ita et vos noctis horis pro concitando scandalo Ecclesiae discessistis.

« Nos autem alio die mandantes vobis, ut aut procederetis, locum diaconi ex more complentes; aut a communione vos cognosceretis esse suspensos; tu vero Sebastiane his, quos inter alios miseramus, fratribus nostris Joanni et Juliano episcopis hoc, quantum renuntiaverunt, dixisti: *ego Judicatum quod Papa protulit, sequor, tamen in illos vindicat, qui contra Judicatum faciunt.* Nam et simili eis, quantum perhibent, ratione dixisti, in tantum ut diceres ibi venisse Lampridium et Felicem monachos, qui nostrum Judicatum suscipere noluerunt, et mandasse vos eis: *non vos possumus videre, quia vos aliam causam habetis, et nos aliam.* Postea vero ad hoc nequitia vestra pervenit, ut excommunicatis communicare contra canones superbo praesumeretis spiritu, idest memoratis vel aliis, quos pro hoc quod contra Judicatum nostrum scripserant, per ejusdem Judicati seriem constabat jam a nobis communione suspensos: cui Judicato, sicut supra meminimus, vos acquievisse et consensisse et communicasse, Catholica probavit Ecclesia. Unde constat, vos secundum regulas canonum juste damnari. Definiunt enim canones: *siquis excommunicatus ante audientiam communicare praesumpserit, ipse in se damnationem protulit.* Item placuit universo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suae ante audientiam communicare praesumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

« Adjecistis etiam execranda superbia, quae nec leguntur, nec sine sui pontificis jussione aliquando ordinis vestri homines praesumpserunt, auctoritatem vobis praedicationis contra omnem consuetudinem vel canones vindicare, ephesinae primae Synodi impugnationem et exprobrationem, sed et beatae recordationis Cyrilli: blasphemias quoque contra Jesum Dominum nostrum dictas, simili defendentes insania, et

per omnes provincias fallaciter scribentes, non aliquid commisisse, quod reperiatur adversum definitioni sanctae Synodi chalcedonensis, quae praecedentium se trium, idest nicaenae, constantinopolitanae, atque ephesinae primae concordat fidei Synodorum. Ita ergo cunctorum animos, qui vestram malitiam nescierunt, sed tanquam a romanis diaconis suscipientes scripta, simpliciter crediderunt, ad tantum scelus operatio fallaciae vestrae pervenit, ut humanus sanguis in aliquibus locis intra ecclesiam (quod dici nefas est) funderetur: et omnes legem ecclesiasticam superbo spiritu conculcare voluistis; sanctarum quoque regularum consequentiam injuriis affecistis, impia et quae non sunt licita per universas contra nos provincias fallaciter indicando.

« Nuper etiam malis vestris addentes pejora prioribus, domnum Leonem praedecessorem nostrum in Theodori mopsuesteni dictis, quae contra fidem rectam legitur scripsisse, consensum praebuisse atque firmasse, dato scripto ad cristianissimum Principem filium nostrum, ausi fuistis adstruere. Absit ergo quemlibet credere christianum, quod aliquid tale, quod contra rectam fidem a quolibet inveniatur scriptum, illius tanti Praesulis sanctitas suscepisset, quippe qui in universis epistolis suis et Nestorium et Eutychen, vel eis similia sapientes pari legitur sententia condemnasse.

« In quo memorato scripto, etiam contra divinas Scripturas non solum pontificibus multis, sed etiam (quod dici nefas est) ipsi quoque Principi sacrilegas injurias irrogare tentastis; quatenus ignorantem christianum populum diabolica amplius deciperetis astutia. Haec ergo sustinentes per multa temporis spatia patientia sacerdotali resecare distulimus, credentes vos forsitan resipiscere, et ab illicitis temperare. Sed quia semel et secundo adhortatione nostra per fratres nostros episcopos, idest Joannem marsicanum, et Julianum cingulanum, vel Sapatum filium nostrum atque diaconum, nec et per gloriosum virum patricium Cethegum, et religiosum virum item filium nostrum Senatorem, aliosque filios nostros commoniti noluistis audire, et neque ad Ecclesiam, neque ad nos reverti, sicut omnia facitis, voluistis detestanda superbia: et ideo necesse est nobis in vobis canoni-

ce vindicare, ne videamur divinarum Scripturarum interpretationibus subjacere. Scriptum est enim ....

« Oportet ergo nos jam post tantas admonitiones in vobis, Rustice et Sebastiane, per auctoritatem beati Petri, cujus nos Dominus sibi voluit vice servire, regulariter vindicare, propterea ne, si jam diutius differamus, omnis ecclesiasticus ordo solvatur. Ideoque quod a nobis cum gemitu, sed cum beati Petri auctoritate dicendum est, pro suprascriptis excessibus alienos vos a diaconi esse honore decernimus: et omni ministerio officii levitici, praedictum vobis honorem auferentes, penitus submovemus, nullam ulterius licentiam habentes, ut ex levitico nomine aut gradu aliquid facere praesumatis, vel sub nomine diaconorum scribendo, iterum Dei conturbetis Ecclesiam......

« Si vero (quod non optamus) sub regulari poenitentia ad matrem Ecclesiam consueta distuleritis redire superbia, Conciliorum in vobis, quorum regulas posuimus, censura servetur, ut nullus post transitum nostrum, quod ex beati Petri, cujus locum, licet immeriti, gerimus, auctoritate proferimus canonum regulas exequentes, in ecclesiastico gradu audeat revocare Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem, atque Deusdedit, quos constat vestrae conjurationis et conspirationis esse participes, quod nos potentes (putantes) bonos militare Ecclesiae, cui Deo praesidemus auctore, nostro tempore feceramus: tamen ut et ipsi possint et diversi cognoscere, de subdiaconorum et notariorum, vel defensorum officio praesenti se sententia noverint fuisse depositos; et nullum penitus in Ecclesia nostra gradum ulterius detinere; nisi forte, sicut praefati sumus, nobis in hac luce superstitibus, et ipsi poenitentiae canonicae colla submiserint. Felicem etiam monachum afrum, qui gillitano Monasterio dicitur praefuisse; et levitate sua atque inconstantia congregationem ejusdem monasterii per diversa loca certum est dispersisse, et vestrae pravitatis incentor est, cum universis, qui eum vel vos tam clerici vel monachi, quam laici post praesentia interdicta in aliqua vestra se societate polluerint, aut consensum consiliumque praebuerint, regularem in his, quae item superius legitur, constituimus manere sententiam:

quatenus in his remediis, ordine servato canonico, nullus praesumat pacem, quam Dominus diligit, ulterius Ecclesiae perturbare.

« Praesentem autem sententiam per Joannem marsicanum, Zacchaeum syllacenum, Julianum cingulanum, fratres et coepiscopos nostros, sed et Sapatum atque Petrum filios nostros diaconos, nec non et filium nostrum Surgentium primicerium notariorum, atque servum Dei subdiaconum regionis primae, nec non et Vincentium subdiaconum regionis secundae, nostrae, cui praesidemus Ecclesiae, vobis noscimur transmisisse. »



CAPUT III.

Accurata instituitur disquisitio circa praefatae epistolae sensum in iis, quae Vigilius in Judicato decrevit de tribus Capitulis a suo ingressu in Urbem regiam, aliis collatis ipsius Papae epistolis adversus ea, quae istorum Capitulorum defensores varimode interpretati sunt in ejusdem Pontificis Judicato.

Plura sane in his ad Rusticum et Sebastianum litteris nostram flagitant ponderationem. Et primum, summarie ibidem adstruitur, de quo convenit Vigilius cum Menna ceterisque episcopis et cum Justiniano in trium Capitulorum causa. Et hoc profecto est, quod comprehenditur sub *Judicati* sive *Constituti* vocabulis. Quae etsi nomine distinguantur, tamen idem sonant; nisi velis sub *Judicati* voce stricte Pontificis dicere judicium prolatum de tribus Capitulis, et sub *Constituti* vocabulo, quod in eo judicio constitutum fuerat adversus tria Capitula relate ad Synodi chalcedonensis definitionem. Quodque Constitutum diversum reputandum est a Constituto novissimo post Synodum V. edito. Et amplius ab alio apocrypho penitus secernendum; ubi scripta tantum nullimode vero persona Theodori dicuntur a Vigilio damnata; et ubi varias falsasque repereris interpretationes et additiones a priscis trium Capitulorum defensoribus pro suo ingenio elaboratas adversus Pontificis mentem. Unde recentiores in errorem lapsi sunt, Papae adjudicantes, quae nec sensit, nec scripsit.

Secundo, ex eadem epistola constat Vigilii de tribus Capitulis sensus, in quo ab anno 547. hucusque perstitit, nihil de Judicato mutans, nec aliter deinde quam obsignavit, rem interpretatus. Ac insuper hinc innotescit, quali satisfactione Judicatum acceptum fuerit non solum ab episcopis orientalibus sed et ab occidentalibus, qui cum Vigilio Constantinopolim convenerant et praesertim a diaconis Rustico et Sebastiano, qui antea amplissimis testificationibus pontificale adversus tria Capitula decretum celebrarunt. Facundus in Libro contra Mocianum ait, priusquam Vigilius Constantino-

polim appelleret, ea damnasse plures episcopos; in quibus patriarchas praefatae urbis, Antiochiae, Alexandriae et Hierosolymorum. Deinde in ipsius Papae adventu, dicit, septuaginta circiter episcopos cum Romano Antistite in Urbe regia congregatos condemnasse cum approbatoribus suis Epistolam a chalcedonensi Concilio approbatam. E quibus verbis, si excipiatur ceu absurda Facundi conclusio, episcopos nempe nominatos *condemnasse cum approbatoribus suis epistolam a chalcedonensi Concilio approbatam*, numerus horum episcoporum colligitur, quorum auctoritas tunc in Oriente praepollebat adversus tria Capitula.

Verumtamen si eousque faustis ominibus pergeret res et maxime duorum diaconorum studio; non sic postea factum est. Etenim Rusticus et Sebastianus, de repente mutata sententia, varimode Vigilii Judicatum explanarunt, ad ea illud trahentes, quae ipse non animadvertit; et cautionem aspernati, quam tam studiose pro animorum hinc inde concitorum moderamine, sapientissime adjecerat Papa pro statutorum in Synodo chalcedonensi servanda integritate. Quapropter, hac pessundata Pontificis cautione, qui ex Occidentis regionibus episcopi tria Capitula defendentes, ob istorum scandalum majori studio a Judicato alienati sunt.

Tertio, ex hac epistola dixi schismatis incrementum invaluisse, quatenus uterque Rusticus et Sebastianus in Ecclesia Romana honorati, in agro dominico zizania seminarunt. Vigilii enim Judicati tenorem pro arbitrio comprehendentes, sincerum corrupentes Pontificis sensum, ac maxime in ipso Judicato cautionem varimode interpretati, iis ipsis conjuncti sunt, qui adversus idem Judicatum insurrexerant. Ideoque Vigilius hujusmodi scandala reparaturus, collectis, qui ibi erant Constantinopoli Italiae, episcopis, in Rusticum et Sebastianum damnationis pronunciavit sententiam, sicuti et in ceteros, qui antea contra Judicatum, idest contra illud venerunt, quod in ipse Judicato constitutum fuerat inter Papam et Mennam, et, qui in Urbe regia degebant, episcopos.

Quarto, item ex his litteris colligendum est, ab ipsius Judicati tempore ad annum circiter 550. usque, non obstantibus quorumdam ex occidentalis ecclesiae episcopis et mo-

nachis obtestationibus, Vigilium nihil imminuisse, nihil mutasse, nec aliter exposuisse sensum ipsius; ac nullum insuper discordiae vel simultatis genus fuisse excitatum inter Papam et Mennam, nec inter Justinianum ceterosque episcopos, qui Judicato subscripserant.

Haec porro majori illustratione patefient, huc adscita alia Vigilii epistola ad Valentinianum episcopum de Tomis circa istud tempus data; ubi questus Pontificis innovantur adversus suos obtrectatores: quasi ipse per Judicatum in damnandis tribus Capitulis, scilicet Libris Theodori ejusque persona, Ibae Epistola et Scriptis Theodoreti, una cum his quoque et Ibae et Theodoreti personas anathematizasset: atque per hanc eamdem damnationem actum fuisset adversus quatuor oecumenica Concilia ac praesertim cum injuria Synodi chalcedonensis; veluti contraria iis docuisset Vigilius in ipso Concilio definitis. Quare hinc similiter inferes, Pontificem in eodem perstitisse proposito, idem probasse, ac ita suscipi et comprehendi mandasse Judicatum suum, atque una velle, ut omnes recto sensu concorditer quatuor Synodis illud complecterentur, quin in hoc Judicato aliquid nec haereticum, nec praedecessoribus suis, nec Patribus adversatum cogitarent. Ideoque monet Valentinianum, ut se a Rustici et Sebastiani ac sociorum factione caveat, ubique orbis christiani offendicula spargentium in incautorum ruinam. Quibus omnibus Vigilii zelus, animique sui sibique semper consectarii elucescit firmitas.

Ait enim: « Fraternitatis tuae relegentes scripta, pontificalem in vobis sollicitudinem inesse gratanter accepimus... Oportet ergo caritatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quae dixit: *speculatorem te posui domus Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me*: et convocatos eos, quos scandalizari diversis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos forsitan seducantur, qui sub praetextu catholico, nequissimo spiritu simplicium christianorum corda fallacia sua decipere moliuntur; et patris sui diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu, ecclesiam tibi commissam diversis mendacibus scriptis conturbare desiderant, quibus apostolica lectio congruenter aptatur, dicens:

rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt....

« Et quoniam Basinianus illustris et magnificus vir, filius noster, cum his, qui pro actibus tuae fraternitatis ecclesiae in Constantinopoli observant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quod persona episcoporum Ibae atque Theodoriti in nostro (quod absit) fuissent Judicato damnatae; legant ergo quae de causa, quae hic mota est, ad fratrem nostrum Mennam constantinopolitanae urbis episcopum scribentes legimus definisse: et tunc cognoscent nihil a nobis, Deo nos custodiente, commissum, vel certe dispositum, quod contra fidem praedicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quae pro una eademque fide definita sunt, idest nicaenae, constantinopolitanae, ephesinae primae, et chalcedonensis reperiatur aversum; aut unius ex his, qui definitioni suprascriptae chalcedonensis fidei subscripserunt, tangant injuriam: vel quod decessorum et praedecessorum nostrorum inveniatur (quod absit) constitutis forte contrarium; sed in omnibus Apostolicae Sedis praesulum, et beatae recordationis Papae Leonis et praedicatarum Synodorum adversariis restitisse.

« Fraternitatem vestram credimus non latere, inimicos fidei christianae hoc semper seculari et reprobanda molitos astutia, ut Evangelistas quatuor contraria sibi (quod absit) dixisse monstrarent; quibus a sanctis Patribus per Evangeliorum concordiae libros est coelesti sapientia contradictum. Quod nunc quoque sancti chalcedonensis Concilii adversarii (inter quos etiam Rusticum et Sebastianum comperimus istius auctores scandali; quos olim pro meritis suis a sacra communione suspendimus, in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua cognoscat canonicam sententiam prolaturos) qui sub praetextu falsae defensionis student, ut eamdem Synodum contra praedictas tres Synodos dixisse (quod absit) ostendant..... Credimus enim catholicis Ecclesiae filiis eá, quae tunc ad fratrem et coepiscopum nostrum Mennam scripsimus, idest de blasphemiis Theodori mopsuesteni ejusque persona, vel de Epistola, quae ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, et Scriptis Theodoriti, quae contra re-

ctam fidem et duodecim capitula sancti Cyrilli facta sunt, abunde posse sufficere: quippe dum in Constituto nostro superius designato possit diligenter agnosci, quia in ipsa definitione fidei, quam sancti chalcedonensis Concilii sacerdotes secundum praecedentes eam tres alias sanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutaverunt, sed laudantes omnia, quae a superioribus acta sunt, sancta definitione sua perpetuo robore firmaverunt.

« Tamen si post haec aliquis (quod non credimus) dubitare voluerit, hortamur ut cum tuae fraternitatis ordinatione ad nos venire festinet, quatenus lucida admonitione cognoscat, omnia, quae decessorum nostrorum, et antefatarum quatuor Synodorum sunt de una eadem fide acta scriptaque temporibus, a nobis inviolabiliter fuisse servata. Qua ratione percepta, sublato, sicut oportet, de christianissimis animis scandalo, pax Deo placita in ejus Ecclesia illibata perduret. Hoc quoque fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne ulterius praedictorum Rustici et Sebastiani aut illorum, qui pravae eorum praesumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat: sed et universos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi a praedictis relegant aliquid destinatum; vel falsitati eorum ulterius animum suae credulitatis accommodent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data XV. Kalendas Aprilis Imperii domini Justiniani perpetui Augusti an. 24. etc. »

Nec adhuc cessavit Vigilii sollicitudo adversus falsas Judicati interpretationes ex duorum diaconorum studio. Et si enim isti undique calumniis, eorumque fraudulento calamo Papae sensus perverterent in Romani Pontificatus probrum: nec ipsemet tamen Pontifex destitit a proposito, nec multo minus destruit, quae antea aedificarat. Sicut Petrus Apostolus fideles summopere monebat, ne iis acquiescerent, qui divinas Scripturas depravabant in propriam perditionem, neque in insipientium errorem traducti a sua firmitate exciderent: ita Vigilius Principem Apostolorum imitatus, a Rustici et Sebastiani scriptis amovebat episcoporum animos: quum schismatis incentores in propriam et aliorum perditionem ipsius Pontificis mentem in Judicato manifestam, impie

depravarint, eidem adscribentes ea, a quibus prorsus abhorruit.

Quamobrem certior factus, quod usque ad Gallias pervenissent obtrectatorum linguae, quasi ipse per Judicatum a quatuor Synodorum statutis recessisset, ad Aurelianum episcopum arelatensem, suum in ea regione Vicarium, scribit, eum confirmans de sua omnimoda cum quatuor Conciliis in fide concordia. Et amplius eum rogat, ut ceteri, eo mediante, sciant episcopi, seque caveant ab illorum insidiis; nec aliter falsis scriptis, aut mendacibus verbis, vel nuntiis turbentur. Quod quidem tam fidenter haud scripisset Vigilius, si ipse de sui animi infirmitate conscius, ut illum existimarunt adversarii (et usque modo quidam arbitrantur) nunc defensoribus, nunc expugnatoribus trium Capitulorum adhaesisset; et modo istorum, modo illorum cessisset exactionibus, temporum conditionibus et personis serviens magis quam veritati. Et haec interim scribebat ad Aurelianum Vigilius circa an. 551. : « Necesse est ergo nobis caritatis vestrae sollicitudinem brevi interim, quantum pro temporis qualitate potuimus, revelare colloquio: quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctae, quae una eademque est, fidei quatuor Synodorum, idest nicaenae, constantinopolitanae, ephesinae primae atque chalcedonensis inveniatur (quod sane absit) contrarium, aut quod ad personarum injuriam pertineat; quae definitioni ejusdem sanctae fidei subscripserunt, vel sanctorum praedecessorum nostrorum Caelestini, Xysti, Leonis, aliorumque praecedentium atque sequentium definitis reperiatur adversum; sed a nobis omnibus praedictis Synodis unam venerationem, unamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi.

« Et eos qui omnes suprascriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequuntur, vel unam ex ipsis, vel omnes in fide repravant, aut reprobare, aut injuriare, vel repudiare nituntur, abjicimus. Sed et ea, quae in ejusdem sanctae fidei injuriam verbo dicta vel reperiuntur scripta, anathematizanda, execrandaque judicavimus, et constituimus judicanda: simili poena plectentes etiam eos, qui fidem beati Cyril-

li, quam sanctae recordationis Leo praedecessor noster, ad praedecessores vestros, aliosque datis probavit et laudavit scriptis, et chalcedonensis veneranda sancta Synodus legitur protulisse, aliorumque Patrum, quos Apostolicae Sedis praesules susceperunt, et secuti sunt, execranda superbia, impiam vocaverunt. Fraternitas ergo tua, quem Apostolicae Sedis per nos constat esse vicarium, universis episcopis innotescat, ut nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis qualibet ratione turbentur, sed potius primi Apostolorum, sicut convenit, verba sectentur dicentis: *adversarius vester diabolus, ut leo rugiens, circumit quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide* . . . in Domino confidentes, quia sicuti praefati sumus, ab Apostolis fidem traditam, et a praedictis sanctis quatuor Conciliis declaratam, et a decessoribus nostris, et ab antedictis Patribus praedicatam, atque inviolabiliter custoditam, sincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati sumus, veneramur, atque defendimus, et contra eam facientes apostolica auctoritate damnamus etc. »

Ex his duabus epistolis constat quanta afficeretur anxietate Vigilius ob Rustici et Sebastiani factionem. Qui huc illuc discurrentes in Occidentis regiones, episcopos contra Pontificem excitarunt: quasi ipse in Judicato adversus praefata Capitula fidem violasset quatuor oecumenicarum Synodorum. Eo magis quod jam ab initio quaestionis, in Africa speciatim insurrexissent ecclesiarum praesules (in quibus valde emicuit Facundus) mordicus ea Capitula defendentes, ac praecipue Ibae inscriptam Epistolam ad Marim, ubi totius continebatur summa quaestionis. Nihilominus, si inde scandala ab insciorum et pravorum studio deploranda sint; hinc nostra valde interest ex praefatis epistolis, Judicati, quod Vigilius per litteras Mennae dedit, ubi Constantinopolim advenit, et hucusque deperditum, sensum perspicue eruisse, ut comprobetur, Pontificem suprema usum auctoritate, ex certa scientia, nullaque vi, aut alicujus favore adactum, horum Capitulorum decrevisse damnationem, nec eo usque eam emendasse, aut retrectasse, seu aliter esse interpretatum.

Post haec ab incepto non desistamus, adserturi pergentes et Vigilii in proposito constantiam sicuti inde quaestionis

origenianae exclusionem tum in iis, quae Synodo praecessere, tum in ipsius Synodi actis. Ubi Judicati sensus plenaria sanctione exponendus ac firmandus erat; ubi terminus animorum incertitudini collocandus; et ubi pax Ecclesiae restituenda: quod admodum in votis erat Vigilii, cunctorumque fidelium. In quo similiter licet animadvertere et ejusdem Vigilii et Imperatoris, et episcoporum in trium Capitulorum causa omnimodam praemissis decretis consonantiam: quaeque proferenda, publiceque discutienda erant pro ipsius Judicati confirmatione. Et hoc lubentius agam, quo magis nobis adversantur nonnulli dicentes, Synodum non fuisse canonicam, eo quod, resistente Pontifice, fuerit congregata, et eodem obnitente, absoluta.



CAPUT IV.

Canonice, Vigilio Papa consentiente, Synodum V. oecumenicam congregatam esse, canonice trium Capitulorum damnationem ibi sancitam, et, quod una quaeritur, ab eadem Synodo exclusam fuisse Origenis causam, luculenter probatur.

Antea novisse conducit, quousque trium Capitulorum propugnatores profecissent in proposito pervicaces, summo studio totisque viribus Vigilii Judicatum conculcantes, ceu Synodo chalcedonensi manifeste contrarium. Et quamvis in ipso, damnatis tribus Capitulis, Pontifex professus, sitque obtestatus, incolumem servari fidem Patrum illius Concilii et Leonis Papae; attamen contradictores et hanc aspernati Vigilii cautionem in ipso Judicato expressam, ob praesumptam in ipsum Pontificem violentiam, aut ob ejusdem ambitionem, sive ob ignorantiam vel temeritatem, uti infra dicetur, Synodis in Illyrio et in Africa adunatis, Judicatum anathematizarunt cum ipsius auctore Vigilio, datis inde epistolis ad Justinianum. Victor Tununensis has memorans, de Synodo africana haec ait: « Post Consulatum Basilii V. C. an. X. africani antistites Vigilium Romanum Episcopum damnatorem trium Capitulorum synodaliter a catholica communione, reservato ei poenitentiae loco, recludunt. »

His sane instantibus contradictionibus per epistolas ceteraque hujus generis scripta a praefatis episcopis studiose elaborata adversus Judicatum, necessario solertissima Vigilii opera repetebatur, ut scandala coerceret, errantesque in viam reduceret veritatis. Nec aliud ideo aptius sibi videbatur initurus consilium nisi Synodi generalis convocationem: quam tunc opportune congregandam consensit pro ejusdem Judicati confirmatione. Eoque amplius cum pateat, nihil de fide proprie ibi fore disquirendum, sed de personis tantummodo eorumque scriptis ad Synodum chalcedonensem spectantibus; ita ut, in medio prolatis codicibus sinceris, studiose expensis et collatis, convenientique interpretatione elucubratis, quid in ipsis certi haberetur, et hinc quid ibi re-

probandum, condemnandumque esset, perspicue constaret auribus episcoporum, qui de Judicato Pontificis fuerant scandalizati. Et id quidem in omnibus expletum est a Synodo V. cunctis sancito Patrum suffragiis, quod per Judicatum statutum fuerat in trium Capitulorum damnatione. In qua Synodi convocatione patenter videre est et Justiniani, et episcoporum, et Vigilii Papae concordiam, quin unus alteri repugnaret sive de ejusdem indictione, aut de scopo, aut de personis ad hoc vocatis, ibique adstantibus.

Hoc autem elucet antea a libello Eutychii et aliorum episcoporum eidem Vigilio oblato: in quo ipsi primum fidem profitentur quatuor Synodorum oecumenicarum, et ceterarum epistolarum Pontificûm Romanorum. Hac emissa professione subdunt: « Cum igitur praedicta omnia et servavimus et servamus, et in his omnibus nobis ipsis consentimus, necessarium est conferri de tribus Capitulis, unde quibusdam quaestio nata est. Et ideo petimus, praesidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate et sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu, eadem Capitula in medio proponenda quaeri, disputari, et finem imponi quaestioni Deo placitum, et convenientem his, quae a sanctis quatuor Conciliis definita sunt. Quoniam ad augmentum pacis et concordiam ecclesiarum pertinet, ut omni de medio sublata dissensione, quae a praedictis quatuor sanctis Conciliis definita sunt, inconcussa serventur, sanctarum Synodorum reverentia in omnibus custodita etc. »

Hoc accepto libello, Vigilius Eutychio respondens cunctisque Patribus, qui convenerant (quamvis et quidem jure, ut infra dicetur, Synodo adesse noluerit) acceptissimum habuit, probavitque episcoporum conventum, eumdem hujuscemodi sermone celebrans: « Repletum est gaudio os nostrum ..... Valde enim nos in Domino exultare convenit, quod caritatis vestrae scripto nobis est oblata professio, cujus tenor ita se habet: *Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, custodiens corda et sensus fidelium, colligens eos ut unum idemque sapiant in recta fidei confessione .....*

« His autem subscripsimus, hujus professionis orthodoxae claritatem libenter amplexi, eadem nos per omnia et in

omnibus approbantes, custodituros atque inviolabiliter servaturos, Deo nostro profitemur auctore. Omnibus igitur, quae professio vestra continet, in sua perenniter firmitate durantibus, poposcit vestra fraternitas, ut nobis praesidentibus, de tribus Capitulis, ex quibus quaestio nata est, sub tranquillitate et sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Evangeliis conferatur, et finis quaestioni ipsi Deo placitus et conveniens iis, quae a memoratis sanctis quatuor Conciliis definita sunt, imponatur: ut omni de medio dissensione sublata, quae ab eisdem quatuor sanctis Synodis definita sunt, inconcussa serventur, earumdem Synodorum reverentia in omnibus custodita.

« Quam professionem paternarum traditionum memorem et sequacem, tam in fraternitate vestra, quam in omnibus similia confessis atque confitentibus, omni laude plenissimam judicavimus, et nostros ex ea re vere fratres agnoscimus. Unde divinae clementiae supplicamus, ut omnes nos in hac confessione et paternis traditionibus permanentes, nostro digni reperiamur officio, et in die divini judicii nulli praevaricationi paternarum constitutionum inveniamur obnoxii. Quibus ita praedictis, postulationis vestrae desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quaestio nata est, facto regulari conventu, servata aequitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeatis, et finis detur placitus Deo, et conveniens his, quae a sanctis quatuor sunt definita Conciliis: scientes utique, sicuti et communis professionis testimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reverentiam custodiri. Deus te incolumem custodiat etc. Imperii Justiniani an. 27. »

Expositis huscusque, quae Eutychius una cum Synodi Patribus per litteras significavit Vigilio, et quae Romanus Pontifex rescripsit de Synodi probatione et de rebus in ipsa discutiendis, juxta documentorum seriem sequitur *Forma*, quam Justinianus recitandam dedit coram Patribus in Synodo adunatis. Quae etsi in Conciliorum editione locum teneat ante praefatas epistolas; attamen ab ejusdem Formae lectione perspicue comperitur, hanc illis subsecutam fuisse scriptis. Tenor porro hujus *Formae* ita se habet:

« Semper studium fuit orthodoxis et piis imperatoribus patribus nostris, pro tempore exortas haereses per congregationem religiosissimorum episcoporum amputare, et recta fide sincera praedicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter et Constantinus piae recordationis, Ario blasphemante.... condemnata ariana impietate, studium habuit rectam fidem obtinere..... Sed et Theodosius Senior piae recordationis, Macedonio negante deitatem Sancti Spiritus, et Apollinario vel Magno ejus discipulo.... congregatis in regia Urbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cum et ipse particeps fuisset Concilii, damnatis praedictis haereticis una cum impiis eorum dogmatibus, fecit rectam praedicare fidem.... Iterum Nestorio impie alium dicente Deum Verbum et alium Christum, et hunc quidem natura Filium Dei Patris, illum autem gratia Filium impie introducente..... Theodosius Junior piae recordationis congregavit priorem Synodum ephesinam.... ubi condemnatus fuit Nestorius una cum ejus impietate....

« Et post haec iterum cum Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem nobis esse carnem Domini, multis interea motis tam Constantinopoli, quam Ephesi.... piae recordationis Marcianus congregavit Synodum Chalcedone, et magna contentione inter episcopos facta... damnaverunt Eutychem dementem et impia ejus dogmata, nec non Nestorium et defensores ejusdem..... Exiguo autem tempore transacto iterum insurrexerunt Nestorii et Eutychis sequaces, et tantas turbas in sanctis Dei ecclesiis fecerunt, ut divisiones et schismata in eis fierent, et nullam communionem ad se invicem ecclesiae haberent... Cum autem secundum suam misericordiam Dominus Deus reipublicae gubernationem nobis credidit, initium et fundamentum nostri imperii fecimus conjungere divisos sacerdotes sanctarum Dei ecclesiarum ab Oriente usque ad Occidentem et omnem contentionem amputantes, quae contra chalcedonensem sanctam Synodum ab Eutychis et Nestorii impiorum sequacibus movebatur, fecimus praedicare eamdem sanctam Synodum cum praedictis tribus in Dei ecclesiis, certe scientes quod ea, quae ab ea de fide exposita sunt, consonant per omnia aliis tribus sanctis Conciliis...

« His itaque pro firmitate sanctarum quatuor Synodorum, Deo propitio per nos factis et obtinentibus in sancta Dei Ecclesia, Nestorii sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctae Dei Ecclesiae ; et non potentes hoc facere per Nestorium, festinarunt hoc facere per Theodorum mopsuestenum doctorem Nestorii.... et per impia Theodoreti conscripta . . . et insuper per sceleratam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quae plena est omni impietate Theodori et Nestorii.

« Per hanc enim impiam Epistolam non solum impietatem, sed etiam impias personas Theodori et Nestorii, quas maxime laudat et vindicat eadem impia Epistola, festinarunt condemnationem liberare, dicentes eam susceptam esse a sancta chalcedonensi Synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctae Synodi; sed nomine ejus sicut putant, suam impietatem confirmare festinantes. Certum est autem, quod impia intentio est ista vindicantium, ut si eis evenerit, non praedicetur Deus Verbum homo sanctus esse : nec sancta gloriosa Virgo Maria Dei Genitrix praedicetur. Haec enim Theodorus et Nestorius in suis conscriptis impie exposuerunt, et qui Epistolam scripsit, in ea blasphemat. Nos igitur sequentes sanctos Patres, et volentes rectam fidem sine aliqua macula in Dei ecclesiis praedicari, et impiorum resecare conatum, primum quidem et in vestris vos degentes ecclesiis, interrogavimus de praedictis impiis tribus Capitulis: et vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua et comprobavimus vos, quod indubitanter et cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, et impiam condemnastis.

« Quoniam vero et post condemnationem a vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria Capitula vindicantes; ideo vocavimus vos ad regiam Urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestare. Vigilio enim religiosissimo Papae antiquioris Romae, cum pervenisset ad hanc regiam civitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus, et interrogavimus eum, quid sapit de hoc. Et ipse non semel, nec bis, sed etiam saepius in scriptis anathematizavit impia tria Capitula. Quod vero ejusdem voluntatis semper fuit de con-

demnatione trium Capitulorum, et per plurima alia declaravit, et per condemnationem Rustici et Sebastiani aliquando diaconorum antiquioris Romae. Qui cum primum suscepissent factum ab eo Judicatum, in quo anathematizavit eadem impia Capitula, postea susceperunt et defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano episcopo Scythiae, et Aureliano Arelati, quae est prima sanctissimarum Galliae ecclesiarum scripsit et manifestavit de condemnatione istorum Capitulorum. Et praecepit eis nihil suscipere quod a condemnatis diaconis scribitur contrarium praedicto Judicato. Et compendiose dicere, semper in eadem voluntate perseveravit. Et haec omnia per suum tempus vobis manifesta faciemus.

« Quoniam vero postea, cum pervenissetis, uti dictum est, ad hanc regiam Civitatem, scripta facta sunt ad invicem a vestra sanctitate et a Vigilio religiosissimo Papa antiquioris Romae, ut omnes uniti conveniatis, et propter illos, qui sive ex ignorantia, sive scientia impietatem Capitulorum defendunt, congruum judicium eis, quae a sanctis quatuor Synodis pro fide definita sunt, proferatis; mandavimus illi etiam per nostros judices et per quosdam ex vobis, ut una cum omnibus conveniret, et communiter disceptaret de praedictis Capitulis; ut forma daretur rectae fidei conveniens: et quod et ipsum et vestram sanctitatem in scriptis interrogavimus de hoc, ut aut tamquam impia Capitula ab omnibus condemnarentur; aut si putat recta esse, aperte suam manifestaret voluntatem. Alienum est enim christianorum cum recta fide impia suscipere, et non a malis recta discernere. Ille vero nobis mandavit, quod de praedictis tribus Capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis. Adhortamur igitur vos etiam de his disceptare. Scire enim vos volumus, quod nos ea quae a sanctis quatuor Synodis exposita sunt. . . suscipimus et amplectimur . . . . .

« Hortamur etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt non oportere post mortem haereticos anathematizari: et sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum viventes haereticos condemnaverunt, sed et post mortem, utpote in sua impietate mortuos anathematizaverunt, sicut eos, qui injuste condemnati sunt, revocarunt

post mortem, et in sacris diptychis scripserunt . . . Et quoniam praesumunt quidam dicere, et Epistolam, quae praedictam impietatem continet, susceptam esse a sancto Concilio chalcedonensi, hortamur vos conferre ea, quae sunt dicta ab eodem sancto Concilio in definitione pro fide exposita, cum his quae in impia Epistola continentur, ut undique recta quidem confirmentur, impia autem condemnentur etc. »

Collatis interim quae episcoporum nomine scribit Eutychius ad Vigilium, quae horum instantiis respondit Papa, et quae Justinianus praedecessorum suorum vestigia sectatus manifestat in sua piissima *Forma* coram Synodo recitata, cernito quale Principis studium, et quale antistitum ecclesiarum obsequium erga Romanum Pontificem; e cujus ore singuli pendebant, a cujus mandato recedere nefas arbitrati. Ac insuper videas, hujus Concilii potissimum scopum in eo versari, et ita velle Vigilium, ut in expositione et discussione monumentorum ad rem spectantium, integra servaretur in omnibus reverentia quatuor praecedentibus Synodis oecumenicis, ac totus tolleretur adversariorum praetextus: qui, damnatis tribus Capitulis, laedi putarunt a praeviis Conciliis et praesertim a chalcedonensi definita.

Quoad vero hujus *Formae* sinceritatem non est ut immorer hanc propugnans. Seorsim enim a nonnullis exemplaribus schismaticorum perversitate corruptis, de quibus suo loco dicetur, primum illorum, qui praecesserunt Principes christiani fidei catholicae zelatores, sensibus convenire compertum est, sicuti deinde circumstantiis et personis in eadem Synodo memoratis; adeo ut nullum arbitrer de ea ceu supposititia dubitare. Cujus quidem genuinum dictatum alibi manifestius expositum, proposito nostro amplius proficiet.

Interea, quamvis Papa, episcopi, et Justinianus veluti ex eorum dictis palam constat, una convenirent de Synodi necessitate, cunctique de ea solliciti forent, Ecclesiae paci consulendi causa; nihilominus contra antistitum et Imperatoris votum, Vigilius Patrum sessionibus interesse abnuit, asserens se *per seipsum facere et responsum dare*. Hujusmodi porro sermo jure sapienterque a Vigilio excogitatus, ac saepe innovatus per legatos, ut Patribus responderent in Con-

cilio adunatis, non ubique idem reperitur; verum additionibus et circumstantiis connexus, quae contraire mentemque Pontificis sinceram mutare videntur. Quaeque manifeste ostendunt furtivum calamum; qui studuit Justinianum et Papam et episcopos repraesentare inter se discordes in Capitulorum quaestione: quod prorsus falsum est. Papa namque ut in epistola ad Eutychium legitur, de episcoporum conventu laetatus est, sicuti et discussioni annuit Capitulorum: nisi quod a Synodo absens, promisit tamen per semetipsum de his proferre judicium, quemadmodum deinde egit in Constituto, firmans Patrum decreta adversus tria Capitula, et amplius Judicatum, quod prius emiserat Constantinopolim ingressus.

Dixi autem Papam, Concilio pro discussione trium Capitulorum adunato, unum et alteram approbantem, non adstitisse tamen: sed per se promisisse judicium de ea quaestione proferre. In qua re nec Justiniano, nec Synodo nocuit, nec consilium mutavit Vigilius: verum altissima sapientia cuncta disponens, decus et dignitatem Romani Pontificatus custodivit, ne in his similibus quaestionibus inter contendentes disceptator haberetur Papa, sed judex. Ideoque stantibus discussionibus se abstinuit, ob oculos antecessoris sui Coelestini Papae vestigia habens; qui in *Commonitorio* quod dedit episcopis euntibus in Orientem anno 431. pro Synodo adversus Nestorium, mandavit: « Cum, Deo nostro, sicut credimus et speramus, auctore, ad destinata loca venerit vestra Caritas, ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite; quidquid in ejus videritis arbitrio, facietis; et auctoritate Sedis Apostolicae custodire debere mandamus. Siquidem et instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen etc. »

Cum ergo Coelestinus legatis in Orientem profectis talia providit, hoc item Vigilius pro sua convenientia tunc servavit, se non tantum discussione abstinens, sed et in persona a certamine cum episcopis ineundo. Cetera ideo huic sincerae pontificiae locutioni addita in actis hujus Synodi, idest

quod propter corporis infirmitatem, non potuerit episcoporum petitioni respondere; ac in postera die pollicitus sit manifestare quod ei placuerit: itemque quod in secunda die, ubi acta recitantur a Patribus diei praecedentis, subdat non posse Synodo adstare, eo quod plurimi ibi essent orientales episcopi, pauci vero cum eo (quae inter se pugnant et cum iis quae innovantur in VII. et VIII. Collatione circa Vigilii sponsionem ex se proferendi sententiam de notis Capitulis) haec cum reliquis eidem impositis tergiversationibus, interpolatoribus adscribenda sunt, et quidem ea Capitula propugnantibus, de quibus infra.

Quapropter notatu sane dignum est, quod successive discutitur in Collationibus IV. et V. circa Theodori mopsuesteni libros et personam, Ibae Epistolam, et Theodoreti Scripta, unde, de his accurato instituto examine, rationale et juridicum exortum est trium Capitulorum anathema. Cum ea autem quaerebantur a Synodo, ita traditur in Collatione VII: « Constantinus gloriosissimus quaestor sacri palatii, missus a piissimo Imperatore, et ingressus ita dixit. Certum est vestrae beatitudini quantum semper studium invictissimus habuit Imperator, ut finem contentio a quibusdam exorta de tribus Capitulis, quae nunc apud vos requiruntur, susciperet, et calumnia pro his illata liberaretur sancta Dei Ecclesia: non tanquam ignorans in dogmatibus vestrae rectitudinem sanctitatis, et voluntatem, quam de his, quae moventur, habetis; sed ut etiam synodice de his tribus Capitulis definitio constituatur. Vigilium vero religiosissimum adhortatus est una vobiscum convenire, et istorum Capitulorum quaestioni rectae fidei convenientem finem imponere. Ille vero saepius in scripturis suam manifestavit sententiam ac voluntatem, condemnans praedicta tria Capitula; quod etiam et sine scriptis saepius dixit coram piissimo domino, praesentibus quidem gloriosissimis judicibus, praesentibus vero quamplurimis de vestra sancta Synodo. Et non intermisit semper anathematizans defensores Theodori mopsuesteni, et Epistolam, quae dicitur Ibae, et Conscripta Theodoreti, quae adversus rectam fidem et duodecim Capitula sancti Cyrilli exposuit. Communiter vero convenire invitatus, et hoc facere una cum

vestra sancta Synodo, pollicitus est per seipsum facere et dare piissimo domino.

« Ut igitur etiam ea, quae saepius ab ipso facta sunt ad condemnationem trium Capitulorum, vos audientes alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, direxit per me vestrae sanctitati condemnationem ab ipso Vigilio religiosissimo prolatam adversus Rusticum et Sebastianum diaconos Romanae sanctae Ecclesiae et alios quosdam, nec non etiam litteras, alias quidem ad Valentinianum religiosissimum Scythiae episcopum ab ipso scriptas, alias vero ad Aurelianum religiosissimum, qui praesidet Arelati venerandae ecclesiae; quae prima est sanctarum Galliae ecclesiarum, omnibus translatis in graecam linguam ad faciliorem scientiam vestrae sanctitatis; per quas manifestum facit idem religiosissimus Vigilius, quod per totum tempus, eorumdem trium Capitulorum aversatur impietatem etc. »

Quae omnia comprobantes Patres Concilii, summatim repetitis quae antea discussa sunt, in lucem erutis veterum monimentis, Judicatoque consentaneis omnino repertis: cumque insuper compertissimum eis habitum fuerit, trium Capitulorum damnationem in nihilo definitionibus obstare quatuor Synodorum generalium; acceptis harum sanctionibus, omnes et singuli, nemine invito, certa scientia, sponte et alacriter horum Capitulorum anathemati subscripserunt. Quia tamen, ut saepius dictum est, in hujus Concilii actis a principio ad finem, vestigium aliquod appareat perplexitatis Pontificis, nec multo minus contradictionis; sicuti nec ibi invenire est indicium quaestionis origenianae, nec hujus damnationis sive ex Justiniani edictis, vel ex Pontificis epistolis, seu ex Patribus simul, aut seorsim, in Synodo dijudicandi causa propositae.



CAPUT V.

Novissimum exponitur Vigilii Papae Constitutum, ubi tum adversariorum exploduntur argumenta in trium Capitulorum defensione, tum illorum existimantium in Synodo V. damnatum Origenem.

Expeditis actis Synodi V. in totius negotii complementum hoc accedat Vigilii Constitutum; ubi continetur omnis disputationis summa, supremumque judicium, a quo recedere amplius non licuit. Haec porro ibi summopere notanda sunt:

« Posteaquam, inquit Vigilius, beati chalcedonensis Concilii expositionem, vel beati Leonis epistolam de sancta et orthodoxa fide posuimus, quae una eademque est trium praecedentium Synodorum, idest nicaenae, constantinopolitanae atque ephesinae primae, et Deo juvante, in ea nos omni sincerae mentis devotione persistere fraternitas vestra et universalis agnoscit Ecclesia, necessarium valde credimus pro ejus servanda per omnia reverentia de suprascriptis trium Capitulorum quaestionibus diligenter debere nos cuncta discutere, et cauta promulgatione sententiae definire, etc. »

Ex hoc Vigilii sermone, quo Constitutum suum auspicatus est, et ubi perspicue ad episcopos in Synodo alloquitur cum ait: *fraternitas vestra et universalis cognoscit Ecclesia*, primum nexum intuere inter hoc Constitutum, et epistolam, quam Eutychio ab initio Synodi dedit Vigilius. Secundo concordiam inspicias inter Pontificem et episcopos, et sponsionis complementum a Vigilio factae Patribus, quod per seipsum scripto redderet responsum de tribus Capitulis, Synodi definitionem sanciens, lateque exponens; quae septem circiter annos antea adversus eadem per Judicatum statuerat.

His praemissis ad discussionem graditur trium Capitulorum, ubi pro re nostra notandum est quod de Ibae Epistola primum dicit, ostendens illam nestorianorum fraude et perversitate conscriptam; nec Ibae esse epistolam, quippe suae professioni contrariam: « Ergo illa (dicit Papa n. 22.) ad Marim Persam accusatoris potius qui eam protulit, nec

probavit, quam Ibae, qui eam negavit, esse justissime ab omnibus vel aestimata est, vel aestimari debet Epistola. » Deinde n. 25. in eam subdit: « Itaque anathematizamus atque damnamus suprascriptam Epistolam, quam ad Marim Persam haereticum scripsisse Ibas confingitur; quae Deum de sancta Dei Genitrice et semper Virgine Maria incarnatum et hominem factum esse abnegat ..... Eos autem qui memoratam Epistolam ad Marim Persam designatas superius blasphemias continentem a sancta chalcedonensi Synodo a praesenti tempore, innotescente sibi nostri serie Constituti, contenderent esse susceptam, vel a quocumque eorumdem Patrum in Chalcedone residentium orthodoxam pronuntiatam nituntur adstruere, pari anathematis poena percellimus. Quoniam non solum sancto et reverendo chalcedonensi Concilio inrogare moliuntur injuriam; verum etiam incentores ac renovatores se sopiti scandali profitentur. »

Paulo post n. 26. ad Theodorum mopsuestenum sermonem vertens ait: « Expletis, quae de sopienda primi Capituli quaestione, idest de Epistola ad Marim Persam disserenda vel definienda erant, necesse nobis est, quid de Theodoro mopsuesteno ejusque dictis, ecclesiasticae unitatis ratio vel fidei a sanctis patribus traditae cautela fieri exigit expedire. Perpendimus itaque, quod hujus quoque quaestionis exordium ex haereticorum coenoso fonte manaverit. Cum enim nestoriani ante plures annos non valerent impia ejus dogmata sub ipsius damnati Nestorii nomine quorumdam sensibus decipiendis inserere, hinc proferendi erroris sui opportunitatem exquisitis fraudibus invenerunt, ut ex ipsius Theodori mopsuesteni libris, quem jactant in pace Ecclesiae defecisse, impia rursus Nestorii dogmata blasphemiis immanioribus innovata introducere niterentur. Quorum venena diuturnis temporibus occulte serpentia, nunc aperta professione manantia, nostros et christianissimi Principis omniumque orthodoxorum animos permoverunt, attendentium non esse amplius differenda remedia, ubi, per patientiam dissimulatione nutrita, tam magni mali videtur crevisse pernicies.

« Hoc enim memoratos nestorianos publice et incessanter adstruere nulli venit in dubium, dicentes. *Nos patrem non tam*

Nestorium quam mopsuestenum Theodorum veneramur, ejusque libros tota nostrae devotione mentis amplectimur; nec erit quisquam, qui nobis obsistere valeat, cum dogma nostrum sic antiqui doctoris Theodori ubique vulgatis codicibus adstruatur. Quorum nestorianorum vocibus nonnullos inerudití vulgi numerus cotidianis diebus prava seductione decipitur. Cum ergo constet amplius per defuncti Theodori nomen atque conscripta nestorianae haeresis errorem populis intromitti, quam vivus potuit inferre Nestorius, non tam negligentiae, quam conniventiae crimen nos credidimus incursuros; si tam necessariae correctionis quam periclitantis Ecclesiae dispensatio flagitat, differri ulterius remedia pateremur. Neque enim, ut quidam inaniter diffamabant, Theodori ejusque dictorum poterit excusationi proficere, quod in Epistola ad Marim Persam, nomen Theodori vel scripta ejus videntur copiose laudari, cum et praecedenti adsertione multipliciter fuerit demonstratum, eamdem Epistolam sicut a nobis, ita et a sanctis Patribus in Chalcedone residentibus juste damnatam, et hoc potius ad malorum Theodori demonstrationem abunde sufficiat, quod illic nomen scriptaque ejus laudata sunt, ubi beatus Cyrillus et ephesina prima Synodus impugnatur.

« Quae cum ita sint, non tamen destitimus per fideliores interpretes scripta ejusdem Theodori perscrutari, quamvis nobis et ante utcumque fuerint publicata. Ex quo nunc praeclaruit lucidissima veritate praedicti Theodori mopsuesteni libros contraria rectae fidei et sanctorum Patrum continere doctrinis . . . Quarum blasphemiarum ex libris Theodori mopsuesteni perversitate reperta', evidenter apparet falsissime quosdam foventes dicta Theodori, opinari quod memoratus Theodorus non fuerit in sua vita damnatus, cum perspectis praedecessoris nostri Damasi beatae recordationis synodalibus constitutis, quae post nicaenum Concilium de Spiritu Sancto tractantibus, et convenientibus in urbe Roma catholicis episcopis, et beatae recordationis Ambrosio mediolanensis civitatis antistite, sunt edita longe antequam Theodorus Mopsuestiae officium episcopatus adsumeret, inveniremus plenissime definitum eos, qui duos filios adfirmant, unum ante secula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgi-

ne, sicuti superius Theodorum adseruisse monstratum est, anathematis poena percussos. Ubi non solum illi, qui eodem tempore ipsius erant haeresis sectatores, verum etiam illi, qui succedentibus temporibus eumdem sequerentur errorem, ejusdem anathematis vinculis reperiuntur adstricti. Cui damnationi Theodorum quoque Mopsuestiae necesse est fuisse subjectum, qui praedamnatae haeresis sectator et praedicator effectus est.

« Nec enim aliter eos, quos nunc in arianam, vel in aliam quamlibet haeresim reperimus implicatos, jam anathematis poena damnatos accipimus; nisi quia in praedamnatis, quos sectantur, erroribus, inveniuntur ipsi quoque damnati . . . . Pro his igitur omnibus Ecclesia universalis agnoscat cujus utilitati, ne Christi Dei nostri plebs amplius seducatur, nostra servit intentio. Quam utilitatem per Theodori nomen atque scripta laedi supra meminimus, juste nos et sine aliqua reprehensione ad ea, quae praesenti auctoritate statuimus, descendisse . . . . Propter quod clarum est, nihil novi nos per hanc damnationem statuere, sed ea anathematizasse, quae et sancta chalcedonensis Synodus respuit et ipse quoque Theodoritus episcopus illic sua professione condemnavit. Praedicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, idest Epistolam, quae dicitur Ibae, ad Marim Persam : in qua nefandae superius designatae blasphemiae continentur , et impium Theodorum mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quae impie Theodoritus conscripsit. Et quicumque ea quoquo tempore crediderit accipienda vel defendenda ; aut conatus fuerit aliquando praesentem damnationem resolvere, pari anathemate condemnamus. Eos autem qui conservantes rectam fidem praedictis quatuor Synodis praedicatam, memorata tria Capitula damnarunt, vel damnant, fratres et consacerdotes habemus.

« Quaecumque vero sive meo nomine sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, praesenti nostra plenissimi Constituti auctoritate evacuamus. Quas omnes designatas blasphemias absit ab universali Ecclesia, ut quisquam asserat praedictas quatuor Synodos vel unam ex eis suscepisse, vel eos, qui

talia sapuerunt atque secuti sunt; cum constet a sanctis memoratis Patribus et maxime a sancto chalcedonensi Concilio, nullum de quo fuit suspicio, fuisse susceptum, nisi qui superius designatas blasphemias vel his similia, aut haeresim, de qua suspectus fuit, respuit, aut blasphemias, de quibus de eo dubitatum est, abnegavit, atque damnavit. Et ideo etc.»

In hoc sane Constituto totius oeconomiam quaestionis mirari non desistamus; qua studuit Vigilius animorum temperare aestum et ad unitatem revocare divisionem. Primum enim oportuit, ut omnes sibi suaderent, per trium Capitulorum damnationem, salvam et integram manere fidem Concilii chalcedonensis, nec hujus Synodi, nec aliarum praecedentium imminui auctoritatem, nec fidei Patrum mutari professionem. Quamobrem Vigilius defendentium et expugnantium ponderatis rationibus, ne huc vel illuc impingeret in sua pronuncianda sententia, praemissa in priori Constituto ab ipsius in Urbem regiam ingressu obsignato, immutabiliter instaurat in hoc novissimo septem post annos ex quo primum ediderat: « Propter quod, in n. 7. praemisit, nulli venit in dubium, quod ea, quae adversus nos false dici asserimus, neque a nobis dicta, neque a nobis facta esse omnino diffiteamur: et quae ex abundanti recepisse adstruimur, et antea tenuisse firmemur. » Quod in n. 26. rursus confirmat: « Quae cum ita sint, non tamen destitimus per fideliores interpretes scripta ejusdem Theodori perscrutari; quamvis nobis et aute utcumque fuerint publicata. » Et ita prosecutus corripit Vigilius et damnat, qui Ibae Epistolam susceptam esse a Synodo chalcedonensi tenebant, quandoquidem in ipso Judicato jam fuerat ab eo anathematizata. Quod Judicatum sive Constitutum primum ob oculos perpetuo habuit Vigilius, istud ut normam et centrum totius processus collocans, et disceptationum terminum in hoc novissimo Constituto firmandum.

Secundo, notandum in hoc Constituto est, quod in n. 26. dicit Vigilius de trium Capitulorum patronis: « *Quorum venena diuturnis temporibus occulte serpentia, nunc aperta professione manantia, nostros et christianissimi Principis omniumque orthodoxorum animos permoverunt etc.* » In quo sermone ejusdem fidei adstruitur et zeli unitas inter Pontificem et e-

piscopos et Justinianum, eorumque concordia in haereticis expugnandis, et omnium simul constantia in quatuor propugnandis Synodis generalibus. Quam concordiam speciatim inter Principem et Pontificem fateri necesse est, et tunc et antea quando ad Rusticum et Sebastianum scripsit Vigilius; quando Judicatum Mennae dedit per litteras; et quando primum Urbem regiam appulit a Justiniano invitatus. Et haec omnia adversus calumnias et fabulosa commenta tria defendentium Capitula, sicut inferius ostendetur.

Quoad autem Principis et Pontificis concordiam et zelum in profligandis horum Capitulorum patronis ac quomodo ambo eadem sentirent in hac causa, ob oculos juvat et Constituti Papae et *Formae* Justiniani dicta quaedam conferre; ita ut dicatur et Constituti integritas genuitati suffragari *Formae* Imperatoris, ac utrumque scriptum falsitates prosternere adversariorum. Justinianus enim ibidem ait, Nestorii sequaces propriam impietatem Ecclesiae Dei applicare volentes, cum non potuerint per Nestorium facere, introducere festinasse per Theodorum mopsuestenum: « Certum est autem quod impia intentio est ista (Capitula) vindicantium, ut si eis evenerit, non praedicetur Deus Verbum homo sanctus esse, nec sancta gloriosa Virgo Maria Dei Genitrix praedicetur. »

Hujusmodi sensus instaurantur a Vigilio in n. 26. Constituti: « Perpendimus itaque quod hujus quoque quaestionis exordium ex haereticorum coenoso fonte manaverit. Cum enim nestoriani ante plures annos non valerent impia ipsius dogmata sub ejusdem damnati Nestorii nomine quorumdam sensibus decipiendis inserere, hinc proferendi erroris sui opportunitatem exquisitis fraudibus invenerunt, ut ex Theodori mopsuesteni libris, quem jactant in pace Ecclesiae defecisse, impia rursus Nestorii dogmata blasphemiis immanioribus innovata introducere niterentur. »

Item in *Forma* dicit Justinianus: « Et quoniam, sicut dictum est, praesumunt quidam dicere et Epistolam, quae praedictam impietatem continet, susceptam esse a chalcedonensi sancto Concilio, hortamur vos conferre quae dicta sunt ab eodem sacro Concilio in definitione pro fide exposita, cum

his quae in impia Epistola continentur, ut undique recta quidem confirmentur, impia autem condemnentur. » Haec eadem recenset Vigilius ac anathemati subdit in n. 25. Constituti: « Eos autem, inquit, qui memoratam Epistolam ad Marim Persam designatas superius blasphemias continentem, a sancta chalcedonensi Synodo a praesenti tempore, innotescente sibi nostri serie Constituti, contenderent esse susceptam vel a quocumque eorumdem Patrum in Chalcedone residentium orthodoxam pronunciatam, nituntur adstruere, pari anathematis poena percellimus. Quoniam non solum chalcedonensi Concilio irrogare moliuntur injuriam, verum etiam incentores ac renovatores se sopiti scandali profitentur. »

In *Forma* legitur: « Hortamur autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt non oportere post mortem haereticos anathematizare; et sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum haereticos viventes condemnarunt, sed et post mortem, utpote in sua impietate mortuos condemnarunt. » Vigilius porro in citato n. 26. Constituti: « Ubi non solum, inquit, qui eodem tempore ipsius erant haereseos sectatores, verum etiam illi, qui eosdem sequerentur errores, ejusdem anathematis vinculis adstricti erant. Cui damnationi Theodorum quoque Mopsuestiae, necesse est fuisse subjectum, qui, praedamnatae haereseos sectator et praedicator effectus est. » Et quin ulterius incedamus in conferendis utriusque et Justiniani et Vigilii dictis in quaestione Capitulorum, ubi alter alterius accipit probatque sententiam, in eodem scopo concordes, quem unanimes intenderunt de fidei catholicae integritate servanda contra adversariorum perfidiam, talis quoque nobis satisfiat harum litterarum ingenuitas, quas sub *Formae* titulo Patribus dedit Justinianus ab initio Synodi coram eis legendas.

Similiter quoad Justiniani, episcoporum Concilio adstantium, et Vigilii Papae concordiam in tribus damnandis Capitulis, et id nobis proderit, quod in Vita s. Eutychii notatur per Eustathium et in Chronico Victoris tunnunensis: ubi dicunt unanimiter episcopos et Vigilium ea Capitula anathematizasse, praetermittentes tamen ejusdem Pontificis absentiam a Synodo, etsi discussionem probaret, simul *spondens*

se seorsim facturum, suam ad Justinianum transmittendo sententiam; uti legitur in septima Collatione. Et hanc circumstantiam de Vigilii absentia a Synodo ambo (quamvis fide dissoni in hac quaestione) Victor et Eustathius, praesertim iste tunc in Urbe regia situs ad latus Eutychii, parvi pendentes, satis indicarunt, sicuti eadem mente, eadem fide, eodemque zelo, ita eo ipso tempore anathema subscriptum esse Capitulorum, nulla inter eos mediante controversia. Idest, quando Justinianus antistites ecclesiarum urgebat ut convenirent, et Vigilium rogabat, ut conventui adesset, cuncti episcopi congregati sententiam protulere adversus ea Capitula, et Vigilius Papa seorsim eamdem firmavit: illi per synodalem sanctionem et Pontifex per Constitutum. Post Consulatum enim Basilii an. XIII. inquit Victor, adunata est Synodus, et anathemati subjecta tria Capitula. Eodemque anno, nimirum post Consulatum Basilii anno XIII. et Imperii Justiniani 27. edictum est Vigilii Constitutum contra eadem: hinc inde refutatis adversariorum argumentis et ab episcopis et a Pontifice. Et ob hoc tam Victor, tam Eustathius testati sunt cunctos episcopos et Papam consensisse, unanimiter ea reprobantes Capitula, quippe eodem sensu, eodemque tempore de hac re convenerant. Quod quidem non nisi, quovis inter episcopos et Pontificem Romanum schismate seposito, obtineri vix potuisset.

De reliquo, qui hoc ultimum Constitutum legit, quod non nisi eorum expositio et sanctio est, quae in primo Constituto sive Judicato firmaverat, haud ultra putaverit Vigilium, veluti praesumitur, de hac re mutasse sententiam, aut retractasse quod septem fere ab hinc annis antea subscripserat. Ipse enim, uti saepissime dictum est, ubique et perpetuo, duris non obstantibus et temporis et personarum conditionibus, in proposito perseveravit, manifestis prolatis testimoniis, quibuscum ex hujusmodi Capitulorum damnatione, minime praefatarum Synodorum conculcari fidem constabat, sed amplius in sua firmari incolumitate.

Ideoque Pontifex in hujus Constituti fine, sicuti vidimus, dicit se eousque investigationes admisisse de Theodori libris, tum ut insuper quaestio undequaque cordis simplicitate, stu-

dioque ingenuo expenderetur, historiae monumentis recensitis, atque maxime ponderatis traditionis vestigiis; tum ut adversarii, sedatis animis, rem attentius considerarent, auditisque contra se testificationibus cederent veritati, decretum amplexi. Propterea quod, his peractis disquisitionibus, Vigilius se ad hanc definitionem aeque et ulla absque reprehensione pervenisse fatetur: nihil idcirco novi asserens in Ecclesiam induxisse in his anathematizandis Capitulis; proindeque volens et indicens, nemini in posterum licere quavis ratione huic contraire Constituto; nulliusque insuper mandans auctoritatis habenda esse, quae suo vel quorumlibet nomine in trium Capitulorum defensionem possent aliquando proferri, vel ubicumque reperiri horum defensor.

Attamen ex illis postremis verbis, ubi ait Vigilius, *quaecumque autem sive meo nomine sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, praesentis nostri plenissima Constituti auctoritate evacuamus*, suspicari nonnemo poterit, antea Pontificem tribus consensisse Capitulis, et deinde hanc mutasse sententiam. Istud porro ego non video, nec probo. Et quantumvis pericope sic exposita non clarescat, et contra videatur exprimere; tamen ex sermone praecedenti, sicuti ex aliis ipsius Pontificis decretis patet, verba ista *quaecumque .... prolata fuerint vel ubicumque reperta*, non esse de praeterito exponenda, sed de futuro. De iis scilicet, qui, non obstanti hujusmodi Constituto damnationis trium Capitulorum, quidquam in posterum perscrutari possent, ut huic damnationi resisterent, sua et oecumenica despecta definitione.

Et huic sane rei consulens Vigilius, viam omnem praeclusit, ne denuo innovarentur scandala in Ecclesia, quacumque proscripta adversariorum interpretatione a mente Pontificis aliena. Sicuti enim antea dixit: *quicumque ea quoquo tempore crediderit accipienda, vel defendenda, aut conatus fuerit aliquando praesentem resolvere damnationem etc.* quae quidem necessario de futuro comprehenduntur; ita et in sequentibus: *quaecumque sive meo nomine prolata fuerint.... evacuamus*. Idest volumus, quaecumque quis ex suo sensu intellexerit aut exposuerit aliter ab hoc meo Constituto, esse irrita: nulliusque valoris haberi mandamus.

Siqui vero ex adverso arbitrentur de praeterito loqui Pontificem; quasi ipse tunc sensum suum mutasset, modo damnans, quod antea propugnavit, nec istud quidem eruitur ex praefata locutione. Non enim dicit Vigilius *quaecumque a me, sed quaecumque meo nomine prolata fuerint*: quod perspicue in sensu variat. Personam, ita dicens, Papae excludit ac alterius personam inducit: qui Vigilii nomine abusus, eidem inscriberet, quae ipse nollet. De his vero, cum inferius magis patefient, satis. Et ad alteram potius remeamus quaestionem de Origene, quaerentes, num in hoc ultimo Vigilii Constituto, illius et origenistarum comprehensa sit condemnatio.

In praemissis tum hujus Pontificis, tum Justiniani, tum Mennae, tum Eutychii, tum ceterorum episcoporum Synodo adsistentium sive decretis, vel epistolis, aut quovis discussionum genere in trium Capitulorum causa altum de origeniana quaestione silentium servatum esse comperitur: quod consequenter in hoc ultimo Constituto servandum erat. Nos vidimus; et quisquis hoc perlegens, nullimode dubitare posset de damnationis origenianae exclusione, nisi mutilatum hoc ostenderit Constitutum. Revera ex recentioribus critici Baronius potissimum, Petrus de Marca, et Valesius persuasi in hac Synodo V. proscriptos fuisse Origenis errores ejusque personam et asseclas, mutilationem incusarunt vigiliani Constituti. Nihilominus desiderandum foret, aliquod ipsismet de hac subtractione suffragari documentum satis firmum, ac praesertim a priscis codicibus repetitum. Verum usque adhuc nullus reperitur codex, qui in Vigilii Constituto de tribus Capitulis hanc notet omissionem aut detruncationem; neque veterum de hac re manet testimonium. Quinimmo contrarium penitus et ab ipsis coaevis eruitur; cum probatae fidei scriptores manifestent, Constitutum nempe Vigilii pro confirmatione quintae Synodi, nil amplius quam trium Capitulorum continere anathema, ullo absque indicio origenianae quaestionis.

Insuper, cum in hujuscemodi tractatibus initium fini, et finis initio aequiparandus sit, sedulo actis hujus Concilii pervestigatis, et quae praecessere et quae subsecuta sunt,

luculentius patefiet, nullum ibi habuisse locum de Origene quaestionem. Si enim in hac Synodo de ipsius praesumptis erroribus actum fuisset, necesse esset, ut antea in Concilii indictione, ac rerum in eo excutiendarum, ejusdem Origenis sive personae, aut errorum praemitteretur nota. Attamen nec Vigilius Papa, nec Justinianus, nec Menna, nec deinde Eutychius, qui admodum in hoc elaborarunt negotio, ne verbum quidem de Origene praemiserunt. Vigilius namque ab anno 540. ad 554. in omnibus epistolis aut decretis adhuc superstitibus, sincerisque probatis, sicuti in Synodi probatione ita in ejus confirmatione, nihil de Origene animadvertit; cum ex adverso tria Capitula memoret tantum, quapropter Synodus adunata est.

Item Justinianus tam pro episcoporum conventu scribens, tam in suae fidei professione ac demum de iis, quae in ipso sancita sunt, siluit ubique de Origene. Pariter Menna et Eutychius ad Vigilium, et Vigilius ad illos scribens circa eadem Capitula, ac de Synodo ideo colligenda, singuli in eodem silentio manent. Similiter in Collatione II. legitur pro tribus Capitulis tantummodo convenisse Patres. Et hoc idem confirmatur in III. et IV. Collatione. Et sic in Collatione VIII. et novissima, ubi omnia comprehenduntur definita in Collationibus praecedentibus; et ubi speciatim cujusque episcopi Synodo adstantis occurrunt obtestationes, praeter trium Capitulorum damnationem, nihil ab eis additum esse adversus Origenem comperitur.

Quoad autem illos, qui Vigilii Constitutum ultimum obtruncatum existimant ob damnationis origenianae defectum, cum id sermone asserant, nihil dictu facilius. Verumtamen cum in facto conentur hoc ostendere, nihil magis arduum, quam ut quod mente excogitarunt, reapse assequantur. Quisquis namque ab initio ad finem usque pontificalis Constituti consideret dictatum; ac terminum conferat principio, talem dictati ordinem comprehenderit circa trium Capitulorum damnationem ut nequid intrusum nec furtive sublatum appareat. Quorum quidem Capitulorum ubique sensus obsignatur, discutitur, confutatur, anathematizatur, quin de suppositis Origenis erroribus instituatur sermo. Quos errores,

a tribus Capitulis cum substantialiter differant, nullamque servent cum his analogiam, minime dici potest, in illis Capitulis comprehensos, a Patribus Concilii damnatos fuisse, ut sic defectui suppleretur.

Vigilius a Constituti principio eo suam intendit mentem, ibi suum maximum exegit studium, erga Synodum chalcedonensem: « Postea quam, inquit, beati chalcedonensis Concilii expositionem, vel beati Leonis epistolam de sancta et orthodoxa fide posuimus . . . necessarium valde credimus pro ejus servanda per omnia reverentia, de suprascriptis trium Capitulorum quaestionibus diligenter debere nos cuncta discutere, et cauta promulgatione sententiae definire etc. » Et sic usque ad finem pergens statuit: *Praedicta igitur tria Capitula anathematizamus atque damnamus.* Quare luculenter patefit, nullimode in vigiliano Constituto habere potuisse locum mutationem, aut sensuum a Patribus constantinopolitanis expositorum obtruncationem. Demum ad hucusque dicta firmanda tum relate ad Origenis exclusionem ab hac Synodo, tum relate ad Constituti sensum aeque ac Patrum cum Vigilio concordiam in tribus Capitulis damnandis, testis adest Victor tununensis. Qui etsi horum Capitulorum defensor et adversarius Origenis, tamen limpide fatetur tunc, sive post Consulatum Basilii an. XIII. adunatam fuisse Synodum. *Ibi tria saepe fata Capitula cum defendentibus subjecere damnationi, tali se perpetuo anathemate obstringentes, si aliquando absolvere tentaverint, quae damnationis sententiae subdiderant.*

Fortasse quis contra stans dicet: cum ergo nihil actum sit in quinta Synodo de Origene, illusi sunt scriptores, qui eo ipso tempore viventes obtestati sunt, fuisse tunc damnatum eumdem; eoque magis cum hucusque serventur litterae Justiniani ad Mennam, ubi Imperator instat pro hujusmodi damnatione.

Huic respondens haud inficiar, imperante Justiniano actum fuisse de Origene. Verum quod amodo teneo, satis mihi sit ostendisse in Synodo oecumenica juxta hucusque probata, a Patribus nihil de eo quaesitum. De ceteris infra.



CAPUT VI.

Pelagii Papae I. Pelagii II. et Gregorii I. proferuntur testimonia; quorum sensus rite expositi utramque quaestionem de Vigilio et Origene praeclarissime illustrant adversus veteres recentesque obtrectatores, uni idest Vigilio instabilitatem, contradictionem, partium studium et a recta fide praevaricationem, alteri nempe Origeni impia dogmata et absurda inscribentes. Et primum dicta expenduntur Pelagii Papae I.

Satis hucusque elaborassem in utraque causa, ac in utroque et Vigilio atque Origene defendendo metam pertigissem faustissime, nisi undique et prisci et recentiores Romani Pontificatus hostes adversus me insurgentes ad silentium redigerent, meamque temeritatem eo liberius corripientes, quo magis ipsi vulgatam invocant de Vigilio et Origene opinionem in Ecclesia utrique contrariam. Attamen ab incepto non desistam, et sollicitudine eadem, eodemque conamine, quo prius decertavi in disquirenda et propugnanda veritate, in agone perseverans adversus hostes dimicabo.

In primis vero non sunt praetermittenda Christi verba ex beati Lucae ore dicentis: *Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ista sane verba iis objicere arbitratus sum, qui Facundi hermianensis, Liberati, Victoris tunnunensis et aliorum tria Capitula defendentium, admodum cesserunt dictis, cum aliter summa cautione legenda, suscipiendaque ipsa forent. Reapse, si homines hujusmodi ab Ecclesia damnati et in errore perseverantes, Pontifices Romanos appellarint praevaricatores: seque catholicos existimantes ceteros vere catholicos una cum Papa et episcopis inter schismaticos amandarint; quid erit expectandum ab his et ejus-

dem factionis viris? qualive auctoritate ipsorum admittenda testimonia?

Ac interim, si tum ex praemissis genuinis in capite praecedenti monumentis, tum ex sequentibus, universim citatos auctores tria Capitula propugnantes, eorumque scripta dubiae fidei appellavero, nemo aegreferat. Hoc autem non gratis asseram, sed amplissimis obtestationibus suffultus quatuor summorum Pontificum: qui ceu testes sinceri ab hujus quaestionis primordiis et postea, saepe conquesti sunt, quod decreta propria, epistolae, et hujus generis de tribus Capitulis scripta interpolata fuerint ac corrupta, ac genuini ipsorum et orthodoxi sensus perfide falsati. E quibus falsationibus haud satis animadversis factum est, ut Vigilius nunc Capitula defendentibus nunc expugnantibus cessisse videretur, non semel, sed bis, vel ter hujuscemodi instabilitatem ostentans, modo affirmans quod antea negaverat et vicissim.

Et sane nec secus arbitraremur, dummodo Petri De Marca, Binii, Baronii et Jacobi Sirmondi placita probentur. Quorum hic ultimus Tomo II. in Monito Editionis Operum Facundi scribit, in principio Vigilium damnationi obstitisse: postea Judicatum protulisse in Capitulorum damnationem; tertio, suppresso Judicato, ad defensionem reversum esse, et in eadem constitisse, Constitutumque edidisse de non damnandis tribus Capitulis: denique Synodo oecumenicae, quae tria Capitula damnavit, denegasse assensum. Huic addendum erat, demum Vigilium per aliud Constitutum ea Capitula anathemate percussisse. Haec autem praefati scriptores ex testibus collegere trium Capitulorum vindicibus. Quid vero de his, idest de tam versatili Vigilii ingenio putandum sit, lectoris invoco judicium ad ea jam excussa, et speciatim ad sequentia: ubi Romanorum Pontificum certa et genuina historia eruitur cunctorum, quae ante et in ipsa Synodo quinta tractata sunt de tribus Capitulis. Quibus excussis, retro deinde convertentes gradum, singulas et cujusvis aetatis adversariorum oppositiones diluendas suscipiemus. Ac interim discretioni nostrae subeant Pelagii I. Encyclica et aliae epistolae, in quibus alias ex professo, alias obiter trium Capitulorum damnationis historiam memorat, quin nec Vigilii perfidiam

culpet, aut inconstantiam; nec mentionem agat de Origenis anathemate in ipsa Synodo sancito. Et haec interim scribit Pelagius I. ad universum populum Dei.

« Vas electionis beatissimus Paulus Apostolus, cum de judaeis in Christo nec dum credentibus loqueretur, zelum eos Dei habere professus est, sed ne ex hoc sine culpa esse crederentur, consequenter adjecit, *sed non secundum scientiam*, ut eos necessarie per doctrinam a Deo sibi creditam ostenderet emendandos. Quod testimonium nostro etiam tempori convenire caritas vestra non ambigit: quia etsi zelum Dei in quorumdam mentibus esse deprehendimus, in hoc tamen quod suspicionibus quibusdam sine notitia veritatis se concusserunt atque concutiunt; et quod se a visceribus unicae matris Ecclesiae nefaria animositate discerpunt, sine scientia eos esse, non dubium est. Et possumus quidem totius causae rationem ad sedandos rumores hominum, divina nobis cooperante gratia fiducialiter explicare; nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem ullatenus esse tentatum, lucidissimis approbationibus demonstrare; magisque id actum, ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Sed quia hoc his, qui lacte potius quam solido cibo nutriendi sunt, necessarium esse non duximus, ut sicut memoratus Doctor gentium dicit, inter perfectos loquenda sit sapientia: hoc interim quod etiam parvulis abunde sufficiat, ad notitiam omnium deferendum esse perspeximus.

« Id autem est ut fidem meam, annexa subter professione, definiam, in qua Deo propitio, et rectae me Apostolorum doctrinae et Patrum inhaerere vestigiis evidenter appareat, ut per vos, qui zelum Dei etiam cum scientia possidetis, ceteris innotescat, quos, operante Domini nostri gratia, non sine vestra mercede ab irrationabili divisionis suae malo confidimus liberandos.

« De sanctis vero quatuor Conciliis, idest nicaeno trecentorum decem et octo, constantinopolitano centum quinquaginta, ephesino primo ducentorum, sed et chalcedonensi sexcentorum triginta ita, me protegente divina misericordia sensisse, et usque ad terminum vitae meae sentire toto animo et

tota virtute profiteor, sicut ea decessores meos defendisse non dubium est. In quibus illum maxime et sequi et imitari desidero (s. Leonem) quem chalcedonensis Synodi auctorem novimus extitisse; qui suo congruens nomini ejus se membrum, qui de tribu Juda Leo exstitit, vivacissima fidei sollicitudine evidenter ostendit. Similem igitur suprascriptis Synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido, et quicumque ab eisdem quatuor Conciliis absoluti sunt, me esse orthodoxos habiturum, nec unquam in vita mea, Deo nos protegente in omnibus, aliquid de sanctae et verae praedicationis eorum auctoritate minuere.

« Sed et canones, quos Sedes Apostolica suscepit, sequor et veneror, et Deo adjuvante defendo; neque vel de hac professione reticere, aut discedere aliquando promitto. Epistolas etiam beatae recordationis Papae Coelestini, Sixti, et prae omnibus beati Leonis, nec non etiam successorum ejus Hilari, Simplicii, Felicis, Gelasii, Anastasii, Symmachi, Hormisdae, Joannis, Felicis, Bonifacii, Joannis alterius, et Agapeti pro defensione fidei catholicae et pro firmitate suprascriptarum quatuor Synodorum et contra haereticos, vel quoslibet alios per Orientem et Illyricum atque Dardaniam, aliasque provincias diversis temporibus missas, inviolabiliter, adjuvante Christo Domino nostro, me custodire profiteor, et omnes, quos ipsi damnaverunt, habere damnatos; et quos ipsi receperunt, praecipue venerabiles episcopos Theodoritum et Ibam me inter orthodoxos venerari.

« Haec est igitur fides mea et spes mea; quae in me dono misericordiae Dei, pro qua nos paratos maxime esse debere (ait) beatus Petrus ad respondendum omni poscenti nos rationem. Cum hac professione me vivere opto; cum ipsa ante tribunal Christi assistere: per hanc a peccatis meis absolvi me credo, et ad dexteram gloriae divina misericordia deportandum. Quicumque autem aliud senserit, crediderit, praedicaverit, hunc anathematizat sancta et universalis Ecclesia Dei. Deus vos incolumes custodiat, filii dilectissimi. »

Hujus Encyclicae, ceu paulo post Synodum oecumenicam datae, talis tenor est, ut si ipsius Pelagii antecessor Vigilius quodammodo errasset, aut in praevio trium Capitulo-

rum examine, sive ipso stante Concilio, hoc necessario notandum fuisset, vel declarationis causa, vel excusationis. Attamen istud non animadvertit Pelagius: quinimmo suam manifestat omnimodam et quatuor Synodis reverentiam et eamdem, quam Vigilius ceterique firmiter praestiterunt. Et id asseverat adversus eos, qui ex trium Capitulorum proscriptione, fidem concussam putarunt praefatarum Synodorum. Quod apertissime negavit et per se, et per antecessorem suum Vigilium, propterea inquiens: *ita me protegente divina misericordia, et usque ad terminum vitae meae sentire toto animo et tota virtute profiteor, sicuti eas Synodos decessores meos defendisse non dubium est.*

Verum circa falsitates, sive voce, sive scripto in vulgus datas in insciorum scandalum, contra ea quae in Synodo quinta definita erant, ut inde arguas calumniarum fontem, quibus Vigilii fama et Pontificatus Romani gloria obtenebrata fuit, aliae tibi praesto sunt Pelagii obtestationes. In epistola namque ad Narsetem ducem in Italia monens ut schismaticos coerceat, ait:

« Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia Ecclesia persecutionem faciat . . . . De liguribus, atque veneticis et istriis episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra et ratione et potestate reprimere, et dimittitis eos in contemptum apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari. Cum, siquid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possent, dirigere debuerunt; et non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare hujusmodi homines principali vel judiciali auctoritate comprimere: quia regulae Patrum hoc specialiter constituerunt etc. »

Item in epistola ad episcopos Tusciae obtestationem suam ita emittit Pelagius, ut constet, eamdem ipsum professum esse fidem, etsi plura de eo commenti sint trium Capitulorum defensores et tunc, et cum esset diaconus et apud Justinianum apocrisiarius. Scribit enim: « Directam a vobis

relationem, defensore ecclesiae nostrae Jordane deferente, suscipientes, satis mirati sumus, ita vos apostolicae auctoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia meo etiam volueritis (quod absit) consensu firmari. » Deinde ad tollendam quamcumque de sua fide suspicionem, dicit se de quatuor Synodorum generalium definitionibus nihil imminuisse, vel addidisse, aut permutasse, sed omnia inviolabiliter custodire. Et ita fidenter concludit: « Quod siquis forte etiam post haec aliquem sibi superesse scrupulum credit, ab insano tumultu desinens, ad nos magis venire festinet: ut ex his, quae dubitat, rationabili satisfactione percepta, laetus, Deo propitio, cognita veritate, universali reformetur Ecclesiae. Nos enim etc. »

Demum ad Viaterium et Pancratium scribens, pervicaciam et impudentiam illorum corripit, qui synodali definitioni obsistentes, scandala excitarunt in ecclesiis: « Non enim, inquit, levigat crimen eorum, magis vero auget, quod eos diu restitisse dixistis, ne apostolicis communicantes sedibus in sua communione reciperent. In hoc enim, dum et illi culpandi sunt, qui communicare talibus voluerunt, multo magis tamen illi execrandi sunt, qui non solum in sacerdotibus communionem apostolicarum sedium, verum etiam in ipsis laicis spreverunt. Sed nec illud eis prodest, quod eos in eisdem litteris, vel ignorantia rationis, vel simplicitate sui intellectus, a nostra se communione suspendisse perhibetis . . . Ad summam, aut illos Ecclesiam esse creditis; et cum duae Ecclesiae esse non possint, nos, quod absit, schismaticos judicabitis. Aut si veram in apostolicis sedibus esse constat Ecclesiam: illos ab unitate divisos agnoscite, et communionis quaestionem esse sublatam: quam veram nisi in unitate constat esse non posse etc. »

Hujuscemodi Pelagii Papae sensus ita ingenue expositi, et tam alacriter propugnati, quid aliud indicant, nisi in ipso Pelagio absolutam quaestionis cognitionem, quam ab initio Constantinopoli moratus negotia agens Ecclesiae Romanae nactus est, ac una cum antecessore suo Vigilio studiose investigavit quid veri esset in tribus Capitulis? Profecto, quando Pelagius paulo post Vigilii Constitutum postremum in da-

mnationem trium Capitulorum, omnibus de medio sublatis dubiis, in quibus a principio involuta videbatur, proindeque accurate examinanda erat, comprehendit hanc quaestionem scandala fuisse in Ecclesia excitaturam, fortiter adversariis restitit; nec passus est ultra aut incertam, sive indifferentem hanc existimare quaestionem. Neque insuper quidquam in antecessore suo putavit reprobandum aut in Judicato, quod Synodo praemisit, seu in expectatione Synodi generalis, vel multo minus ob incertitudinem, aut inconstantiam, vel ob tergiversationem, sicuti ab adversariis redarguitur Vigilius. Nec tandem in praelatis Pelagii testimoniis (quod quidem satis proficit) quidquam notatur de Origenis nec de origenistarum erroribus nec de illorum damnatione: cujus, uti ex Tractatu Justiniani, de quo inferius sermo erit, auctor et sollicitator primarius haberetur. Et haec interim satisfiant ex probatis et consonantibus inter se Pelagii scriptis tam pro Vigilio, tam pro Origene eruta.



CAPUT VII.

Pelagii Papae II. sequuntur et illustrantur obtestationes adversus trium Capitulorum defensores: ac una diluuntur recentiorum interpretationes in epistolas hujus Pontificis exactae.

Cum autem Pelagii II. de eadem re sensus perquirendi sint, haec arbitror ponderatu digna. Si Pontificatus Romani praestantia in Ecclesiae negotiis tractandis ubique et perpetuo in orbe christiano corruscarit; ac simul Petri fidem in suis successoribus ceu lapidem angularem perstare firmissimam universim creditum fuerit, nunquam fortasse notis ita patentibus, haec suprema potestas, ejusque supremum in rebus fidei decernendis judicium, veluti his diebus, nunquam, dico, tam amplissime refulsisse videntur. Adeo ut siquis vel ante Pelagii I. et Pelagii II. aevum, aut post dubitarit quodammodo, huc adeat, certiorque de hac veritate fiat.

Perseverante interim in Ecclesia schismate ob trium Capitulorum damnationem, undique hostibus zizania spargentibus in agro dominico et praesertim in Istriae regione magno animorum discrimine, Pelagius II. huic scandalo consulturus has dedit epistolas ipsius regionis episcopis; quarum prima haec habet: « Quod ad dilectionem vestram, fratres filiique carissimi, nostra tardius scripta dirigimus, non malevolae voluntatis .... Considerate, carissimi, quia veritas mentiri non potest, nec fides Petri in aeternum quassari poterit, vel mutari. Nam cum omnes discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur; et ab eo voluit ceteros confirmari: cui etiam pro majori dilectione, quam prae ceteris Domino exhibebat, pascendarum ovium sollicitudo commissa est. Cui et claves regni caelorum tradidit; et super quem ecclesiam suam aedificaturum esse promisit; nec portas inferni adversus eam praevalere testatus est. Sed quia inimicus humani generis usque in finem seculi non quiescit in Domini Ecclesiam bono semini superseminare zizania: ideoque ne forte quisquam

maligno studio aliqua de fidei nostrae integritate, diaboli instigatione fingere praesumpserit et argumentari; et ex hoc vestri fortasse videantur animi perturbari, necessarium judicavimus per praesentem epistolam nostram, et ad viscera vos matris Ecclesiae ut reverti debeatis.....

« Nos enim illam fidem praedictam tenemus, et cum omni puritate conscientiae usque ad sanguinis effusionem defendimus, quae ab Apostolis tradita, et per successores eorum inviolabiliter custodita, reverenda nicaena Synodus 318. episcoporum suscepit atque redegit in Symbolum. ...... Non ergo patiamini falsis suspicionibus, aut rumoribus denuo agitari, et in divisione Ecclesiae malorum hominum persuasionibus (quod avertat Dominus) remanere. Quid enim vos a sanctae Ecclesiae unitate dividitis? quando nihil novi, nihil (quod absit) contrarium in dicta Ecclesia praedicari cognoscitis vel teneri? Sed unam eamdemque fidem etc. »

Item in secunda epistola ad eosdem loquitur Pelagius, admodum conquestus, quod scriptis falsatis aurem praestiterint: ubi haec animadvertenda sunt: « Renovatus est dolor cordis nostri, quando diuturnae divisionis scandalum minime tanto fidei fulgore superatur, maxime quia pravorum hominum persuasione decepti, scripta nobis diversis infecta contagiis direxistis: et quod in epistolis Patrum quaedam testimonia non incongrua solum, sed nec ad causam pertinentia tentastis inserere: ita ut nec testimoniorum ordinem, qui in ipsis epistolis Patrum, servaretis: quippe ut, quod scriptum nomine alterius fuerat, alterius nominis titulo promeretur. In quo evidenter dictum vobis apostolicum constat aptari: *nescientes neque de quibus dicent, neque de quibus affirmant.*

« Quod quidem non vestrae malitiae, vel calliditati credimus adscribendum: sed veneno hostis malignissimi perspicimus exquisitum, qui zizania seminare per vasa irae usque in finem seculi in Dei Ecclesia non quiescit. Ex quo intelligimus, fraternitatem vestram, epistolas, de quibus posuistis testimonia, non legisse: neque enim si vobis eorum scriptura constaret, illa quae apertissime pro fidei tantummodo causa sunt posita, aliis congruere fingeretis, propter quod ab errore divisionis, in quem falsis opinionibus incidistis, hortor et opto vos celerius revocari....

« Propter quod praesentium portatoribus, quos fraternitas vestra direxit, et ex codicibus et ex antiquis polyptichis scrinii sanctae Sedis Apostolicae relecta sunt aliqua, quibus evidenter apparet, nihil eorum, quae in vestra posuistis epistola causa trium Capitulorum, convenire ullatenus aut verisimiliter coaptari. Ideoque necesse est, vos omnes epistolas synodales sollicite vigilanterque percurrere, ut evidentius agnoscatis, quia sancti Patres nihil aliud de chalcedonensi synodo in suis epistolis firmaverunt, nisi ut inviolabilis fidei definitio servaretur. » *Et pluribus interjectis addit*. « Nam si cum studio caritatis, quae a nobis scribuntur, cum timore Domini sollicite et vigilanter relegatis: facile sentietis, quantum sit periculum pro superfluis quaestionibus, et haereticorum defensione Capitulorum, tamdiu ab universali Ecclesia segregari. Nolite ergo amore jactantiae, quae superbiae semper est proxima, in obtestationis vitio permanere: quando in die judicii nullus vestrum excusare se poterit; at neque Theodorus mopsuestenus, neque Ibae Epistola, quae ab adversariis prolata est, ante tribunal tanti Judicis vobis valeat subvenire etc. »

Itaque, veluti hucusque constat, eodem studio, quo antecessores Vigilius et Pelagius I. sollicite et unanimiter elaborarunt tria anathematizantes Capitula, haud secus incessit Pelagius II. accipiens fideliterque confirmans acta Synodi quintae: ac insuper adversariis suadens, nullimode hanc Synodum definitionibus praecedentium Conciliorum ac praesertim chalcedonensis contraire; quinimmo eamdem fidem ratam habuisse. Is quidem Pelagius, dico, patria romanus, ab initio hujus quaestionis testis adfuit, nec ideo ignarus omnium, quae Romae, quae alibi facta sunt; quaeque providit Vigilius, et quae in processu disputationis statuit. Secundo, cum ipse in ea Synodo decreta recensens, nullam agat mentionem de Origenis anathemate, invalescit opinio, extra hanc Synodum habitam fuisse de eodem disputationem, nec consequenter anathema subiisse illius personam et libros. Praeterea a secundae epistolae expositione, defendentium tria capitula dolus et perfidia firmantur, quibuscum ait, scripta Patrum relate ad ipsa Capitula diversis infecta fuisse contagiis. Denique inter

haeretica dogmata ulla absque restrictione mandat praefata Capitula; eorumque patronos haereticos similiter vocat, aeternam perditionem minatus iis, qui secus senserint a quintae Synodi decretis.

Quod vero summopere nostram revocat considerationem, legitur in epistola III. ejusdem Pontificis, quippe inde offensi sunt recentiores. Ibidem enim ad Istriae episcopos loquitur Pelagius adhuc in schismate perseverantes, occasionem defectionis suae a Vigilii Constituto nactos, quod plerique episcoporum occidentalium diu restiterint damnationi trium Capitulorum ab ipsius quaestionis exordio. Idcirco Pelagius ad eosdem epistolam scribit, seu potius Tractatum, uti nominat s. Gregorius Magnus, ubi apologiam contexens universim praefatorum antistitum ostendit, considerata rei essentia, non improbandam omnino esse hujusmodi cunctationem; nec multo minus quid ideo concludendum adversus Synodi quintae definita.

In primis objectioni respondet Pelagius, qua citati Istriae episcopi suspicati sunt, per ea omnia, quae piae memoriae Justiniani principis temporibus acta fuerant, convulsam fuisse Synodum chalcedonensem. *Quod*, inquit, *absit a christiano opere.* Deinde pluribus de hac re discussis, alteri ipsorum instantiae occurrit in n. 7. ubi legitur: « Rursus per epistolam vestram dicitur, a Sede Apostolica vos doctos atque ab scrinio sanctae Ecclesiae, cui Deo auctore praesumus, confirmatos ne huic rei, quae sub piae memoriae Justiniano principe gesta est, consentire debeatis: atque hanc opitulationem excusationi vestrae adjungitis dicentes, quod in causae principio et Sedes Apostolica per Vigilium Papam, et omnes latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quod res, quae provocare vos ad consensum debuit, a consensu vos ipsa divellit. Latini quippe homines et graecitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tarde cognoverunt: et tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum agnoscerent, a certamine non quievit; quorum consensum recte fraternitas vestra despiceret, si ausu praecipiti, priusquam verum agnoscerent, consensissent. At

postquam diu ab eis elaboratum est, et longo tempore ad injurias usque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quae vera sint, agnovissent. Quid enim divini consilii fuisse credimus, quod diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suae fidei esse permisit? . . . .

« Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia praedecessorum nostrorum in hac causa consensus tanto post inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudavit . . . . . Si igitur in trium Capitulorum negotio, aliud cum veritas quaereretur, aliud autem inventa veritate dictum est: cur mutatio sententiae huic Sedi in crimine objicitur, quae a cuncta Ecclesia humiliter in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiae, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti, intentio incommutabilis permaneat; quid obstat, si ignorantiam suam deserens, verba permutet? De ipso quoque auctore omnium Deo, Scriptura attestante, cognoscimus, quia dum consilium non mutat, saepe sententiam mutat. Neque enim ei inopinatus proventus accesserat, cum de eo, quem ipse ungi praeceperat, dicebat: *poenitet me Saulem unxisse regem in Israel.* Hoc quippe etiam tunc praescivit, cum eum quasi approbando praetulit; nec ad poenitentiam quasi dolor inopinatus accessit; sed tamen poenitere se insinuat, quia non mutato consilio, ea, quae dudum dixerat, de illo verba permutat.

« In his autem testimoniis, quae ex epistolis Leonis praedecessoris nostri posuistis, praemisistis dicentes n. 9. *Doctrina vestrae reverendae sedis est per beatum Leonem successorisque ejus, unde pauca commemorare praesumpsimus, mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere*: et tamen nulla ejus testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis. Etenim quae a vobis subjuncta sunt, retrectationem fidei fieri prohibent; non autem damnari infideles mortuos contradicunt. Sed neque hoc beatum Leonem praedecessorem nostrum quodam loco dixisse meminimus. » Paucis interjectis subdit: « Theodorum quippe mortuum sancta Synodus prima ephesina damnavit. Nam cum ab ejus discipulis dictatum ab illo symbolum, eadem Synodo fuisset prolatum, illico illic a san-

ctis Patribus cum auctore damnatum est. » Denique in n. 20. dicit : « Discusso itaque secundo Capitulo, tertium superest: quod tanto debemus in brevitate constringere, quanto et vos nobis hac in re non credimus resultare. Neque enim Theodoreti omnia scripta damnamus, sed sola, quae contra duodecim Cyrilli Capitula, sola quae contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur: quae tamen et ipse damnasse cognoscitur. Qui in sancta chalcedonensi Synodo vera confessus invenitur, aperte anathema in Nestorium proferens, seque orthodoxum monstrando etc. »

Ex hac epistola Petrus De Marca in speciali Dissertatione de Synodo V. n. 3. scribebat : « His addi potest post eximium Pelagii II. testimonium ex episcopis Istriae, cujus adeo aperta sunt verba, ut mirari subeat, qua ratione viros alioquin perspicacissimos fugerit tam expressa de Vigilio sententia. Etenim prolixis verbis ibi refertur, Sedem Apostolicam per Vigilium initio quidem probasse tria Capitula, et pro eorum defensione diu laborasse, longoque tempore ad injurias usque certasse (quod de solo Vigilio intelligi potest) deinde cessisse, quando veritas se patefecit. Quae verba ad epistolam Vigilii respiciunt, qui, re diligentius tractata, veritatem sibi affulsisse, seque tria Capitula damnasse scribit. Et in n. 5. subdit : Unde patet liberam fuisse aliter atque aliter in hoc negotio censendi facultatem sine ulla christianae religionis injuria : ideoque Vigilium, qui suam aliquoties mutavit sententiam, de sola levitatis, vel metus suspicione periclitari etc. »

Ego vero Petri De Marca judicii, Pelagii sermoni aequiparati, non video convenientiam. Non enim quae ipse inde colligit, et Vigilio exprobrat, animadvertit, nec vult Papa. Et primum quidem Pelagius non de solo Vigilio loquitur, sed universim de episcopis et primatibus Occidentis: quorum plerique sincero corde fidem profitentes catholicam in quatuor Synodis sancitam, timebant ne, damnatis tribus Capitulis, fides Concilii chalcedonensis periclitaretur. Cum autem certiores facti fuerint ob trium Capitulorum anathema, inviolabilem servari ipsius Synodi definitionem, statim lubentique animo eorum Capitulorum subscripserunt damnationi.

Quam primus Vigilius post suum in Urbem regiam adventum, subscripsit per Judicatum, et cum eo episcopi occidentales, qui Constantinopolim convenerant: quod Judicatum deinde in Concilio oecumenico confirmatum est.

Verum probe considerentur, quae opponebant Istriae episcopi, dicentes, *quod in causae principio et Sedes Apostolica per Vigilium Papam, et omnes latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt.* Et ita se habeat res. Intervallum vero, quo prius trium Capitulorum damnatio in Occidente obsistentiam reperit, praecise non definitur. Nihilominus videtur ab anno 538. cum Vigilius Pontificatum adscendit, jam tunc causa hujusmodi agitari, adversariis undique in ecclesiis occidentalibus occurrentibus, veritis, ne per horum Capitulorum damnationem, in Synodo chalcedonensi probata reprobarentur. Et in hoc casu quidem sincera et religiosa tum Vigilii tum ceterorum antistitum prudentia celebranda est, nec ullimode despuenda. Non enim proprie, ut saepius dixi, de dogmate aliquo agebatur, sed de personis, et quibusdam scriptis: ubi prisca Ecclesiae Patrum documenta, vel oralis traditio consulenda erant; veluti deinde opportune pro rei definitae declaratione actum est. Idcirco Pelagius merito adversarios arguit, quod ipsi Vigilii et aliorum episcoporum plus vel minus Capitulorum anathemati resistentiam pro se facere putarint; cum ex adverso intenta occidentalium episcoporum diuturna contradictio, cum adhuc res quaereretur, non pro eis sed adversus ipsos faceret. In hoc namque tempore copia latinis episcopis suppeditabatur, veterum Patrum investigandi libros et praesertim graecorum, et sic pedetentim ab inscitia ad scientiam rei perveniendi, et rationabile exhibendi fidei obsequium, et in ea immobiliter permanendi. Quod non obtinuissent, ait Pelagius, *si ausu praecipiti priusquam verum agnoscerent, consensissent.*

Hic autem discutere sino, quae Pelagius optime ait: *Latini quippe homines et graecitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tarde cognoverunt.* Haec sane potissima causa extitit episcoporum occidentalium illusionis, in qua valde praestitere Ferrandus et Facundus. Quorum graeci sermonis ignoran-

tia, aut negligentia in codicibus graecis circa acta Synodi chalcedonensi percurrendis et explanandis, oculos eorum detinuit, ne veritatem agnoscerent. Et fortasse ab hujusmodi inscitia, totius schismatis origo repetenda est. Sed de his alibi prolixius agetur.

Pelagius itaque his instans considerationibus amplius oppositores adstringit, quaestionis repetens processum, et inquit: *Si igitur in trium Capitulorum negotio, aliud cum veritas quaereretur, aliud autem, inventa veritate, dictum est: cur mutatio sententiae huic Sedi in crimine objicitur, quae a cuncta Ecclesia humiliter in ejus auctore veneratur?* Ubi patentius indicatur, quod in ecclesia occidentali liberae discussioni concessum est, antequam ad definitionem perveniretur: ast deinde veritate inventa, et apposita Concilio episcoporum subscriptione, pontificali sanctione roborata, nemini, nisi haeretici nota inusto, amplius discutere aut resistere liceret. Quae Pelagii sententia in praeclara rerum cognitione, quas tractat, omnes non solum convicit illius aetatis obtrectatores Vigilii, verum et recentiorum placitis illudit adversus hujus Pontificis normam in tam ardua extricanda quaestione.

Insuper admodum propositum juvant, ac de Vigilii inconstantia radicitus evellunt falsas insimulationes, quae statim ibidem subdit Pelagius: *non enim mutatio sententiae, sed inconstantia sensus in culpa est.* His praemissis, quomodo Petri De Marca, Binii, et Sirmondi opinionem acceptaverimus, qui hujusmodi non dicam incertitudinem, sed mentem deliram in Vigilio admisere, qui bis, vel ter sensum suum commutasset? Prope enim praefatorum sententiam Vigilius modo trium Capitulorum defensoribus cessisset: nunc damnantibus convenisset: ac deinde rursus defendisset, ut iterum ad damnationem reverteretur: nec tamen postea in eadem perstitisset. Et ita ne erit de Vigilio putandum?

Ceterum si talia sensisset Vigilius, cujus gesta non latuerunt Pelagium, cur ista aut negavit, vel simulavit? Summa res erat Pelagii coram adversariis, Synodi quintae acta accurate recensere, studiose interpretari, ac sincere in lucem prodere, ne imposturae notaretur, aut falsationis in historia Vigilii. Gravissimi item momenti res agebatur a Pelagio; dum

non solum coràm Ecclesia Catholica, verum et in conspectu haereticorum obtestabatur de Vigilii et aliorum episcoporum norma in hac quaestione. Si namque Pelagius quodammodo mentitus fuisset de hac re; aut acta Synodi, sive Vigilii gesta pravasset, seu quidquam celasset eorum, quae in hac ardua, diuturnaque contentione egerat Pontifex; nonne latius iter obtrectatoribus aperuisset vituperandi tum Vigilium, tum sui ipsius personam, et decus, ita ut ceu falsarius publice improbaretur Papa? Profecto valde Pontificatui Romano probrosum hoc fuisset, et haereticis majoris scandali occasio, siquid in his deliquisset Pelagius, de praedecessore suo contraria asserens, quae revera Vigilius admisisset.

Verum non Pelagius tantummodo culpabilis foret, sed et ipsi Istriae episcopi trium Capitulorum defensores in propria causa minus fecissent, Vigilii culpam omittentes, qua amplius illorum pervicacia invaluisset. Cum enim praefati historici recentiores tenent aliquoties Vigilium mutasse sententiam, ex adverso episcopi Capitulorum defensores, quorum valde intererat Papae expugnare judicium, ab initio ajunt, ipsum tantum restitisse damnationi, nec inde postea, illis Capitulis anathematizatis, retractasse sententiam. Ideo Binii et sociorum incusatio non caderet super Vigilium, sed super Capitulorum patronos, qui manifestam Papae instabilitatem in in hac dijudicanda quaestione, ut saepe reciperet quae antea admiserat, neglexerunt. Quod sane eis profecisset ut Petri fidei defectum ostenderent in ejus successore Vigilio, si reapse in hoc peccasset.

His igitur sedulo consideratis, de sincera Pelagii locutione cum nefas sit dubitare, inconcussa quoque manent, quae ipse enarrat de Vigilio. Cujus sobrietas praeluxit et sagacitas in hac moderanda quaestione, adeo ut heterodoxis auferantur praetextus ipsius corripiendae instabilitatis, aut perfidiae: quod sane de Pontifice Romano suspicari sensus quidem noster refugit. Quae omnia cum Petri De Marca, Binii et Sirmondi patefaciant illusionem, pro Vigilio tractata confirmant.

Non nemo tamen, puto, hanc legens Vigilii praesertim, ac celerorum episcoporum occidentalium ab initio quaestionis resistentiam, ut ait Pelagius, in tribus damnandis Capi-

tulis, causam hujus rei quaesierit. Huic interrogationi respondeat Evagrius in Libro III. Histor. Eccl. c. XXX. de conditione disserens Concilii chalcedonensis sub Anastasio imperatore. Cujus Synodi alii auctoritatem adstruebant ita ut nec litteram nec syllabam mutare liceret. Alii ipsius decreta convellebant, alii pro more, aut lubitu suo interpretabantur, ac prout cuique episcoporum videretur, ejusdem admittebant statuta: « Hinc, ait, multa dissidia in Orientis et Occidentis partibus et per Africam extiterunt: cum nec orientalis episcopi occidentalibus et afris sociarentur; nec isti vicissim coirent cum orientalibus. »

Deinde in c. XXXI. de Xenajae simultatibus adversus Flavianum episcopum locutus, dicit ideo ipsum scripsisse ad fautores Dioscori et Eutychis, ut sibi adjumento forent; atque ab ipso Flaviano exigerent non Synodi chalcedonensis damnationem, sed dumtaxat personarum, quas supra nominavit, Theodorum dico mopsuestenum, Theodoritum, Ibam edessenum, Cyrum, Eleuterium, ceterosque. Quae quidem dissidia veluti ab initio praemisi praecipue circa personas citatas, usque ad Collationem cum Severianis anno 530. perrexerunt. Nec tamen tunc destiterunt; sed nova induta forma, tantummodo Theodori persona et scriptis, Ibae Epistola et Theodoreti libris in judicium vocatis, magnum certamen denuoin ecclesiis excitarunt. In quo certamine, quum de dogmate aliquo minime disceptaretur, ast de personis olim defunctis earumque scriptis: quarum non tam aperte omnibus pari notione illucescebat fidei professio, neque damnatio, nec retractatio, nec qui revera haeretici forent, et qui orthodoxi, nec qualia scripta genuina et quae spuria aut apocrypha, et his addas historiae accuratae defectum et maxime linguae graecae imperitiam, ut ipse Pelagius fatetur: haec omnia, inquam, in primis animos sinceros perplexos continuerunt. Eo magis quod, qui hos anathematizarunt viros (ante Justiniani tempora loquor) de haereticorum coetu erant, catholicam insectati doctrinam. Quapropter, his intentis circumstantiis, nil mirum si a principio occidentales praesertim episcopi cum Vigilio restiterint trium Capitulorum damnationi: quippe, indiscriminatim sumpta quaestione, videbatur placitis satis-

fecisse haereticorum (qui jam ea reprobarant) si orthodoxi ipsa eadem refutassent.

Sed propius hanc Pelagii locutionem perscrutemur, qua adversarios convincebat, nullimode incusandos episcopos occidentales, in quibus Vigilium, quod in principio restiterint trium Capitulorum anathemati, idest donec quod reapse contineretur in hac quaestione, agnoscerent, et usque dum undequaque persuasum ipsis foret, trium Capitulorum proscriptionem non contraire Synodi chalcedonensis fidei.

Duo igitur status ex hac Pelagii epistola ob oculos habendi sunt circa episcopos occidentales quoad notam quaestionem. Primus objicitur status repugnantiae horum Capitulorum damnationi; secundus consensum respicit. De primo rationem reddit Pelagius ab ignorantia petitam; quae in hujuscemodi casibus non provocat stuporem, cum ageretur de historiae monumentis: de secundo ob tenebras dissipatas, lumine veritatis corruscante. Ad cujus splendorem primo pertigit Vigilius Constantinopoli degens, exposuitque per suum Judicatum: quod deinde firmavit in Constituto novissimo, ubi ait, *se matura deliberatione, explorata Patrum sanctorum doctrina, ad hanc descendisse sanctionem,* damnatis tribus Capitulis. Ideoque Vigilius ab aetate Judicati, quo Theodori mopsuesteni scripta et personam condemnavit atque Ibae Epistolam sicuti et Conscripta Theodoreti, in hac perstitit sententia. Et hoc sibi vult Pelagius in epistola; cum ante istud tempus sive ab initio quaestionis usque ad suum in Urbem regiam adventum, restiterit Vigilius trium Capitulorum damnationi. Restitit quidem tunc, ut ita dicam, in expectatione sicuti plures episcopi occidentales; nec ideo Encyclicam, nec quodvis solemne decretum emisit Papa pro horum Capitulorum defensione; nec multo minus contrarios, idest expugnatores anathemati subjecit.

Quinimmo (et hoc novissimum ad rei perspicuitatem praeterire nolim) cum Pelagius II. summarie considerasset episcoporum Istriae praetextum, qui simul ulla absque differentia inter Vigilium Papam et alios episcopos, ac inter tempus quo illorum quisque in resistentia mansit, qui simul, ajo, talem Vigilii resistentiam objecerant in damnatione Ca-

pitulorum: nolim praeterire quod Vigilius ipse in Constituto novissimo ea damnans Capitula, aperte a se excludat et tunc et antea quamcumque illusionem, aut quodvis adhaesionis signùm erga eos, qui ea Capitula, sive Epistolam Ibae ad Marim defendebant: in qua summa concludebatur totius quaestionis. Inquit enim n. 28: « Quas omnes designatas blasphemias (in tribus Capitulis contentas) absit ab universali Ecclesia, ut quisquam praedictas quatuor Synodos, vel unam ex eis adserat suscepisse, vel eos, qui talia sapuerunt, atque secuti sunt. » Quae locutio tam limpide, alacriterque dictata, quemcumque eximit ab adversariis asserendi praetextum, quandoque Vigilium tria Capitula defendisse, ac in eorum defensione quidpiam pronunciasse coram Ecclesia; ut dicatur postea suam reformasse sententiam, destruens quae prius statuerat. Ideoque adversariorum dicta de Vigilii speciatim resistentia in damnandis Capitulis, aliter exponenda sunt, quam ipsi velint: nec unquam putandum est, Vigilium docuisse tria Capitula et maxime nefandam Ibae Epistolam sensum exprimere catholicum.



CAPUT VIII.

Superius discussa et expedita in trium Capitulorum causa comprobantur a s. Gregorio Magno, e cujus epistolis non solum praelucet animi sui moderamen adversus eorum Capitulorum patronos, quantum ipsius fides et constantia in firmandis a Synodo V. statutis, exclusa quaestione origeniana, et schismaticorum patefactis ignorantia et illusione in exponendis veterum scriptis.

Si quandoque in vetusta aetate calumnias Pontificatus Romanus passus sit ob perduellium haereticorum perfidiam ad fidei Petri labefactandam indefectibilitatem: et si tanto animi ardore illorum conatus perseverarint; hoc sane accidit in trium Capitulorum causa. Quorum defensores post Synodum quintam et Vigilii Papae Constitutum, audentius (quod quidem in Occidentis regionibus eo usque simile exemplum nondum proditum erat) in Ecclesiam Romanam irrumpentes, huc illuc scandala excitarunt, se catholicos, Pontifices vero Romanos quatuor Synodorum fidei praevaricatores nuncupantes. Jam ad annum 590. pertigimus; et schismaticorum adhuc ardor invalescebat adversus Vigilium ejusque successores, ita ut s. Gregorius ad Petri Sedem evectus plurimum elaborarit ad hujusmodi scandala de medio tollenda.

Ideoque saepius per suas epistolas, vel ex professo vel obiter huic Ecclesiae vulneri praesertim in Istria occurrentem vidimus, ad cujus medelam procerum quoque secularium usus est potestate. Et ita praedecessorum suorum exemplo, Synodi V. acta confirmavit, anathematizans, quae ipsa anathematizaverat, adsertor omnium, quae sub Vigilio facta sunt et quando erat Praetor Urbanus, eoque magis in Petri Cathedra assidens. Ita sane, perpetuo trium Capitulorum expugnator, nullibi librorum suorum ea tangit, quae supremam Vigilii Papae dignitatem in hac quaestione imminuerent; nec multo minus hujus Concilii gesta recensens, Origenis meminit, nec istius errorum: neque ipsum nec origenistas ait in ipsa Synodo fuisse damnatos.

Ac interim pro utraque quaestione et juxta propositum, ipsius Gregorii testimonia juvat exponere: quibus praemittenda est fidei professio in litteris Joanni episcopo constantinopolitano et universis patriarchis datis; uti legitur in epistolarum Libro I. n. 25: « Propterea, inquit, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio sit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor, nicaenum scilicet. . . . Quintum quoque Concilium pariter veneror; in quo et Epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quae beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiae prolata refutantur. Cunctas vero, quas praefata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector etc. »

Itaque huic Gregorii instans professioni, ejusdem scripta percurrens, incidi in epistolam 51. Libri II. ad universos trium Capitulorum defensores, ubi ait: « Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi: sed erit in me uberior valde laetitia, si mihi de vestra contigerit reversione gaudere. Prima itaque epistolae vestrae frons, gravem vos pati persecutionem innotuit. Quae quidem persecutio, dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem praemiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire, sicut beatus Cyprianus ait, quia *martyrem non facit poena sed causa*. Dum igitur ita sit incongruum, nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad aeterna praemia minime provehi. Reducat ergo caritatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quae vos generavit, Ecclesiam. Nulla vos animorum intentio a concordiae unitate dissociet: nulla persuasio repetendo vos a recto itinere defatiget. Nam in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, aperte liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum; sed sicut scitis, de quibusdam illic personis solummodo est actitatum. Quarum una cujus scripta evidenter a rectitudine catholicae fidei deviabant, non injuste damnata est. . . . .

« Ut igitur de tribus Capitulis, animis vestris ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctae memoriae decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si, deposito voluntarie defensionis studio, puro vigilantique corde saepius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos et ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porro autem, si post hujus libri lectionem in ea, quae estis, volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Unde iterum habita compassione caritatem vestram admoneo, ut quoniam, Deo suffragante, fidei nostrae integritas in causa trium Capitulorum inviolata permansit, mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quae filios suos expectat et invitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ea quotidie pro vobis expectari cognoscitis. » (1)

Similiter in epistola 10. Libri III. ad Savinum Subdiaconum, dicit: « Exeuntes maligni homines turbaverunt animos vestros, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, adstruentes quod aliquid de sancta chalcedonensi Synodo piae memoriae Justiniani temporibus sit imminutum; quam omni fide, omnique devotione veneramur. Et sic quatuor Synodos sanctae universalis Ecclesiae, sicut quatuor Evangelii Libros sanctos, recipimus. De personis vero, de quibus post terminum Synodi aliquid actum fuerat, ejusdem piae memoriae Justiniani temporibus est ventilatum: ita tamen ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem sanctam chalcedonensem Synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem siquis ex definitione fidei, quae in eadem Synodo prolata est, aliquid imminuere praesumit, vel quasi corrigendo ejus sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. »

Item in epistola 2. Libri IV. ad Constantium episcopum scribit s. Gregorius: « Dilectissimus filius meus Bonifacius

(1) Confer Tomum II. Operum s. Gregorii studio monachorum Ordinis s. Benedicti Parisiis an. 1705.

diaconus quiddam mihi ex scripto fraternitatis tuae secreto nuntiavit, quod exquisita occasione potiusquam inventa, tres se episcopi a pia fraternitatis vestrae communione separaverint, dicentes vos in damnationem trium Capitulorum consensisse atque cautionem fecisse. Et quidem siquid de tribus Capitulis in quocumque vel verbo vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur: quamvis decessor fraternitatis tuae Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicae emiserit: in qua viri nobilissimi et legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc urbanam praeturam gerens subscripsi.

« Quia, postquam talis scissura pro nulla facta est, justum fuit ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiae in sacerdotum mentibus custodiret. Quod autem dicitur, filiam nostram Theodolindam reginam sese a communione tua hoc audito nuntio suspendisse, constat per omnia. Quia etsi pravorum hominum verbis ad paululum seducta est, venientibus tamen Hippolyto notario et Joanne abbate, erit modis omnibus vestrae fraternitatis communionem quaesitura: cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione transmittat. De episcopis vero, qui se suspendere visi sunt, aliam epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris, eos non ambigo de superstitione suae superbiae apud fraternitatem tuam poenitentiam acturos. »

Ex his itaque tribus s. Gregorii epistolis alacrem comprehendes ipsius mentem erga definitionem quintae Synodi, et quali animi sinceritate in adversarios pugnet, perniciosissimam ostendens illusionem; qua trium Capitulorum defensores immerito putarunt, martyrii coronam consequi ob suam pervicaciam et a fide catholica defectionem. Asseverans ideo, in ea Synodo nihil convulsum esse, nihilque mutatum, cum de personis tantummodo ibi actum sit; quarum una fuit Theodorus mopsuestenus, cujus scripta perspicue fidei catholicae contraria, justissime fuerant anathematizata. Deinde cupiens adversariis abundanter de hac re satisfacere, ad antecessoris sui epistolam mittit, ubi accurate discussa sunt illius Synodi et Vigilii acta. Similiter in altera ad Savinum epistola, pari ingenuitate in faciem adversantium restitit, statuens, nullimo-

de Concilii chalcedonensis fidem violatam in trium Capitulorum anathemate fuisse.

Potiori vero animadversione dignum reputatur, quod s. Doctor scribit ad Constantium Mediolani episcopum; cum a Bonifacio diacono didicerit, tres episcopos a communione separatos, praetexentes ipsum Bonifacium et Constantium trium Capitulorum consensisse anathemati, emissa insuper cautione, idest cum juramento promittentes, se nunquam deinceps reluctaturos illorum Capitulorum damnationi. Quam cautionem antea Laurentius ejusdem civitatis episcopus circa annum 581. ad Sedem Apostolicam misit: et cui dicit Gregorius viros nobilissimos ac seipsum quoque subscripsisse, cum praeturam urbanam gereret. Quocum satis indicat, sibi ceterisque persuasum fuisse per Synodi quintae definitionem adversus tria Capitula, omnimode quatuor Conciliorum et potissimum chalcedonensis fidem manere inviolatam. Quare Pontifex et studiosus unitatem in sacerdotum mentibus custodiendi, ac una erga statuta quintae Synodi obsequentissimus, haud veretur et Theodolindam reginam ideo corripere et alios episcopos, illius Synodi ausos contraire definitioni: quod et amplius ex sequentibus compertum erit.

In epistola namque 3. ejusdem Libri IV. ad eumdem Constantium de eadem re dicit: « Pervenit ad nos quod quidam episcopi vestrae dioecesis exquirentes occasionem potius quam invenientes, sese scindere a fraternitatis vestrae unitate tentaverint, dicentes te apud romanam urbem in Capitulorum damnationem cautionem fecisse. Quod videlicet idcirco dicunt quia quantum fraternitati etiam sine cautione credere soleam, nesciunt. Si enim hoc esset necessarium fieri, verbis nudis vobis credi potuisset. Ego tamen nominata inter nos neque verbo, neque scripto tria Capitula recolo. Sed eis, si citius revertuntur, de suo errore parcendum est: quia juxta Pauli Apostoli vocem, *non intelligunt neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant*. Nos enim auctore veritate, teste conscientia, fatemur nos fidem sanctae chalcedonensis Synodi per omnia illibatam custodire, nihilque eis definitioni addere, nihil subtrahere audere. Sed siquis contra eam ejusdemque Synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum appetit usurpare, cum

omni dilatione postposita anathematizamus, atque a sinu matris Ecclesiae alienum esse decernimus. Quem igitur ista mea confessio non sanat; non jam chalcedonensem Synodum diligit, sed matris Ecclesiae sinum odit. Si ergo ea ipsa, quae audere visi sunt, zelo loqui animae praesumpserunt: superest ut, hac satisfactione suscepta, ad fraternitatis tuae unitatem redeant; seque a corpore Christi, quod est sancta universalis Ecclesia, non dividant. »

Et ad Theodolindam reginam de re eadem loquitur in epistola sequenti: « Quorumdam ad nos relatione pervenit ab aliquibus episcopis, gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut seipsam a catholicae unanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis: qui non solum ea quae loquuntur nesciunt; sed vix ea percipere, quae audierint possunt. Dicunt enim piae memoriae Justiniani temporibus aliqua contra chalcedonensem Synodum fuisse constituta: qui, dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos namque, teste conscientia, fatemur de fide ejusdem sancti chalcedonensis Concilii nihil motum, nihil esse violatum. Sed quidquid praedicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est, ut fides chalcedonensis Concilii in nullo vexaretur. Siquis autem contra ejusdem Synodi fidem aliquid loqui praesumit, vel sapere, nos ejus sensum sub anathematis interpositione detestamur.

« Cur ergo integritatem nostram ex conscientiae nostrae attestatione cognoscetis, superest, ut nunquam vos a Catholicae Ecclesiae separetis communione: ne tot vestrae lacrymae tantaque opera bona pereant, si a fide vera aliena inveniuntur. Decet ergo gloriam vestram ad reverendissimum fratrem et coepiscopum meum Constantium, cujus et fides et vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere; eique directis vestris epistolis indicare ordinationem ejus, quam benigne suscepistis; et quia ab ejus ecclesiae communione in nullo separamini. Quamvis in hac re me vobis superflue dicere arbitror, quia etsi quid in animo

vestro dubietatis fuit, veniente filio meo Joanne abbate, atque Hippolyto Notario, ex corde vestro arbitror fuisse sublatum. »

Similiter in epistola 39. Libri IV. ad praefatum Constantium episcopum inquit: « Scriptis sanctitatis vestrae percursis, in gravi vos moerore esse cognovimus, maxime propter episcopum et cives Brixiae, qui mandant, ut eis epistolam transmittatis, in qua jurare debeatis vos tria Capitula non damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestrae Laurentius non fecit, a vobis quaeri non debet. Si autem fecit, cum universali Ecclesia cautionis suae juramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta servasse, atque in unitate Ecclesiae permansisse, dubium non est, quod nulli episcoporum suorum juraverit, se tria Capitula minime damnasse. Ex qua re colligat sanctitas vestra, quia cogi non debet ad hoc, quod a decessore vestro factum nullo modo est. Sed ne ii, qui vobis ista scripserunt, scandalizari videantur, transmittite eis epistolam; in qua sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de fide chalcedonensis Synodi imminuere, neque eos qui imminuunt, recipere, et quoscumque damnavit, damnare, et quoscumque absolvit, absolvere. Unde credo eis posse celerrime satisfieri....

« Quod autem scripsistis, quia epistolam meam reginae Theodolindae transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea quinta Synodus nominabatur; si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretis. Unde nunci ta facimus sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quae in Constantinopoli postmodum facta est, quae a multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit vel senserit: quippe quia in ea de personis tantummodo non autem de fide aliquid gestum est, et de his personis, de quibus in chalcedonensi Concilio nihil continetur; sed post expressos canones facta contentio, et extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen sicut voluistis ita fecimus, ut ejusdem Synodi nullam memoriam faceremus etc. »

Ut patet, in his epistolis firmantur, quae praemisit s. Doctor in praecedentibus, perpetuo in eadem fide, doctrina eadem, eisdemque obtestationibus perseverans dimicat adversus falsatores mentis Patrum in Synodo quinta congregatorum: ob quas falsationes hinc inde scandala innovabantur in pusillorum ruinam. Ac praeterea ab his epistolis constiterit, nullam in Concilio quinto motam esse Origenis mentionem. Cum namque s. Gregorius asserat, in hac Synodo nihil disputatum esse de fide; ast tantum de personis, quarum memoriam et scripta nonnulli sub tutamine rectae fidei in Concilio chalcedonensi approbata fuisse contendebant, ex ipsa rei natura hinc excluditur quaestio origeniana; in qua praesumpti errores (alii omnino ab haeresi nestoriana) totum convellebant fidei catholicae fundamentum. Ceterum in Synodo chalcedonensi, uti illius acta perspicue testantur, nemo quaestionem origenianam proposuit, nemo eam discussit, nemo denique Origenem, nec ipsius damnavit errores. Quamobrem, cum in Synodo V. constantinopolitana, quae decreta Synodi chalcedonensis discussit firmavitque, nec quid amplius adjecit, uti ait s. Gregorius, fatendum est ibidem omissam fuisse talem de Origene quaestionem et condemnationem.

Pariter tum quoad silentium in Synodo quinta de Origenis erroribus tum quoad Papae ipsius reverentiam erga hujus Synodi definitionem, offertur epistola 34. Libri VII. ad Eulogium episcopum, ubi scribit: « In Historia autem Sozomeni de quodam Eudoxio, qui constantinopolitanae ecclesiae episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam Sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum Mopsuestiae nimium laudat, atque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiae fuisse perhibet. Restat ergo ut, siquis illam historiam recipit, Synodo, quae piae memoriae Justiniani temporibus de tribus Capitulis facta est, contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam historiam necesse est, ut repellat. »

Novissime post tot divi Gregorii documenta in nota quaestione, hoc ultimum satisfiat ex suis desumptum ad Secundinum litteris n. 52. Libri IX. ubi interrogationi istius circa ecclesiarum orientalium conditionem in trium Capitulorum

causa respondet; eumque confirmat de omnimoda earum ecclesiarum concordia in quatuor Synodorum acceptatione; nihil insuper iis Synodo chalcedonensi nec addentibus, neque dementibus. Ac proinde ipsum Secundinum hortatur ut Concilio V. adhaereat utpote praecedenti Synodo in omnibus consonanti; neque ideo ulla ratione schismaticorum (et ita appellat trium Capitulorum defensores) sequatur aberrationes.

« Valde autem, ait, libenter accepi quod tua me caritas de sua dubitatione requisivit, an Orientis ecclesiae fidem atque doctrinam sanctae memoriae Leonis Papae sequantur: ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium Capitulorum defensione divisus sit. Unde certam dilectionem tuam esse desidero, quia praedictae sanctissimae Orientis ecclesiae uno sensu, una doctrina fidem ejusdem sanctae memoriae Leonis tenent; sanctamque chalcedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, ut nullus esse episcopus reputetur, qui ejusdem Synodi defensor, sectatorque non fuerit. Hinc est enim, ut quoties in quatuor praecipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant: in quibus se sanctam chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur: sicut et nos aversamur, atque anathemate plectendos ducimus, siqui de fide ejusdem Synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere praesumunt. Nam Synodus, quae post eam generaliter facta est, idcirco a nobis recipitur, quia ejusdem Synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit. Unde necesse est, ut dulcissima mihi dilectio tua in hoc, quod praecipue in bonis moribus vivit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinae Dei vehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens, a sancta universali Ecclesia divisa possit inveniri.

« Et quid tot labores proderunt, si in unitate fidei inventi non fuerint, quae ante Dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam praecipue custodit? Hinc enim dicitur: *una est columba mea, perfecta mea.* Hinc ad Moysen Dominus dicit: *est locus penes me, et stabis super petram.* Quis est locus qui non sit in Deo, dum cuncta ab ipso, per quem creata sunt, continentur? Sed tamen est locus apud eum, videlicet

sanctae Ecclesiae unitas: in qua super petram statur, dum confessionis ejus soliditas humiliter tenetur. De quo loco subjungitur: *tunc videbis posteriora mea.* In petra enim idest in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus; quando jam ea, quae in fine promissa sunt, coelestis patriae gaudia contemplabimur. Perversi autem homines, qui, trium Capitulorum occasione reperta, ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actis reprehendi pertimescunt, subesse Sedis Apostolicae praeceptis nolunt; et nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti student ut certare pro fide videantur.....

« Ut enim dilectioni tuae de eadem re breviter loquar, sancta chalcedonensis Synodus usque ad definitionem fidei et prolationem canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem canonum specialia episcoporum certamina sopire curavit. Epistolam vero, quam in eo reverendissimus Ibas denegat suam, quod in extrema parte Synodi jaceat, agnoscis. Quae videlicet Epistola Nestorium inauditum, et inquisitione non facta, damnatum asserit; Cyrillum vero in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus praedictae Synodi legitur, quantum haec Epistola eadem Synodo adversetur, invenitur: quia scilicet sancta Synodus et Nestorium, sicut est, haereticum denuntiat, et beatum Cyrillum Patrem catholicum veneratur. Epistola ergo, quae illum defendit, qui a Synodo damnatus est, et eum accusat, qui a Synodo veneratur, procul dubio definitioni sanctae Synodi probatur adversa. Sed quia ejus defensores solent dicere, quod hanc Ibas eo tempore scripsit, quo adhuc Cyrillus propter duodecim Capitula, quae necdum exposuerat, dubius habebatur: in ipsa hac Epistola perpende, quia legitur, quod inter orientales episcopos, et beatum Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotae dubitationis haec eadem Epistola scripta est: constat, quia non est catholica, quae Patrem catholicum, atque in toto Synodi volumine laudatum, haereticum appellat. Haec paucis dixi, quia ex quibus praecipue causis hac in re dubitationem tua caritas habet, in epistolis non inveni. »

Sed quid adhuc egemus testibus? Cuivis enim Pontificum Romanorum Pelagii I. Pelagii II. et Gregorii I. praeclarissime patent citata testimonia; ubi idem comprehenditur sensus, eadem fides, eadem ratio in trium Capitulorum damnatione; quin unus ad dexteram, et alter ad sinistram pergat in Synodi quintae considerando momento. Concorditer enim Synodum acceperunt, probaruntque, omissis, nec ullimode animadversis suppositis, quae in ejusdem adunatione ac discussione inter Concilii Patres et Vigilium et Justinianum, concussiones et violentiae et obtestationes supervenisse dicuntur, veluti nonnulli sensere, quibus sane talis displicebat conventus ejusque decretum.

Ideoque ob hujusmodi unanimitatem in propugnandis Synodi quintae actis, a Pelagio I. qui eo ipso tempore vivebat, incipiendo usque ad s. Gregorii obitum, haud probanda videtur opinio, Vigilium nempe restitisse hujus Concilii adunationi sicuti et subscriptioni. Quam rem celebrati Pontifices silentio praeterierunt, sicuti alteram de Origene ibidem damnato mentionem. Quinimmo ex praemissis horum testificationibus, animi securitas undique manifestatur in comprobando trium Capitulorum anathemate, veluti fuerat in ipsa Synodo sancitum, ac eadem alacritas in oppositorum convellendis argumentis, eis inter schismaticos consonanter numeratis, qui secus putarent. Hoc autem egisse Ecclesiae Romanae antistites credendum est, haud nescios Concilii quinti Patres, canonice congregatos, canonice item quaestionem expensam, riteque omnia definita fuisse, a Vigilio sancita, universaeque Ecclesiae proposita juridice acceptanda, ceu reapse per suos successores firmata reperiuntur.

Quamobrem tres nuncupatos Pontifices unumquemque pro ordine suo, eodemque fidei spiritu admodum laborasse vidimus, ut christiades cuncti et praesertim Occidentis episcopi una cum quatuor oecumenicis Synodis quintam quoque susciperent et custodirent, omnibus semotis dubietatibus, ac pro nihilo factis adversariorum obtestationibus.



CAPUT IX.

Disquiruntur et confutantur eorum argumenta, qui in Synodo V. arbitrantur damnatum fuisse Origenem, et hoc in primis ex canone XI. ejusdem Synodi repetentes.

Post haec, seposita aliquantulum de tribus Capitulis discussione, ad alterum speciale de Origene argumentum convertamus animum, illusis respondentes, qui putarunt in actis Concilii quinti reperiri insertam Origenis ipsius damnationem; cum ideo appellent ad canonem XI. Collationis VIII. et ad consultationes Collationis quintae ejusdem Synodi, ubi Origenis nomen Ario, Eunomio ceterisque haereticis connumeratum legitur.

Verumtamen cum non sit, qui nesciat, jam ipsa instante quaestione, hujus Concilii acta fuisse interpolata; cumque ideo aequa lance singula ponderanda sint, quae ad hanc spectant Synodum, non inficiamur ita tradi in Collatione VIII: sed nec item ignorandum est, aliter erui ex Confessione Justiniani ob eamdem causam adversus tria capitula emissa: ubi, etsi iidem canones repetantur, attamen in canone XI. inter haereticos damnatos deest Origenis nomen: « Siquis, inquit, non anathematizet Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, et eos, qui similia sapuerunt, vel sapiunt, talis anathema sit. » Nomen autem Origenis contra Synodi mentem in Collatione VIII. intrusum, sicuti alias additiones cuique canoni fere universim insertas adversus Justiniani Confessionem, ubi genuini proferuntur canones, multimode probatur.

Auctor Chronici alexandrini, qui octoginta circiter annos post Synodum V. vixit, recensens Justiniani Programma, ubi Confessionem suae fidei prodit, ac una canonem XI. ejusdem Concilii citans haereticosque ibi damnatos, Origenis nomen penitus praeterivit. Ceterum parum interest numerus canonum vel capitulorum, in quibus dividuntur anathemata; sed potius expositionis attendendum est varietati: qua constiterit ordo genuinus canonum, qui leguntur in citata Confessione,

et interpolatio eorum, qui in collatione VIII. notantur, uti dictum est. Adeo tamen ut, cum in canone XI. luculentissimum interpolationis indicium ab ipsius canonis expositione pateat, ibi quoque falsator et malitiam et ignorantiam simul manifestet. « Siquis, inquit, non anathematizet Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impiis eorum conscriptis, et alios omnes haereticos damnatos et anathematizatos a sancta catholica et apostolica Ecclesia et a praedictis sanctis quatuor Conciliis, et eos, qui similia praedictis haereticis sapuerunt et sapiunt, et usque ad mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent, anathema sit. » Et quid inde consequitur? Manifeste sane eruitur, Origenem nequaquam in quinta Synodo constantinopolitana damnatum fuisse; verum aut in quarta cum Eutyche, vel in tribus praecedentibus. Et in hoc quidem adversariorum labor et opus, ut ostendant in quatuor Conciliis oecumenicis anathematizatum fuisse Origenem. Et si ad istud non pervenerint, fatendum eis erit, neque in Synodo V. fuisse damnatum.

Interea constat, Origenem nullam subiisse damnationem a Patribus in quatuor Synodis generalibus. Nullibi enim ex actis earumdem, et praesertim Concilii constantinopolitani, mentio texitur Origenis haeretici inter arianos, eunomianos, macedonianos, sabellianos, photinianos, marcellianos et apollinaristas. Porro circa hoc interpolationis indicium in canone XI. nec istud est praetereundum. Cum enim in fidei Confessione a Justiniano emissa canones hujusmodi praeferente (quos quidem legit ac confutare studuit Facundus hermianensis, et ubi non apparet Origenis nomen inter haereticos inscriptum) talis constet, ob additiones sive glossas eisdem insertas, discrepantia ab illis, qui leguntur in Collatione VIII. sive ultima ejusdem quintae Synodi, ubi Origenes damnatur, de his interest quam plurimum animadvertere, quod in Tomo XI. pag. 922. Editionis Conciliorum, curante cl. Card. Passioneo, notatur relate ad pseudosextam sive trullanam Synodum et ejusdem canones.

De hac Synodo usque modo perstat *Admonitio* graece scripta ac latine versa, hujus tenoris: « Sanctam et oc-

cumenicam sextam Synodum nullos condidisse canones tam graeci tam latini fatentur omnes. Qui vero ejus nomine circumferuntur, duo illi supra centum, neque ab ipsa sunt editi, neque omnes a Sede Apostolica comprobati, utpote post sextam conditi Synodum sub Justiniano Rhinotmeto, ut affirmat Tarasius constantinopolitanus patriarcha Actione quarta septimae Synodi, et ipsi episcopi testantur, qui illos scripsere canones in Prosphonetico ad Justinianum; cum dicant, ideo sacros canones a se esse conscriptos, quod sancta et oecumenica duo Concilia, alterum quidem sub Justiniano majore, alterum vero sub Constantino Justiniani secundi patre, mysteria fidei plenissime explanantia, nequaquam sacros canones ediderint. Ex eo factum est, ut apud graecos conventus hic sub Rhinotmeto non proprie sexta Synodus, sed Quinisexta vocetur (inquit Theodorus Balsamon) quippe qui condendis canonibus suppleverit, quod a duabus ante Synodis fuerat praetermissum. »

Ab hoc testimonio infertur primo, canones haberi genuinos, quos Justiniani Confessio profert; et qui in Collatione octava Synodi V. leguntur, interpolatos. Non enim ab hac Collatione canones in Justiniani Confessionem translati sunt; sed hinc illuc traducti; quando latissime patet ex citata *Admonitione,* Patres Synodi V. nullos condidisse canones: sicuti tantumdem non est dubitandum hos canones constituere portionem praefatae Confessionis. Aç propterea iterum stabilitur, cum uni ab aliis discrepent, hos, nimirum canones in Confessione lectos, haberi sinceros, ac ceteros in Synodo citatos, interpolatos: ac proinde eodemque jure, Origenis nomen canoni XI. insertum veluti in hac Synodo damnati, et cujus nuncupatio desideratur in genuino Confessionis canone, ceu intrusum et supposititium definiendum esse; nec ideo Origenem tanquam in Concilio quinto anathematizatum admittendum.

Porro in praefata Justiniani Confessione, et ea consideranda orationis suae contra haereticos series est; qua ad specialem devenit cujusque haereseos et auctoris earum nuncupationem et anathema. In qua quidem prius ample discussit confutavitque singillatim haereticorum blasphemias, idest

Arii, Eunomii, Macedonii, Apollinaris, Nestorii, Eutychetis; ut inde ad Theodorum mopsuestenum pergeret sive ad tria Capitula. Quibus sedulo tractatis, veluti in argumenti sui consequentiam subdit: « Ita his se habentibus, perspeximus et Capitula supponere, quibus tam rectae fidei compendiosa confessio, quam haereticorum condemnatio continetur. » Ex qua compendiosa confessione, *si quis non anathematizet Arium Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychetem et eos, qui similia sapiunt vel sapuerunt, talis anathema sit*, sequitur necessario, jure ab eo capitulo vel canone excludi Origenis nomen, cum antea in generali discussione Justinianus nec hunc indicarit, neque ejusdem dogmata expenderit, nec confutarit. Et ita deinde in ceteris capitulis, Nestorio, Eutychete et trium Capitulorum defensoribus citatis et anathematizatis, omisit Origenis nomen; ut cunctis patefierent in eo capitulo vel canone Origenis personae intrusio, et interpolatoris calamus.

Item in propositi confirmationem deducitur a Collatione VIII. Synodi, ubi Patres inquiunt: « Condemnamus et anathematizamus una cum omnibus haereticis, qui condemnati sunt a praedictis quatuor Synodis et a sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, et Theodorum, qui Mopsuestiae episcopus fuit, et impia ejus conscripta, et Theodoreti Scripta et Ibae Epistolam. » Quae omnia ipsi Patres (sicuti leguntur in Confessione Justiniani capitulis comprehensa) decreta iterantes quatuor Synodorum adversus enunciatos haereticos, firmarunt, illud maxime intuiti, nequid sanctionibus quatuor praecedentium Synodorum et praesertim chalcedonensis demeretur, aut adderetur, anathematizatis iis, qui Ibae Epistolam ad Marim, Theodorum mopsuestenum cum suis libris, et Scripta Theodoreti docebant fuisse uti catholica probata ab eadem Synodo.

Hucusque de actis Synodi V. a quibus manifeste constat, Origenem nec ab ea esse Synodo citatum nec damnatum. Modo documenta subeant hujus et successivae aetatis scriptorum, qui hujus Synodi gesta memorarunt: ut ab his firmetur amplius Origenis intrusio in praefatum canonem, nec ideo inter Patres de ipso disputatum esse. Ac interim valde nostro pro-

posito suffragatur testimonium praeclarum Eustathii presbyteri in vita s. Eutychii patriarchae constantinopolitani, qui inter primores Synodi V. emicuit. Is porro Eustathius familiaris ejusdem fuit, proindeque testis in Synodo gestorum.

Inquit enim: « Scitis vos omnes viri studiosi sanctum Concilium V. in hac regia civitate fuisse celebratum, regnante divo Justiniano imperatore: qui Christianae Religionis studiosissimus fuit, et diligentissimus in congregandis sanctis episcopis, qui tria illa Capitula dijudicarent, idest Theodoreti Scripta contra duodecim capitula s. Cyrilli, et Epistolam Ibae ad Marim Persam conscriptam, et Theodori Mopsuestiae episcopi judaicas nugas et maledicta. Quae quidem diligenter explorata et juste improbata, meritoque damnata fuerunt ab ipso sancto oecumenico Concilio. »

Huic testimonio subditur *Exemplar Satisfactionis* inter Cyrum Alexandriae episcopum, et eos qui erant ex parte theodosianorum, dictatae annos circiter quinquaginta sex ante Synodum VI. adversus monothelitas. Ibi enim recensetur fides quinque Synodorum, et canones instaurantur adversus haereticos in eisdem nuncupatos, quorum octavus ita se habet: « Siquis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium haereticos, Nestorium, Eutychen δυσώνυμον nec nominabilem, et Cyrum et Joannem Aegeotas, et omnes, qui quocumque modo contradixerunt duodecim capitulis sanctissimi Cyrilli, et poenitentiam non egerunt, sed in hoc errore mortui sunt; et quique similia eis sapuerunt, aut sapiunt, anathema sit. » Deinde in canone IX. « Siquis non anathematizat Scripta Theodoriti, quaeque sunt contra rectam fidem et sanctum Cyrillum, et Epistolam, quae dicitur Ibae, et Theodorum mopsuestenum et ipsius scripta; et siqui non suscipit scripta sancti Cyrilli, et maxime quae sunt contra Theodorum et Theodoritum, Andreamque et Nestorium, et qui similia ejus uniusve eorum senserunt vel sentiunt, anathema sit. »

Quapropter, omittendo qua ratione hos canones citarint *Satisfactionis* Auctores, in eisdem tamen aperte (et nemo inficiari poterit) innovantur, quae acta sunt in quinque Conciliis adversus haereticos et praecipue contra tria Capitula.

Cum autem nulla in praefatis canonibus habeatur Origenis damnati recensio, infertur magis ac magis ipsius Origenis nomen per manum furtivam irrepsisse in canonem XI. Collationis VIII. ejusdem Synodi quintae.

Similiter Timotheus presbyter constantinopolitanus, qui vixit ante Synodum sextam in Libello *De Receptione haereticorum*, in fine ejusdem hortatur fideles: « ut amplectantur quatuor Synodos oecumenicas; ac praeterea illam Constantinopoli congregatam sub divinae memoriae imperatore Justiniano sanctam Synodum. Quae robore et firmitate auxit sanctas et generales quatuor Synodos ipsam praecedentes, eorumque dogmata. » Timotheus ita propinquus actis Synodi V. nec sapientius, nec melius hunc definire poterat conventum episcoporum de tribus Capitulis, ut dicatur quaevis nova ibidem exclusa fuisse quaestio, quae non foret quodammodo in praecedentibus Synodis pertractata. Unde perspicue ex Timothei testimonio, ab hoc Concilio V. sicuti a praemissis amotam prorsus fuisse patet de Origene quaestionem, ejusque anathema.

Et hoc idem tradunt episcopi Istriae in *Suggestione* ad Mauritium imperatorem an. 591. in qua scandala in Ecclesia (sicuti ipsi putarunt) revocant a tempore Justiniani ob trium Capitulorum damnationem, nimirum *Epistolae venerabilis Ibae episcopi edessenae civitatis, personae quoque Theodori Mopsuestiae episcopi, atque Scriptorum Theodoreti episcopi Cyri: quae in sancto Concilio chalcedonensi recepta sunt.* Et hanc damnationem ajunt Vigilio Papae notam fuisse. Ceteroquin in hoc anathematis decreto specialim citata sunt et scripta et haereticorum nomina anathemati obnoxia. Ideoque si Origenis persona fuisset cum Theodoro mopsuesteno damnata, *Suggestionis* auctores in summa decreti, Theodoro alteram junxissent Origenis personam.

Adminiculum similiter proposito nostro confert epistola Mansueti episcopi mediolanensis ad Constantinum imperatorem circa an. 679. In qua accurate et fideliter repetens acta in quinque Synodis oecumenicis, de quinta scribit: « Demptis his omnibus, deinceps christianissimo Justiniano imperatore (cujus cum nomine et opera micuerunt) extiterunt qui-

dam, qui sanctam chalcedonensem Synodum sub naevo offensionis rejicere inconsideratis vocibus jactitabant, tunc a praefato Principe, iterato in regia urbe Constantinopoli Concilio, congregati sunt 160. venerandi Patres; Capitula illa, de quibus infamare gestiebant obloquentes, praedictam chalcedonensem Synodum ab omni suspicione pravi erroris absolvens, tria Capitula, pro quibus accusabatur, aperta damnatione fecit ulcisci. Ubi et decessorum Patrum regulas sacrae institutionis sequentes, sanctam et immaculatam orthodoxam fidem vivacibus sententiis roborantes firmissima attentione confirmaverunt. » Deinde sequitur professio fidei a Patribus in hac Mediolani Synodo congregatis, quibus praeerat ipse Mansuetus; quique Synodi V. fidem expressit in hac epistola.

Ex hac episcopi mediolanensis obtestatione arguas (quacumque seposita in quinta Synodo peregrina quaestione, et quidem praesumpta origeniana) hanc fuisse adunatam solummodo pro confirmatione Concilii chalcedonensis. Cedrenus in *Compendio Historiarum,* ut testatur Mansius in Additamentis Conciliorum, dicit fuisse in quinta Synodo firmata ac damnata tantum, quae in praecedentibus quatuor proscripta fuerant. Et in his sententia Constituti Vigilii convenit: « Propter quod, ait Papa, clarum est, nihil novi nos per hanc damnationem statuere, sed ea anathematizasse, quae et sancta Synodus respicit; et ipse quoque Theodoretus episcopus illic sua professione damnavit. »

Item in professione emissa a Concilio anglico Hedhfelde celebrato anno 680. legitur: « Suscepimus sanctas et universales quinque Synodos beatorum Patrum .... Et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt Concilio tempore Justiniani contra Theodorum et Theodoretum et Ibae Epistolam et eorum dogmata contra Cyrillum. »

Insuper in Codice pergameno Vaticano Palatino n. 576. ab initio brevis contexitur catalogus Synodorum oecumenicarum. Et ubi de Synodo V. haec notantur: « Quinta in Constantinopoli contra Theodorum mopsuestenum et omnes haereticos. Qui Theodorus dicebat alium esse Dei Verbum, alium Christum; temporibus Justiniani principis, Vigilii Papae Romani, Domni antiocheni, Eutichii constantinopolitani. Qui

etiam quatuordecim capitula anathematizanda scripserunt contra Theodori et sociorum ejus blasphemias. »

Novissimo juvat quoque huc accersere, quae Martinus Papa in Secretario V. Concilii lateranensis, relectis chartis Synodi V. subdidit : « Manifestatur nobis ex his quae relecta sunt, sive definita in Concilio V. condemnatum esse et alienum a sancta Dei Ecclesia unumquemque, qui non susceperit verbo et mente omnes sanctas Synodos et venerabiles Patres cunctaque, quae ab eis exposita sunt in destructionem omnium haeresum. » Ideo cum perspectum sit in praecedentibus Conciliis ab haereticorum societate et damnatione immunem evasisse Origenem, consequitur fuisse et a Synodi V. decreto exclusum ; cum nihil novi in hac Synodo actum sit ; sed tantum firmata in quarto Concilio adversus haereses decreta, uti saepe s. Gregorius Papa I. in suis epistolis obtestatur.

His omnibus collatis testimoniis circa genuina Synodi V. acta, praeclare patet interpolatio canonis sive Capituli XI. Justiniani Programmatis de sua confessione, translati in octavam Collationem praefatae Synodi : cum in illum canonem introductum sit Origenis nomen una cum haeresiarchis ab Ecclesia damnatis ; quam sane tanti viri damnationem non intenderunt Patres in Concilio adunati. Quamobrem et in hac parte illusi sunt adversarii tale decretum praetexentes contra orthodoxam Origenis doctrinam.



CAPUT X.

Item amplissimis argumentis interpolatio Collationis quintae Synodi V. et hinc nominis Origenis intrusio comprobantur, in discussionibus episcoporum de haereticis post mortem damnandis: novis additis Pelagii I. Pelagii II. de hac re testimoniis.

Attamen instant adversarii, atque ad Collationem quintam recurrentes hujus Synodi, hanc objiciunt; in qua palam dicitur Origenis damnatus. Verba porro, quae talem exprimunt damnationem, ita sonant: « Et Athanasius diversas epistolas ad Apollinarem scripsit, tanquam eadem in fide sapientem; et tamen postea libros integros etiam post mortem Apollinarii scripsit adversus eum, cognitis illius blasphemiis in libris ejus. Sed etiam Leo sanctae memoriae Papa antiquioris Romae et suscepit Eutychen et rescripsit comprobans; et tamen postea condemnavit, et anathematizavit eum tanquam haereticum. Et multos quidem etiam invenimus alios post mortem anathematizatos, nec non etiam Origenem. Et si ad tempora Theophili sanctae memoriae, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum. *Quod nunc in ipso fecit et vestra sanctitas, et Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romae.* Praesumpserunt vero Theodori defensores etiam Joannis sanctae memoriae episcopi constantinopolitani litteras proferre, quasi ad Theodorum factas laudes ipsius continentes etc. »

Ab exemplis, uti patet, Concilii Patres canonicum Theodori mopsuesteni post mortem anathematismum ostendere conati, praeter Apollinarium, Eutychem ceterosque subdunt Origenis damnationem in Synodo alexandrina sub Theophilo, dicentes: *quod nunc in ipso fecit et vestra sanctitas et Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romae.* Ex his novissimis verbis damnatum Origenem in quinta oecumenica Synodo putarunt adversarii. Ego vero neque hinc putarem erui posse in quinta Synodo judicatum Adamantium: obscura namque et incerta apparet locutio, ac ideo varia expositione capax.

Et primo qui ita disserit, hanc videretur consequentiam voluisse ex praefatis exemplis eruere. Sicuti de Apollinario, de Eutyche ac de Origene factum est post mortem anathematizatis; ita nunc in hac Synodo fecit vestra sanctitas et Vigilius Papa de Theodoro mopsuesteno.

Si autem (veluti et mihi) minus concinna admittatur haec interpretatio ita ut deserenda sit, videretur potius alteri accedendum vulgo acceptae opinioni; ibidem scilicet in quinto Concilio significari iteratam Origenis damnationem postquam fuerat a Theophilo 150. annis ante anathematizatus. Verumtamen plura manent disquirenda de hujusmodi locutionis sensu relate ad Synodi mentem in hac anathematis restauratione. Ac itaque rogarem: quum Interlocutor ait *quod nunc in ipso fecit et sanctitas vestra et Vigilius Papa*, aut de praesenti Synodo idest de praemissis Actionibus dierum praecedentium, quibus Patres convenerant, loquitur. aut de Synodo alia praecedenti septem ab hinc annis circiter adunata. Si de ipsa Synodo oecumenica loquitur (et manifeste ex particula *nunc* constat) tunc necesse foret ut in prima, aut in secunda, sive tertia sive quarta Actione et quidem speciali tractatu discussa fuisset quaestio Origenis ejusque proscriptio. At in his quatuor Actionibus nil dictum, nec propositum fuit de Origene. Praeterea, sicuti ibidem dicitur *in ipso fecit et sanctitas vestra et Vigilius Papa*, hoc magis suffragatur opinioni nostrae, quod nimirum non hoc Concilium animadverterint Patres, sed alterum praecedens. Vigilius namque Papa usque huc non interfuit Concilio; ideoque usque ad Actionem quintam nec is probare nec reprobare potuit acta Synodi; nec de Origenis persona quidquam pronunciare.

Si vero Origenis damnatio extra hanc Synodum oecumenicam exportanda sit; et si vocabulum *nunc* relative ad annos 546. vel 47. intenderint Patres; quando scilicet, ut ait Facundus hermianensis, adunata est Synodus septuaginta fere episcoporum (alii triginta asserunt) Romano Antistite praesenti, pari jure locutio *quod nunc in ipso fecit sanctitas vestra,* minus accurata haberetur: non enim 160. episcopi huic Concilio adstitere. Sed hoc transeat. Sed quod vere praesum-

ptae Origenis damnationi obstat etiam in hoc peculiari conventu, petitur ab ejusdem Pontificis mandato, qui cum invenisset concitatam discordiam inter episcopos de tribus Capitulis, ipse de pace sollicitus, adunatis triginta episcopis, ait Baronius, statuit ut quae quisque sentiret, et quibus, quam proponeret sententiam defendendam, rationibus comprobaret, scriptis proderet; quavis alia a Vigilio semota quaestione.

Sed praetermissis superius allatis testimoniis de hac re, satisfiat Facundi documentum; qui ad Justinianum locutus quamvis notet Origenem novam subiisse damnationem, tamen palam asserit, ante istud aevum, sive priusquam hoc de tribus capitulis convocaretur Concilium, illum fuisse anathematizatum: quinimmo docet ob hanc Origenis damnationem excitatam fuisse in Ecclesia trium Capitulorum quaestionem. E quibus omnibus consequitur, apocrypham reputandam esse citatam pericopem; nec foetum haberi genuinum Patrum, qui huic Synodo adstitere, sed cujusdam Origenis hostis interpolationem; ideoque inter illas amandandam glossas, quae a Concilii sexti oecumenici aevo sinceris actis Synodi quintae, furtive insertas: uti apertissime adversus haereticos monothelitas contenderunt Patres. Huic quoque suffragatur recentiorum studium criticorum; qui Concilii quinti acta perscrutati, inter se ea discrepare compererunt ob illas, quas statui glossas genuinae ipsius historiae consertas ex trium Capitulorum defensorum fortasse opera, seu ob hostilitatem in Origenem atque in ejusdem patronos a Theophili alexandrini, aetate et per eum infaustissime exortam.

Cum autem in quadam sollicitudine ob has interpolationes ex defensorum trium Capitulorum studio, amplius versarer, denuo instans, tandem comperi, quod ab iis factum est in canone XI. ejusdem Synodi, item malitiose ac simul incaute admisisse in hoc loco; per hanc scilicet pericopem sermonis ordinem extra argumentum trahentes; neque attendentes ubi opportune fortasse ea fuisset inserenda. Non enim ibi, ut praesumpsit falsator, quaerebatur de post mortem damnatis, cum in praecedentibus de his actum esset; ubi Patres Augustini et aliorum testimonio inhaerentes, statuerunt, anathemate percuti posse post mortem haereticos. Ita revera pau-

lo ante de his legitur: « Sunt vero etiam Augustini s. memoriae epistolae dicentes, quod siqui in vita sua non recte sapuere, licet non condemnati fuissent adhuc viventes, ut, demonstrato peccato, isti et post mortem anathemati subjiciantur. Et si placet vobis, haec ad lectionem porrigo. »

Deinde recitatis s. Doctoris dictis, Benignus Heracleae episcopus, ipsius Augustini sensus probans, subdit: « Sed etiam Valentinum et Marcionem et Basilidem a nulla Synodo anathematizatos, tamen eo quod alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiam post mortem anathematizavit Ecclesia Dei. Hoc vero etiam in Eunomium et Apollinarem factum. Hanc autem ecclesiasticam traditionem custodiens et Rambulas s. memoriae, episcopus factus edessenae civitatis, qui in sacerdotibus explenduit, Theodorum istum mopsuestenum etiam post mortem anathematizavit propter impia ipsius conscripta...... Nec non illi, qui cum Eusebio erant Nicomediae episcopo.... quoniam ad suum vomitum arianae impietatis reversi sunt, alii quidem viventes, alii vero post mortem anathematizati sunt; et ex Ecclesia Dei expulsi sunt, sicuti est a s. Athanasii de hoc scriptis in historica narratione invenire. « Et sic pergunt Patres, recensentes tales antea in Ecclesia errantes, ac in errore defunctos anathemate ictos post obitum fuisse obtestati; in quibus tamen Origenis nomen omiserunt, quod sane non videbatur ab eis omittendum, si revera uti errantem post mortem anathematizasset Ecclesia.

Interpolator vero studiosus hujus viri famae nocendi, hac opportunitate relicta, in sequenti quaestione inscripsit, ubi Patres, argumentis adversus Theodori impietates ex Cyrillo et Proclo citatis, instant contra alios dicentes Theodorum, dum in vivis erat, laudibus cumulatum fuisse ab Ecclesiae Doctoribus. Quibus Synodus respondens, ait nihil hoc officere Theodori damnationi: « Verumtamen nihil prohibet etiam per alia exempla persuadere defendentibus Theodorum ejusque conscripta, quod nihil prodest impie agentibus, si contigerit quosdam vel ignorantia vel praesumptione, vel etiam dispensatione quadam scripsisse aliquid pro eis. Nam Apollinario Athanasius epistolas diversas eidem scripsit; nec tamen istae epistolae Apollinario profuerunt: cum ipse cognitis ipsius erroribus, adversus ipsum scripsit.

« Sed etiam Leo s. memoriae Papa antiquioris Romae et suscepit Eutychen et rescripsit comprobans eum; et tamen postea condemnavit et anathematizavit eum tanquam haereticum. *Et multos quidem* (en interpolationem) *etiam invenimus alios post mortem anathematizatos, nec non etiam Origenem. Et si ad tempora Theophili sanctae memoriae, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum. Quod nunc in ipso fecit et vestra sanctitas, et Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romae.* Praesumpserunt vero Theodori defensores etiam Joannis s. memoriae episcopi constantinopolitani litteras proferre quasi ad Theodorum factas, laudes ejusdem Theodori continentes. Quod vero ista falsa sunt testimonium praebent .... Et quod dicitur a quibusdam quod in communicatione et pace ecclesiarum defunctus est Theodorus, mendacium est, et calumnia magis adversus Ecclesiam. »

Siquis ergo attente in hac locutione, subsignata verba consideret, extra argumentum ire ea dignoscet, quippe nec praemissis consona nec subsequentibus. Ex abrupto enim scriptor ab haereticis in vita damnatis transit ad haereticos post obitum anathematizatos, de quibus antea distincto sermone Patres disputaverant: unde frustranea hic habetur repetitio, et extra sermonis ordinem huic inserta discussioni. Et ut summatim dicam: Synodus in praecedenti quaestione ab antiqua traditione, quosdam prava dogmata tenentes ostendit etiamsi haereseos nota non fuerint in vita mulctati, anathematis tamen post obitum sustinuisse probrum coram Ecclesia. In secundo vero loco alios quoque fuisse dicit, quantumvis in vita ab Ecclesiae Patribus, epistolis et necessitudine honoratos aliquando, nihilominus, detectis eorum erroribus, malitia et pertinacia, inter haereticos numeratos fuisse. Quapropter, si Concilii Patres Origenem post mortem damnatum considerassent, ac ipsius anathema instaurare voluissent, in primo loco ipsius egissent mentionem, et in exemplum dedissent cum ceteris haereticis post obitum anathematizatis. Verumtamen cum Synodus istud nullimode exegerit, ubi opportunitas postulabat, nomenque praetermiserit Origenis; ab hujusmodi Patrum silentio, hos statuendum est tanti viri do-

ctrinae et pietatis famam reveritos, hanc non admisisse insimulationem; nec hic, nec alibi voluisse in judicium trahere hominem, quem antiquitas inter viros apostolicos et Ecclesiae columnas accersiverat.

Demum propositum nostrum circa hujus pericopae intrusionem in quinta Actione Synodi, praeclarissime comprobatur a Justiniano in sua fidei Confessione, ubi verbotenus eadem citantur, et quidem graeco idiomate, genuina Patrum synodalium dicta, quibuscum de Theodoro mopsuesteno jure post mortem damnando disceptarunt. Nisi quod hic desideratur Origenis mentio, sive pericope paulo ante notata et designata tanquam spuria. Ita namque prope finem inquit Justinianus: « His igitur ad condemnationem Theodori sic a sancti Cyrilli dictis, licet aliquis concedat, secundum illorum verba, sanctum Cyrillum aliquid pro Theodoro dixisse, neque hoc liberat eum a condemnatione. Invenimus enim quod multi sanctorum Patrum quosdam haereticos collaudaverunt, sicut et s. Damasus et Athanasius et Basilius Apollinarium, et sanctae memoriae Leo Eutychen. Et tamen, cognita eorum impietate, non propter hoc haeretici evaserunt condemnationem et anathema, quod postea contra eorum personam et impietatem factum est. »

Et hic praeteriens citatam pericopem, quam non legerat nec a Patribus audiverat Justinianus, nec audire nec legere potuisset, nec ideo transcripsit quippe ab argumento et orationis ordine alienam, sequitur: « Tantus autem est furor defendentium Theodorum, quia praesumunt adversus Gregorium Theologum et Joannem constantinopolitanum mentiri, dicentes, epistolas ad eumdem Theodorum plenas laudis eos direxisse, quod falsum est. » Inspicias ergo in hoc sermone et Origenis emissionem et, quae ad ipsum spectat, damnationis: et quantum ex hac omissione (quippe contra dictati ordinem) sermo genuinus Imperatoris incedat, sinceras Patrum colligentis depositiones adversus Theodorum mopsuestenum, in praefata Collatione quinta emissas ulla absque Origenis memoria.

Quod autem ex praefatis discussionibus multimode ac jure comprobatur, nullam mentionem in ipso episcoporum

conventu oecumenico factam esse de Origenis damnatione, adstruitur quoque ab epistola Pelagii Papae II. ad Istriae episcopos, qui subscribere renuerunt damnationi trium Capitulorum, et hinc Theodori mopsuesteni (quippe antea laudatus fuerat a quibusdam ecclesiae viris) instantes, *nullatenus mortuum ab hominibus damnari oportere*. Cui sententiae respondens Pelagius ait, jam antea Theodorum fuisse damnatum; proindeque frustra ipsos Synodo V. oecumenicae resistere, quod anathema in ipsum instaurarit. Et allatis causis praecipuis sive blasphemiis, unde jure ostendit, fuisse Theodorum ab Ecclesia expulsum, sicuti tria Capitula simul cum ipso damnata; pergit Pelagius instans circa juridicum Theodori anathema post mortem, ideoque appellans ad Ecclesiae traditionem; ubi convincitur et alios haereticos fuisse post obitum anathemate ictos: « Quid itaque ait n. 21. obstat, si dum de ejus errore occultum adhuc et dubium fuit, ab uno Patre laudatus est: et innotescente post perfidia, pene omnium magnorum Patrum sententiis, velut immanis bestia, quasi crebrescentibus jaculis confossus est? An non et malos a bonis aliquando laudatos novimus, nec tamen eisdem laudibus defensos? Quid namque in haeresiarchis Origene deterius? Et quid in historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nesciat in libris suis quantis Origenem Eusebius praeconiis attollat? »

Attamen quosdam sentio ex adversu stantes tenere, magis ab hujusmodi Pelagii dictis confirmari quam excludi, anathema in Origenem latum a Synodo V. Hoc autem non videtur inferendum. Saepius enim et in hac epistola et in duabus praecedentibus de hac Synodo tractans, nullibi indicat causam et damnationem Origenis consertam fuisse quaestioni et anathemati trium Capitulorum. Quod vero in fine epistolae addit, ad exempla recurrens veterum, ut ostendat, quandoque haereticos, in quibus Origenem, in vita laudatos fuisse, nec ob hoc probari defensos, nequaquam hoc constituit argumentum a Synodo V. damnatum esse Origenem: sed potius hunc excludit sicuti ceteros, quos in exemplum adducit adversus Istriae episcopos, ut statuat, haereticos quandoque fuisse a Patribus celebratos, etsi ob haec encomia non fuerint

ab haeresi absoluti. Aliter dicendum esset non solum Origenem sed et alios, quos ait ab antiquis temporibus, etsi haereticos, laudatos, in hoc fuisse Concilio anathematizatos. Ceterum, unusquisque percipit, si Pelagius ita locutus de Origenis damnatione sese contulisset ad decretum Synodi V. extra argumentationis ordinem abiisset, et idem probasset per idem. Quasi dixisset: Theodorus mopsuestenus, quamvis a nonnullis laudibus cumulatus, nihilominus postea ut haereticus condemnatus est in Synodo V. quia Origenes, etsi ab aliquibus celebratus, damnatus item fuit in eadem Synodo V. quod est absurdum.

Quae porro dicit Pelagius de Origeno damnato, quin ibidem nec tempus, nec personas, quibus instantibus, hoc decretum fuisset, nec Synodos nec regionem indicet ubi episcopi adunati sunt, referenda videntur ad Hieronymi aetatem; qua Origenis quaestio ob Theophili zelum praeter scientiam et animi sui improbitatem commota est in Aegypto, et ibi damnatus ut haereticus. Cujus Theophili epistolae hanc praeferentes damnationem per s. Hieronymum latine versae et vulgatae, usque ad Occidentem pervenerunt, veluti in praecedentibus dictum est.

Verumtamen in horum confirmationem, quae de Pelagii II. dictis exposui circa Origenem, summorum Pontificum praestant testimonia, quibus patet in Synodo V. nihil actum esse de eodem, nec de suis praesumptis erroribus: maxime coruscant obtestationes Pelagii Papae I. ac beati Gregorii Magni. Pelagius itaque in epistola X. ad Childebertum regem sub an. 556. disserens de trium Capitulorum damnatione ait: « Ruffinus vir magnificus legatus excellentiae vestrae nobis dixit, quod et in provinciis Galliarum quidam semina scandalorum sparserunt, dicendo, quid contra fidem catholicam, quod Dominus non patiatur, admissum. Et quamvis a transitu divae memoriae Theodorae augustae nullam de fide quaestionem Ecclesia Dei in partibus Orientis, Deo miserante, formidet; sed quaedam Capitula extra fidem fuerunt agitata, de quibus longum est, ut epistolari possint complecti sermone: hoc breviter secundum admonitionem praefati magnifici viri ad sanandum animum vestrum, et omnium fratrum et coe-

piscoporum nostrorum in Galliae regionibus consistentium, faciendum esse prospeximus etc. » Quod item iteravit Gregorius Magnus in epistola 51. Libri II.

Ideoque si ambo Pontifices et praesertim Pelagius ingenue asseverent, post acephalorum damnationem, qui Eutychis haeresim instaurarunt, idest post annum 536. in Orientis regionibus nullam de fide formidandam quaestionem fuisse, exceptis nonnullis Capitulis extra fidem agitatis: ubinam sunt Origenis in Syria errores renovati? et a Syria Constantinopolim usque per promotores eorum ac vindices, uti opinantur adversarii, traducti coram Synodo oecumenica pro illorum anathemate? Et cur, mediante Synodo ac postea, de his haereticis, et istorum impiis et paganis dogmatibus siluere, et horum mentionem praetermiserunt laudati Pontifices, et potissimum Pelagius, quem trium Capitulorum defensores adversus hujusmodi impietates, (cum esset apocrisiarius apud Justinianum) zelatorem proclamarunt? Si Justinianus, si episcoporum conventus sub Menna, si Vigilius Papa, ut ajunt Facundus et Liberatus et deinde Evagrius, ita elaborarunt, ut damnarentur Origenis errores, quare horum memoriam transegit Pelagius?

Fortasse Origenis suppositi errores hujusmodi erant, ut fidei christianae haud obesse putarentur: et horum quaestio extra fidei discrimen libere agitari posset? aut sine fidei praejudicio, cuique licere contraire Christi divinitati, aeternitati poenarum mentiri, libero arbitrio, resurrectioni etc? Attamen Evagrius dicit plures in Palaestina *in Orientis partibus* Origenis tueri dogmata, eosque a monasteriis ejectos tanquam communem omnium perniciem, et, quamvis in varia loca dispersi fuerint, multos pellexisse in suam opinionem. Fortasse Pelagius Papa oblitus est, cum esset apocrisiarius apud Justinianum sub Vigilio, uti narrat Liberatus, oblitus est, se aliquando una cum Menna curasse, ut anathematizarentur Origenis dogmata, arianorum, manichaeorum et paganorum praeseferentia errores: quorum errorum sectatores comperisse Pelagium testatur Liberatus? Ideoque quando Pelagius ait, ab anno 536. circiter ad an. 556. nemini in Orientis partibus formidandum fuisse de fidei quaestionibus, aut ipse,

quae audivit, quae egit, et quibus consensit, oblitus est, siluit aut negavit, quod non est praesumendum. Aut aliter quae de origenianae doctrinae anathemate, instantibus Justiniano et Palaestinae monachis cum Pelagio, et comprobantibus Vigilio Papa ceterisque Ecclesiae antistibus, ceu narrant Liberatus, Evagrius aliique, inter commentitias narrationes committenda sunt.

Et istud sane rationi consonat, quod indubie statuit Pelagius I. inquiens a Theodorae augustae obitu ab anno 548, nullam deinde in Ecclesia orientali convulsam esse de fide quaestionem; cum acta hujus quintae Synodi sincera, per explicitas summorum praefatorum Pontificum declarationes prodant, exceptis tribus Capitulis, aliam quamvis disputationem amotam fuisse ab eadem. Sive ut luculentius dicam, in ea de personis proprie in Concilio chalcedonensi memoratis disputatum fuit. Eoque magis hoc asseverabant Pontifices, conscii amplissime, quod post Zoarae et sociorum damnationem, jam ab anno 536. sub Agapeto Papa, ac deinde a Vigilio firmatam, neminem de Orientis regionibus insurrexisse, quidquam innovaturum adversum catholicam fidem. Sed de his praeclarius alibi disseretur.



CAPUT XI.

Argumenta adversariorum diluuntur ex actis Synodorum sextae, septimae et octavae repetita, quibus contestantur, in Concilio quinto una cum tribus Capitulis anathematizatos esse Origenem, Evagrium et Didymum.

Adversus praefata argumenta, quibus constat, Synodum V. nullam emisisse definitionem adversus Origenem, Evagrium et Didymum, nec ullam Vigilium eorumdem decrevisse damnationem; plures instare sentio, objicientes sextae, septimae, octavae Synodorum generalium et Pontificum Romanorum decreta; ubi perspicue impia illorum dogmata eorumque personas anathema subiisse inquiunt.

His respondens, haud primum inficior, saepius praefatas Synodos in praefatos viros eorumque praesumptos errores innovasse anathema, definitionem repetentes Concilii quinti contra hos latam. Nihilominus tantumdem manifeste patet, nec ullus contraire poterit, tum Concilia, tum Pontifices Romanos non ex se, sed ex mente, sensu, ac decreto Patrum Synodi V. et Vigilii Papae in Origenem et socios firmasse anathema, quod uti historicum monumentum revocantes sine discussione susceperunt, arbitrati revera Synodum V. in solemni acclamatione adversus tria Capitula similiter acclamasse contra Origenem, Evagrium et Didymum, quod falsum est. Haud enim mirum est, nec novum in Historiae ecclesiasticae monumentis, sive in Patrum scriptis, aut in epistolis synodalibus, vel etiam pontificiis, aliquando nonnulla occurrere facta, ac praesertim quoad tempus et personas, quibus referuntur aut inscribuntur, quae postmodum constitit, haud cohaerere genuinae illorum factorum historiae. Et hoc accidit in historia Concilii oecumenici V. cujus acta in sequentibus Synodis minus exacte repetita sunt, unde subiit illusio circa Origenis damnationem in dicta Synodo.

Ac interim in percurrendis illarum Synodorum gestis, variisque discussionibus singillatim propositis, nobis offeruntur prius acta Synodi lateranensis, quae sextae oecumenicae prae-

buit aditum. In hac enim, cujusque Patrum intentis allocutionibus, minus accurate comperitur proposita fuisse, aut confuse et varimode Synodi V. decreta, ita ut ab hac varietate aperte inferatur hujus Concilii actuum interpolatio, et Origenis damnatio intrusa. Cui inquisitioni praecedat Patrum lateranensium confessio emissa in Secretario quinto his verbis: « Quae sanctae et universales quinque Synodi tradiderunt, intransgressibiliter retinemus, definitiones earum servamus, decreta earum integra confitemur. Ita definimus quomodo illi per proprios sermones promulgarunt. »

Postea ibidem dicitur Martinus Papa legi mandasse codicem Synodi V. allatum de archiviis Apostolicae Sedis: ubi haec continebantur: « His ita se habentibus, manifestum facimus quoniam omnia, quae a praedictis sanctis quatuor Synodis de orthodoxa fide promulgata sunt. . . . . et propterea omnia quae consonant his, quae ab antefatis quatuor Synodis pro recta fide definita sunt, suscipimus etc. Martinus Papa respondit. Manifestum est nobis ex his quae relecta sunt sive definita a Concilio V. condemnatum esse unumquemque et alienum sanctae Dei Ecclesiae, qui non susceperit verbo et mente omnes sanctas Synodos et venerabiles Patres et cuncta, quae ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium haeresum. »

Cum itaque Martinus inquit, Synodum V. quatuor Synodorum tantummodo firmasse definitionem adversus haereticos; cumque clarissime constet, praedicta quatuor Concilia, haud Origenem, condemnasse, ideo neque in Synodo V. sicuti in praemissis, dici potest fuisse damnatum.

Si vero quis instet, fidei Confessionem appellans a quinque Synodis exactam et a patribus lateranensibus recitatam, ubi in Canone XI. Concilio V. Origenis nomen damnatum proditur cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinari, Nestorio et Eutyche; jam illuc intrusum superius manifestissime declaravimus: aliter diceretur ipse anathematizatus in Synodo chalcedonensi aut in praecedentibus, quod falsissimum est. Cumque vero hujus canonis falsationem adstruimus, tantumdem nobis proficit, et stat sincera Patrum lateranensium professio de quinta Synodo emissa, asserentium: *facta vero*

a nobis et condemnatione in haereticos vel impietates eorum, sed et contra eos, qui defendere praesumpserunt aut defendunt praedicta tria Capitula, aut permanent in proprio errore etc. ubi nihil de Origene per hanc Synodum damnato reperitur.

Praeterea in eodem Secretario legitur Synodus dixisse, ac Martinus Papa mandasse: « Ideoque oportet iterum detegere opprobria praesumptorum ante faciem illorum, ut omnibus aperiamus, quorum haereticorum immunditiem in semetipsis per suam novitatem sanctis Patribus et omnibus quinque Conciliis in deceptionem simpliciorum se concordare mentiti sunt. Deducantur ergo in medium nobis codices infidelium haereticorum, idest eorum testimonia, per eos quorum interest ad convincendam haereseos illorum insaniam. » Nomina vero istorum, quorum dogmati monothelitae reperti sunt inhaerere, erant, Lucius arianus, Apollinaris, Polemon, Severus, Themistius, Colluthus, Nestorius, Theodorus mopsuestenus, Theodosius, Diodorus, Theodulus, Paulus persa, Julianus. Super hos haereticos, excluso Origene, eorumque dictata, ait Martinus, Cyrus, Sergius, Pyrrus, et Paulus suos firmarunt errores.

Quibus notatis subdit Papa: « Ex his, qui dudum nobis perlecti sunt, haereticorum sermonibus, quos Cyrus et Sergius Pyrrus et Paulus consonanter amplexi sunt, et confirmarunt, apertius illa dogmatizantes, quae in eorum conscriptis legimus, reprehenduntur, licet, ut dictum est, in deceptione simpliciorum, haec dixerunt esse pietatis dogmata etc. » Consequenter itaque Martinus Papa in Epistola encyclica ad omnes Christi fideles adversus monothelitas, statuit: « Propterea et nos, ut dictum est, secundum indivisam communionem spiritus in idipsum convenientes, properavimus per gestorum seriem comparationem ad invicem, per distinctionem discretam efficere tam sanctorum Patrum, et universalium quinque Synodorum sacras promulgationes et dogmata infidelium haereticorum tam anteriorum, quam nunc emergentium contra fidem cum impia eorum Ecthesi, nec non impiissimo Typo. »

Si autem in canone XVIII. hujus Synodi praeter haereticorum nomina una et eadem cum monothelitis sentientium, subjiciantur quoque Origenes, Evagrius et Didymus; scien-

dum tamen est, istorum haeretica testimonia pro monotheli- tis, prout de ceteris actum est, nec fuisse coram Synodo lateranensi prolata, nec confutata: nec ullimode proferri potuisse, quum neque Origenes, nec multo minus Evagrius et Didymus quidquam putarint aut docuerint monothelitarum doctrinae consonans; nec ideo Patres in Secretario quinto hos nuncuparint praecursores aut monothelitarum eorumdem socios; eo magis quod praefati viri nec in quatuor Synodis fuerint damnati, nec in quinta, quae solummodo, ut testatur s. Gregorius Magnus, praecedentium definita explicavit sancivitque, nec consequenter Papa Martinus in Encyclica ut damnatos recensuit.

Si autem quis nos ad Concilia oecumenica ordine sextum, septimum, et octavum revocarit; antea non diffitemur ibidem firmari Origenis et sociorum damnationem ex Synodo quinta repetitam; sicuti quoque nemo, seorsim consideratis cujusque Patris discussionibus, non viderit eos valde inter se differre in citandis ipsius Synodi constitutis; ita ut alias ibi noletur Origenis anathema, atque alias silentio praetereatur. Et re quidem vera, in Actione IV. Synodi constantinopolitanae oecumenicae VI. legitur epistola Agathonis Papae, velut instructio legatorum ad hanc Synodum. Ubi Pontifex a Constantino usque ad sua tempora Synodorum convocationem memorans, de Justiniano, quo instante, Synodus V. adunata est, inquit: « Et sicut extremi quidem, praestantissimi tamen omnium magni illius Justiniani coruscat virtus ita et pietas, omnia in meliorem ordinem instauravit. » Cum itaque ait Agatho, Justinianum in Synodo V. instaurasse ac ordinasse decreta in praecedentibus Conciliis admissa, necessario sequitur, ab hac excludi damnationem Origenis, Evagrii et Didymi, sicuti ab anteactis Synodis fuerant exclusi quin ullum subirent anathema.

Contra haec autem in Actione VIII. Macarius haeresiarcha fidei confessionem emittens ait: « Et nos anathematizamus Arium, Eunomium, Nestorium.... Origenem quoque, Didymum et Evagrium, et fabulosa eorum deliramenta. Ad haec anathematizamus et quos sancta quinta Synodus abjecit, Theodorum impium mopsuestenum, maledictum illius Maximi hae-

reseos et schismatis doctorem, et impia Theodoreti Scripta adversus orthodoxam fidem et duodecim capitula beati Cyrilli, et Epistolam, quae dicitur ab Iba scripta fuisse ad Marim Persam. » Hinc pariter ob anachronismum falsitatem inspicito. Ex hoc enim Macarii testimonio non in Synodo V. videretur damnatus Origenismus, sed ante istud aevum; et ab hoc quinto Concilio exclusa nec innovata ejusdem condemnatio.

Adversus haec omnia penitus incedit Sophronius in Actione XI. de hac V. Synodo locutus : « Perimit autem et in interitum projicit principaliter quidem Origenem insanum, et omnes ejus pomposas somnolentias, et plena omnis impietatis commenta : Evagrii quoque cum eo et Didymi dogmata omnia eorum pagana atque prodigiosa nec non fabulosa deliramenta. Post quos et mopsuestenum evellit Theodorum magistrum Deo rebellis Nestorii, et ut immundum zizanium cum suis blasphemis opusculis ab Apostolica Ecclesia projicit: Scripta quoque Theodoreti adversus Cyrillum, et Ibae quae dicitur, Epistolam. » In hoc Sophronii sermone cum zelum rectumque ipsius sensum amplectimur, ipsius tamen illusionem abjicimus, ex libellis haurientis Evagrii et Didymi *prodigiosa et fabulosa deliramenta*. Qui quidem sanctissimi viri nec paganis nec fabulosis vacantes doctrinis, nullimode delirarunt; sed potius delirarunt veteres calumniatores, eisdem talia inscribentes absurda.

In Actione XVIII. dicitur sancta Synodus sanctiones renovare in praecedentibus Conciliis editas : « Praeter has, inquit, et ultimae quintae Synodo consonuit, quae hic congregata est adversus Theodorum mopsuestenum, Origenem, Evagrium et Didymum, et Scripta Theodoreti adversus duodecim capitula Cyrilli, et Epistolam, quae dicitur Ibae, ad Marim Persam scriptam etc. » Verumtamen paulo post in Sermone acclamatorio Synodi ad Constantinum imperatorem, ubi decreta revocantur praecedentium Conciliorum legitur : « Sicut et Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit, et quintum Concilium constitutum est, ut φωραθέντα καὶ λαθόντα τινῶν συντάγματα *quorumdam opuscula furtive deprehensa et latentia* abominatione repleta anathematizarentur. » In hac elocutione probe comprehenditur, sub vocabulis *quorumdam*

opuscula abominatione repleta ex praemissa Actione XI. et a sequentibus, notari solummodo Scripta Theodori mopsuesteni, Theodoreti et Ibae praesumptam Epistolam; et hinc Origenis Evagrii et Didymi personas fuisse ab hac damnatione immunes.

Praeterea de eadem Synodo V. Constantinus imperator in edicto haec ait: « Suscepimus quoque et quae temporibus Justiniani divae memoriae in praedicta Deo conservanda nostra civitate felicissima, congregata est Synodus contra Dei impugnatores Origenem, Evagrium et Didymum, ad refutationem opusculorum Theodoreti adversus duodecim capitula famosissima Cyrilli cum abolitione Epistolae quae dicitur Ibae ad Marim Persam. » In hac tamen locutione cum tam in textu graeco tam in veteri latina translatione Theodori mopsuesteni desideretur nomen, videretur ipse non fuisse ibidem anathematizatus.

Similiter Leo Papa II. in litteris ad Constantinum, ubi suae emittit fidei confessionem: « Propterea, inter alia dicit, sicut suscipimus, atque firmiter praedicamus sancta quinque universalia Concilia, nicaenum, constantinopolitanum, ephesinum primum, chalcedonense, et iterum constantinopolitanum; quae et omnis Christi Ecclesia approbat et sequitur. » Deinde enumerat haereticos Arium, Sabellium, ceterosque in quibus Origenem, Didymum, Evagrium, subdens se: « anathematizare Scripta Theodoreti adversus duodecim s. Cyrilli capitula cum Epistola, quae dicitur Ibae, sicuti sancta Catholica atque Apostolica Ecclesia de catalogo fidelium Patrum utpote zizania de area dominicae Ecclesiae gehennae supplicio abdicanda, per ventilabrum divinae discretionis abjecit. In hoc quoque censu non legitur anathematizatus Theodorus mopsuestenus cum scriptis suis; nec liquido apparet, num in quinta Synodo, an antea damnati fuerint Origenes, Evagrius et Didymus. Ceterum de hac Leonis II. epistola pro confirmatione hujus Synodi, quaerentes Bellarminus et Baronius, unus corruptam, alter commentitiam putant.

Verum quod attinet ad rerum in Concilio quinto tractatum, utrum scilicet nec ne Origenes, Evagrius et Didymus subierint cum tribus Capitulis damnationem, facit disquisitio

inter Patres hujus sextae Synodi agitata in Actione XIV. circa interpolationem actuum Concilii V. Sic namque de his contendebant.

« Per has sanctas potestates et Deum, qui per eas locutus est, hi duo libri sanctae quintae Synodi, sicut etiam jam sunt producti et prolati fuerant, ita etiam nunc sunt, sicut etiam eos inveni et accepi in Bibliotheca venerandi Patriarchii: et neque fuit a me aliquid adjectum nec ablatum, nec, quod sciam, ab ullo penitus; sed et qui a me fuit inventus in praesentia in eadem Bibliotheca venerandi Patriarchii liber chartaceus ejusdem sanctae quintae Synodi, ita est sicut illic inventus fuit et situs. Surgentesque sanctae Synodi religiosissimi episcopi, cum in manus sumpsissent duos dictos libros, et volumen chartaceum, et notata in eis loca diligenter considerassent; et cum chartaceo libro ea contulissent, qui in praesentia prolatus fuerat a Georgio religiosissimo diacono et bibliothecario, et etiam cum aliis antiquis libris chartaceis ejusdem sanctae quintae Synodi, dixerunt.

« Cum duos libros prolatos a Georgio religiosissimo diacono et Bibliothecario sanctae Dei magnae Ecclesiae hujus civitatis; et volumen chartaceum septimae Actionis sanctae quintae Synodi diligenter consideraverimus, sicut petierunt legati sanctissimi Papae Sedis Apostolicae veteris Romae Agathonis, his collatis cum nuper prolato chartaceo synodali libro, et aliis antiquis chartaceis libris, et invenerimus eosdem duos libros, et chartaceum volumen septimae Actionis inter se quidem consentientes; sed eis esse additam, quae Mennae dicitur ad Vigilium orationem, et libellos a Vigilio, sicut duo dicuntur facti ad Justinianum divinae memoriae imperatorem, et ejus consortem Theodoram. In quibus libellis visum est eis anathematizare et Theodorum episcopum mopsuestenum, et Ibae quae dicitur, Epistolam et Scripta Theodoreti adversus duodecim capita sancti Cyrilli alexandrini episcopi δογματικως τε δοκεῖ ὁρίζειν ἐν ἀυτοῖς ἐπὶ λέξεος ὄυτως i. e. dogmatice autem videtur definire in his super lectionem hoc modo: *anathematizamus autem et Theodorum quondam episcopum mopsuestenum, utpote qui alienus semper ab ecclesiis fuit, et sanctissimis Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum*

Deum Verbum, hoc est Christum esse unam subsistentiam, et unam personam et unam operationem. Haec cognovimus quemadmodum et affirmant, qui ab Apostolica Sede antiquae Romae sunt, neque facta, neque scripta fuisse in tempore sancti quinti Concilii; in quibus habetur oratio, quae dicitur Mennae. »

His acceptis perquam sinceris de Actis quintae Synodi obtestationibus, haud tantum constant, quas tunc jure monothelitis objecerunt synodales Patres, falsationes Concilio V. inlatae fraudulenter: verum etiam quod valde nostra interest, ex praefatis colligitur declarationibus, tam de Origenismo tam de anathemate origenistis inflicto, nil disputatum fuisse in eadem Synodo quinta. Cum enim ex codicibus venerandi Patriarchii prolata fuerint acta septimae Sessionis ejusdem Synodi, atque aliis corruptis collata, repertae ibi fuerint additiones (quibus haeresis firmabatur monothelitarum) in vetustis vero et genuinis codicibus desideratae, adeo Synodi V. scopus luculenter patet, ut excludatur inde quaevis de Origene quaestio, et dumtaxat probetur tria Capitula ibi fuisse damnata.

Et sane cum ibidem legitur: *ex quibus libellis visum est eis anathematizare et Theodorum episcopum mopsuestenum, et Ibae, quae dicitur, Epistolam, et Scripta Theodoreti adversus duodecim capita sancti Cyrilli alexandrini episcopi*, haec verba uti consequentia reputantur, ac quaestionis postrema conclusio, per quam adunati sunt Patres, indictumque Concilium; quin de reliquis animadverterent praesumptis Origenis erroribus, quorum mentio omittitur in testimonio ejusdem Concilii a praedictis vetustis codicibus repetito.

Quod autem dictum est de varietate, quae Actis Synodi sextae contigit in citanda Concilii quinti definitione, hoc item et amplius revelatur in Synodo septima. In hac enim Synodo Patrum nonnulli Concilii V. repetentes statuta, solummodo, hoc versatum esse putarunt in damnandis Origenis, Evagrii, ac Didymi portentosis fabulationibus, quavis exclusa de tribus Capitulis quaestione ac damnatione. Inquit Tharasius in Actione III. praemissis quatuor Conciliis: « Denique in quinta Synodo, quae sicut machaera spiritus in superficie quo-

dammodo ex prioribus temporibus navigantes iniquas rescidit haereses, et inventores patefecit earum, Origenem videlicet, et Didymum et Evagrium; ita et has ego utpote portentosas haereticorum fabulationes repello. »

Paulo post in Exemplari synodicorum Theodori patriarchae Hierosolymorum legitur: « Deinceps autem et quinta convenit Synodus in dominante civitatibus 164. sanctorum Patrum numerum salvans: quae ab ipso sancto spiritu acta ante se celebratas roboravit; et earum recta dogmata sequens anathematizavit Nestorium, Eutychem, Theodorum mopsuestenum cum blasphemis suis; adhuc etiam et Origenem, et Evagrium et Didymum, quaeque et omnia fabulosa et pagana atque prodigiosa ipsorum eloquia; nec non et Epistolam, quae dicitur Ibae ad Marim Persam, et Conscripta Theodoreti, quae contra duodecim capitula sanctae memoriae Cyrilli exaravit. » Ex his similiter videretur arguendum. Si ut ait Theodorus, Concilium V. quatuor praecedentia roboravit; et ipsorum dogmata sequens, damnavit quos ea Concilia damnarunt haereticos, cum apertissime pateat in quatuor oecumenicis haud fuisse Origenem cum sociis anathematizatum; frustra in quinto deducit Theodorus, eosdem subiisse damnationem.

Item et in Actione VI. Gregorii episcopi Neocaesareae expositum est scriptum a Synodo falso *septima* regestum: ubi leguntur in Concilio V. damnati Origenes, Evagrius, Didymus, Theodorus, Diodorus, Severus, Petrus, Zoara, Epistola ad Marim Persam. Verumtamen hoc testimonium minus accurate obsignatur. Quando enim ibi dicuntur anathematizati Origenes, Evagrius et Didymus, quod jure refellitur; omittitur damnatio Theodoreti Conscriptorum, et Theodori mopsuesteni librorum, quod praecipue intenderat Synodus quinta. Ac praeterea alii notantur ibi anathematizati haeretici Severus, Petrus, Zoara, cum prius circa annum 536. in Concilio sub Menna damnati fuerint, de quibus nulla mentio in Synodo V.

In Actione VII. fidei confessio reperitur a Patribus universim emissa adversus haereticos: « Cum quibus, ajunt, anathematizamus etiam Origenis et Evagrii ac Didymi fabulas;

sicuti Constantinopoli congregatum quintum Concilium egisse dignoscitur. » Ubi de tribus Capitulis ne verbum quidem. Et istud idem alibi hujus Concilii instauratur, praetermissis quae vere et sincere disputata sunt in Synodo V. de tribus Capitulis, testibus certae fidei Pontificum Romanorum decretis. Quamobrem qui ad hoc septimum convenerunt Concilium Patres, ob historiae inscitiam in Concilii V. actis pervestigandis, passi sunt illusionem. Et in hac eadem illusione deinde versatos comperimus Patres Synodi oecumenicae octavae, qui in termino istius, decreta Conciliorum praecedentium revocantes adversus haereticos, dixere: « Quin et duas naturas in uno Christo secundum manifestiorem expositionem sanctae quintae et universalis Synodi praedicantes, anathematizamus Severum et Petrum, et Zoaram syrum, Origenem etiam, qui vana sapuit, et Theodorum Mopsuestiae, Didymum quoque pariter et Evagrium: qui etiam secundum easdem et diversas opiniones eodem perditionis irretiti sunt barathro. » Ubi pariter confusio irrepsit Synodi constantinopolitanae sub Agapeto Papa cum altera oecumenica V. sub Vigilio: ac amplius praetermissa sunt in hoc Concilio perspicue damnata Scripta Theodoreti et Ibae inscripta Epistola ad Marim Persam.

Post haec, simul junctis harum Synodorum decretis, aut ex unius episcopi, aut omnium ore collective expressis, in quibus discrepantia ubicumque objicitur de Concilii V. actis, comprehenditur quanta auctoritate ditanda ea sint relate ad damnationem Origenis in Synodis successivis repetitam sexta, septima et octava: eo magis patente harum Synodorum inconstantia in Concilii V. citandis decretis. Alii enim tria tantummodo, et quidem jure, Capitula damnata ibidem dicunt. Alii tria Capitula ac insuper Origenem, Evagrium et Didymum cum suis fabulosis commentis asserunt proscriptos fuisse. Alii cum tribus Capitulis, Severum, Zoaram, Petrum acephalos tenent anathematizatos. Quidam amota omnino a conventu episcoporum quaestione de tribus Capitulis, tantum arbitrati sunt fuisse ibi Origenis, Evagrii et Didymi scripta reprobata cum personis eorum. Illic Theodorum mopsuestenum cum suis libris exclusum esse a Synodali decreto: hic apparet

Theodoreti Scripta contra duodecim Cyrilli capitula ab hoc damnationis decreto amota fuisse. Et alibi non solum in Synodo V. sed in praecedentibus oecumenicis quatuor viderentur origenistae anathematizati.

E qua sensuum discrepantia amplius sequitur meum comprobari propositum: ut inde merito concludas, Concilia oecumenica, aut Pontificum Romanorum epistolas post Synodum V. cum hanc citarunt recensentes Origenis damnationem et aliorum, ejusdem Concilii sensum et dicta mere renovasse tantummodo juxta acta et probata ab ipso Concilio, prout illis suffragabatur historia; nec tamen ullam emisisse novam definitionem aut judicium super ea, quae praedicata fuerant ab ipsa Synodo. Quapropter argumento nostro, quocum adstruimus Origenem, Evagrium, et Didymum nullam subiisse damnationem a Patribus Concilii quinti, nihil faciunt eorum, quae subsecuta sunt Conciliorum aut Pontificum decreta, ipsius Synodi repetita auctoritate: cúm hujus Synodi Patres ab exordio quaestionis trium Capitulorum usque ad novissimum Vigilii Papae Constitutum, ab alia quavis disputatione se abstinuerint: nec ullum praeter istud, de tribus Capitulis interposuerint decretum.

Quod si demum quis nihilominus instans, omnia admittens, quae seorsim a praecipuis quaestionibus per Patres in tribus Synodis oecumenicis sexta, septima et octava discussis ac definitis, adversus scilicet monothelitas, adversus eos, qui sacrarum imaginum aspernabantur cultum, et adversus Photium, impiaque ipsius scripta, cetera, dico, quoque obiter ab eis citata et ab historia repetita, pari crediderit eadem auctoritate dicta et sic acceptanda esse: tunc concludendum foret, in Synodo V. oecumenica nequaquam actum esse de tribus Capitulis, nec ipsa fuisse anathemati subjecta; ac cunctam de his Capitulis disceptationem ardenti animo agitatam, testibus Justiniano, Vigilio, Pelagio I. Pelagio II. Gregorio I. Romanis Pontificibus, qui sollicitudine maxima hoc susceperunt negotium, ac simul cunctis illi aetati propinquis scriptoribus tam orthodoxis quam heterodoxis: totam, inquam, hanc quaestionem ab hac Synodo fuisse exclusam, nec ullum judicium a Patribus pronunciatum adversus illorum Capitu-

lorum defensores. Ab Actione enim III. et VII. potissimum ejusdem Synodi septimae eruitur, Origenem, Evagrium ac Didymum fuisse cum suis deliramentis tantummodo damnatos, altero omisso trium Capitulorum anathemate. Et quis ex praemissis discussionibus circa acta genuina Synodi V. hoc asseverare poterit?

Ideoque concludendum est, quae oppositores jactarunt adversus Origenem uti in Synodo V. damnatum, eo quod in tribus praefatis successivis Synodis ejusdem renovatum sit anathema, nullam praeseferre auctoritatem.

Fortasse demum quisquam me rogaverit, unde hujus confusionis origo in actis Concilii V. et quare posteri illusi, Patribus hujus Synodi inscripserunt Origenis, Evagrii et Didymi damnationem et alia decreta extra illorum scopum. Hoc autem repetendum est a trium Capitulorum defensoribus, qui, ut infra patefiet, in odium orthodoxorum antistitum, qui ea Capitula condemnarunt, ac praesertim illorum a consiliis adstantium Justiniano, in quibus Theodorus eminebat Caesareae Cappadociae episcopus.

Adversus hunc odii sui sagittas jaculati sunt: nihilque intentatum reliquerunt sive voce sive scriptis, ut coram Ecclesia ejus fama prosterneretur, inter acephalos primum, deinde inter origenistas praesumptos haereticos recensentes orthodoxum virum: ideo commentati in eadem Synodo V. illum anathema subiisse cum praefatis acephalis et origenistis. Ex quo factum est, ut in praemissis actis Synodorum generalium VI. VII. et VIII. citarentur aliquando tanquam damnati in Concilio V. acephali et origenistae, omnimode excluso trium Capitulorum eaque defendentium anathemate. Cum alii haud ignorantes in hac Synodo anathematizata ea Capitula fuisse cum suis defensoribus, tum primos tum secundos retulerunt ab eadem proscriptos; ceteri vero genuina hujus Synodi gesta prae oculis habentes, tria Capitula indicarunt tantummodo fuisse a Patribus condemnata.

Reapse diligenter hodie collatis sinceris Pontificum epistolis, aliisve illius aevi testimoniis relate ad historiam Concilii V. praeclarissime patet, quaestionem acephalorum, trium Capitulorum et origenistarum, sive Origenis, Evagrii et Di-

dymi variam et dissitam praeseferre aetatem: nec ulla ratione esse confundenda cujusque Concilii acta. Et quidem indubie constat ab anno 536. in Concilio constantinopolitano damnatos fuisse acephalos, quorum anathema subsignaverat Agapetus Papa: et ubi nihil actum est de tribus Capitulis nec de Origene. Deinde circa annum 538. in monasteriis Palaestinae innovata est quaestio de Origene, quibusdam pro eo stantibus, aliis contradicentibus, ut infra dicemus: quaeque videtur usque ad aures Justiniani delata. Haec tamen quaestio, testibus Liberato et Facundo, nec cum haeresi acephalorum confusa est, nec cum tribus Capitulis.

Paulo post, exorta trium Capitulorum causa, seorsim ab alia acephalorum et origenistarum, pertractata et expedita fuit in Synodo oecumenica V. circa annum 554. uti manifestissimis argumentis superius declaratum est. Similiter, veluti ex testimonio Eustathii in vita Eutychii patriarchae, et ex Chronico Victoris tunnunensis, duodecim circiter annos post Synodum V. inter monachos palaestinenses commota est quaestio de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem: cui quaestioni associata est altera de Origene, Evagrio et Didymo, de qua infra disputabitur: « Anno 39. imperii sui, Justinianus Eutychium constantinopolitanum episcopum damnatorem trium Capitulorum et Evagrii eremitae diaconi, et Diydmi monachi et confessoris alexandrini, quorum laudes supra illustrium virorum ex auctoritate protulimus, exilio dirigit; et pro eo Joannem ejusdem erroris consimilem episcopum facit. » Quod idem testatur praedictus Eustathius c. IV. n. 33. tunc vivens, et eorum testis, quae ob hanc quaestionem evenerunt in Urbe regia.

His itaque clare expensis de temporis varietate, quo istae motae sunt quaestiones, et de personis, quae has excitarunt, distinctis adeo, ut nullimode confundendae ab invicem sint, ad illos referenda est confusio, qui ab Ecclesia anathematizati, in odium et ultionem orthodoxorum insurrexerunt acta Synodi V. quoquo modo depravantes. Alii enim introduxerunt, dixi, in Synodo damnatos Origenem, Evagrium et Didymum, omissis, qui reapse anathema subiere, trium Capitulorum defensoribus. Alii cunctos simul in eadem Synodo

damnatos commentati sunt; alii vero acephalos, origenistas, et trium Capitulorum propugnatores simul tradiderunt fuisse in eo Concilio damnatos. Primum hujus confusionis exemplum obsignatur ab Evagrio Scholastico in Libro IV. Histor. Eccles. c. XXXVIII. qui trium Capitulorum damnationi in Synodo subscriptae, alteram connexuit adversus Origenem, Evagrium et Didymum, de quibus ne verbum quidem in sinceris hujus Concilii actis. Hoc idem de damnatis in hac Synodo praefatis viris narrat Cyrillus Monachus in vita s. Sabbae. Item in Ecthesi Heraclii circa annum 639. citatis quinque Synodis generalibus, nomina inscribuntur haereticorum, quos Patres damnarunt; et in his recensentur cum aliis Origenes, Evagrius et Didymus. Et ita propagata est inter Ecclesiae scriptores illusio de Origenis et sociorum anathemate in Synodo oecumenica V.

Novissime, praeterire nequeo, cur in his sextae, septimae, et octavae Synodorum discutiendis actis, talia nefanda convicia jacta sint non solum supra Origenem, sed super sanctos monachos Evagrium et Didymum uti *prodigiosorum et fabulosorum deliramentorum auctores*. Sane mirum hoc est, quum, ut supra in tertia Parte ostendimus, ab ipsorum aetate viri pietate et doctrina insignes coram Ecclesia universim reputati fuerint, quod deinde deliramentorum magistri vocarentur. Nescio sane, unde quidam ex posteris scriptoribus, in quibus Sophronus hauserint hujusmodi criminationem, ut ita eorum conculcaretur fama, et inter haereticos reputarentur.

Clarissimus vir Joannes Aloisius Mingarellius, qui quam accuratissime scripta et doctrinam Didymi alexandrini investigavit, in *Commentario II.* de ejusdem placitis et opinionibus c. XIV. cum quosdam nominet Patres de Origenismo frustra accusatos, haec scribit de Didymo : « Cum itaque hos omnes de Origenismo injuria accusatos fuisse nemo jam dubitet, suspicari fortasse quis posset, Didymum quoque immerito de eodem accusatum fuisse. Nam ante sextum Ecclesiae seculum nullus omnino scriptor, praeter s. Hieronymum, hanc ei notam inussit, ni fallor: sed contra multi summis eum laudibus extulerunt, ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus.

Mirum autem videri potest, quod nusquam eum reprehenderit magnus ille origenistarum adversarius s. Epiphanius, neque in epistola ad Joannem hierosolymitanum (etsi in ea de origenistis locutus, Ruffinum et Palladium incuset) neque in *Panario*, ubi de omnibus haeresibus, atque praecipuis earum patronis sermonem habet, neque in ullo alio opere . . . Immo ne in Synodo quidem, quam in Nitria ad condemnandos origenistas habuit Theophilus, ulla Didymi mentio facta est: uti ex eo colligo, quod Hieronymus in epistola 133. ad Ctesiphontem, multos enumerans ac nominans, qui in eo Concilio damnati sunt, Didymum non commemoret. »

Fortasse quidam, ut aliquem praetextum reperiant adversus orthodoxam Didymi doctrinam, objicient quae ille in *Enarratione* Epistolae I. beati Petri c. I. n. 12. ex dictis: *in quae concupiscunt angeli prospicere*, ait: « Siquis existimaverit quaesitam a prophetis salutem in fine mundi esse; quod in omnibus et in summo est appetitu, cum ipsius quidem causa alia cuncta fiunt, ipsum vero, cujus causa nullius (non alius) agitur; non abs re erit etiam intelligi de sanctis angelis, et simpliciter cunctis beatis rationalibus hoc dictum, cum omnes appetitum habeant prospicere ea, quae in fine seculi sunt agenda. *Si vero alium quemdam statum viderunt beatum (per ea quae revelata sunt a Sancto Spiritu eis, qui Evangelium susceperunt) praeter eum, qui dictus est, dicendum est, et concupiscere in eum prospicere angelos, qui in transgressione quadam inventi sunt. Nam licet quidam eorum pravi sint, attamen detenti supplicio resipiscentes* (vel aliter respicientes) *unde ceciderunt, quod etiam studiosis hominibus compromittitur, habebunt desiderium vel per fenestras ea respicere.* »

Hic sermo praesertim Basnagio argumentum praebuit incusandi Didymum quasi doceret daemonem capacem esse resipiscentia, et salute. Tamen patet contra Basnagii opinionem, alibi diversimode sensisse Auctorem et quidem orthodoxe de daemone inconvertibili. Antea vero notare praestat, quae praefatus Mingarellius inquit in c. XII. *Commentarii II.* circa Didymi sententiam de reproborum poenis in vita futura: « Quod vero, scribit, pertinet ad poenarum daemonibus ac reprobis inflictarum aeternitatem, nihil iis addere necesse est, quae jam

dixi.... Nam plura quidem alia in Didymi scriptis inveni loca, in quibus inferni supplicia aeterna diceret; sed ne unum quidem hactenus reperi, ubi ea sempiterna fore inficiaretur. »

Deinde circa praefatam pericopem, quin memorem, quae ibi et aliis in locis notavit Mingarellius, menda nimirum Didymi *Enarrationes in beati Petri epistolas* subiisse vel ex amanuensium incuria, vel potius ex glossis arbitrariis intrusis aut aliis de causis (quae tamen menda emendari nequeunt ob defectum textus graeci originalis) illud potius contenderem, Didymum ex Apostoli dictis disserere de futuro hominum et angelorum exultationis statu ob Christi triumphum super mortem in fine seculi agendum. Quibus expositis subdit non absolute, sed hypothetice, non ex se, non ex sua, sed ex opinione aliorum, qui diversimode a s. Petri dictis, suaque interpretatione sentirent: « *Si vero* (angeli et cuncti rationales) *alium quemdam statum viderunt beatum per ea, quae revelata sunt a Sancto Spiritu eis, qui Evangelium susceperunt, praeter eum, qui dictus est, dicendum est et concupiscere etc.* ut supra. Nullum revera alium statum praeter eum, quem videre appetiverunt, appetunt sancti Dei homines et angeli in mundi fine, idest Christi supra cunctos inimicos victoriam: per quam inimica destruetur mors, ut ait s. Apostolus ad Corinthios. Ad quam sententiam se confert s. Petrus, ac consequenter interpretatus est, consideravitque Didymus sane aliter ab eo, quod a nonnullis concipi potuerit adversus suam praemissam expositionem.

Demum circa Didymi in has s. Petri Epistolas, sicuti in ceteras vulgo *canonicas* vocatas, *Enarrationes* audire praestat, quae Cassiodorus in *Historiae tripartitae* Libro VIII. c. VII. et VIII. de iis scribit, qui Verbi consubstantialitatem propugnabant adversus Valentem, in quibus nuncupat Didymum: « Eo siquidem tempore virum alium fidelem produxit Deus, ut per eum fidei testimonium perhiberet, Didymum mirabilem virum, qui omni tunc doctrina florebat. » Praeterea in Libro *De Institutione divinarum Litterarum* c. V. subdit, Epiphanium suum familiarem latine transtulisse codices graecos Didymi. Et amplius c. VIII. adjecit: « Sed cum de reliquis canonicis Epistolis magna nos cogitatio fatigaret,

subito nobis codex Didymi graeco stilo conscriptus in expositionem septem canonicarum Epistolarum, Domino largiente, concessus est, qui ab Epiphanio viro disertissimo, divinitate juvante, translatus est. »

Non est igitur praesumendum tum interpretem latinum Epiphanium, tum Cassiodorum ita sensisse de Didymo, si sua scripta et potissimum Expositiones in praefatas canonicas Epistolas hujusmodi haereticis et pravis opinionibus sive deliramentis inspersisset, veluti insimulatur ab adversariis. Porro Cassiodori et ceterorum testimoniis in Didymi laudem et illud addendum, quod in aliquibus codicibus Operum suorum encomio celebretur *magni, videntis, beati et sancti viri*. Ideoque citatus Mingarellius adversus Basnagium, undique collatis priscorum Patrum documentis ante annum 560. neminem reperit, nisi s. Hieronymum solum, qui errantem cum Origene redargueret Didymum; quem tamen antea cum eodem Origene admodum celebrarat tanquam in Ecclesia Christi prophetam.

Similiter discussa pro Didymo reportanda sunt super Evagrium pari aetate, doctrina et pietate inter Orientis ascetas celebratissimum. De tanto viro praeter ea, quae superius in tertia Parte expendimus, clarissimus Fontaninius in Historia litteraria Aquilejae Libro V. c. IX. n. 3. eisdem intentis criminationibus adversus eumdem, scribit: « Evagrium in vivis agentem a nullo accusatum reperio. Mortuum nemo unquam, praeter Hieronymum, integro 150 annorum spatio, accusavit: ne ipsemet quidem Theophilus alexandrinus, alias in multos Aegypti monachos, tamquam origenistas mox ab Evagrii obitu, saeviens. Sed Hieronymo, ne Evagrium probaret, satis fuit, illum Melaniae, Ruffinoque, Ammonio item, reliquisque solitariis, per Theophilum male habitis, amicitia adhaesisse. Ceterum nemo ex antiquis scriptoribus Evagrium sine laudis praefatione memoravit; non Palladius, non Ruffinus, non Socrates, non Sozomenus, non s. Prosper in Chronico editionis Scaligeri, non denique Gennadius. Evagrii sententiae passim receptae sunt a patribus graecis Nilo, Maximo, Damasceno. Ad haec in Historia eremitica ejus auctoritas non semel adducitur; etiam in *Catenis Patrum graecorum*:

eumdemque s. Dorotheus monachus laudat in Libro XII. *De Doctrinis.*

« At enim ex his male audit unus et aliter quippe Origeni addictus. Plerique tamen suspicionibus vacant; nec Novatianismo, qui Socrati impingitur, quicquam cum Origene et Pelagio commune fuit. Adi postremo loco regulam s. Antonii Abbatis editam ab Abrahamo ecchellensi, in qua beati Evagrii laus est. Quid jam de sanctissimis viris dicam, quibus stricto necessitudinis vinculo adhaesit? quid de utroque Macario? quid de Arsenio? quid demum de Isidoro Pelusiota, cujus epistola 251. Libri I. scripta est ad Evagrium diaconum? Quod pro eo dixi de Concilio V. ab Apostolica Sede quantum ad unam trium Capitulorum, non Evagrii, damnationem, adprobato, hoc idem auctoritas s. Benedicti anianensis confirmat, quem *Apathiae* nomen Evagrii scriptis insertum, nequaquam deterruit, quominus ejus tria opuscula, utpote ab erroribus vacua et religiosae vitae perutilia, in suum codicem regularum transcriberet. Immo Evagrii lucubrationes apud occidentales tanti fuerunt, ut aliquando ejus liber de *Conflictu virtutum et vitiorum* primariis Ecclesiae latinae Doctoribus Augustino et Ambrosio tributum fuerit, Leoni etiam Pontifici, Isidoro et Autperto... Haec de Evagrii doctrina. Ad mores quod attinet, nihil profecto simplicius et sanctius animo affingi potest, quam ejus vitae historia, uti eam refert Palladius, qui toto novennio eum novit. »



CAPUT XII.

Accurata instituitur recensio Epistolae sive Tractatus adversus origenistas, Justiniano inscripti a trium Capitulorum propugnatoribus: num scilicet per hunc Tractatum in Synodo V. seu antea, a Patribus et a Vigilio Papa damnatus sit Origenes.

Zizaniis artificiose in agro satis, ac cum frumento succrescentibus, heu quam ardua eorum eradicatio. Ita calumniae, quo magis studiosi earum consarcinatores auctoritate praestare videntur, eo amplius fidem assequuntur, et hinc difficilius obliterantur. Et haec omnia in trium Capitulorum causa supervenisse vidimus: quorum propugnatores tanto odio exarserunt in Vigilium et Patres secum eo pugnantes adversus ea Capitula, ut nulli parcerent labori, ad eorum labefactandum judicium. Nihilominus cum in istiusmodi adversariis multi multa commentarentur mendacia, facillimum est, ut et fallaciae detegantur; praesertim cum frequentius in falsitatibus compingendis, licet inviti, in antilogias cadant, seque mutuo impellant in propriam damnationem Et ita quidem reperimus in hac trium Capitulorum quaestione.

Quoad autem harum calumniarum concinnatores, et praecones, quantum ab historia veteri conjicere liceat, et quorum adhuc memoria in scriptis supersit, duo perhibentur, Facundus episcopus hermianensis, de quo supra, et Liberatus carthaginensis ecclesiae diaconus in *Breviario adversus haeresim nestorianam et eutychianam*. Quorum, nisi oculo perspicaci examinentur locutiones, quo infectae sunt, haud facile denudatur virus. Et ob hoc arbitror, recentes hujus disputationis tractatores, reliotis, aut inconsideratis, quae Pontifices Vigilius, Pelagius I. Pelagius II. Gregorius Magnus scitissime ac limpide exposuerunt de hoc argumento, et ex adverso nimium donantes versutis tria Capitula defendentium declarationibus, in vias se dejecisse inextricabiles: a quibus non evaserunt, nisi Vigilii et aliorum episcoporum orthodoxorum dignitati quodammodo derogantes.

Ac interim, praetermissis Facundi dictis antea citatis, ceterisque falsis scriptis capiti sequenti remissis, circa hujus quaestionis initium, expendatur quid scribat Liberatus Facundi consors in schismate uti concordia in fallaci origine statuenda hujus disceptationis, ita ut unus ab altero videatur mutuatus sensus suos. Is itaque in cc. XXIII. XXIV. Pelagii apocrisiarii recensens e Palaestina reditum post Pauli alexandrini episcopi depositionem ait: « Sed redeunte Pelagio diacono apocrisiario Constantinopolim, monachi quidam ab Hierosolymis, per quos Pelagius in Gazam transitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, ut Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius aemulus existens Theodoro Caesareae Cappadociae episcopo, volens ei nocere eo quod esset Origenis defensor, una cum Menna archiepiscopo constantinopolitano, flagitabat a Principe, ut juberet fieri, quod illi monachi supplicabant, ut Origenes damnaretur, ipsaque capitula talia docentia. Annuit Imperator facillime, gaudens se de talibus causis judicium ferre. Jubente eo, dictata est in Origenem et illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes una cum Menna archiepiscopo Constantinopoli reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo alexandrino, Euphraemio antiocheno, et Petro hierosolymitano. Quibus eam accipientibus et subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim ante fuerat damnatus.

« Et reserato aditu adversariis Ecclesiae, ut mortuus damnaretur, Theodorus Caesareae Cappadociae episcopus dilectus et familiaris principum, secta acephalus, Origenis autem defensor acerrimus, et Pelagio aemulus, cognoscens Origenem esse damnatum, dolore damnationis ejus, ad Ecclesiae conturbationem damnationem molitus est in Theodorum mopsuestenum, eo quod Theodorus multa opuscula edidisset contra Origenem, exosusque et accusabilis haberetur ab origenistis, et maxime quod Synodus chalcedonensis (sicut probatur) laudes ejus susceperit in tribus epistolis. Cujus damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit.

« *Scribente Principe contra acephalos in defensionem Synodi chalcedonensis, accedens idem Theodorus Cappadox una cum suis satellitibus, qui sub nomine catholico acephalis studebant, cum Theodorae augustae favore Imperatori suggessit, scribendi laborem non eum debere pati, quando compendio posset acephalos omnes ad suam communionem adducere. Siquidem illi (inquit) hoc offenduntur in Synodo chalcedonensi, quod laudes suscepit Theodori mopsuesteni episcopi, Epistolamque Ibae, quae per omnia nestoriana esse cognoscitur, Synodus ipsa judicio suo pronunciaverit orthodoxam. Qui Theodorus, si cum dictis suis et hac Epistola anathematizetur, tanquam retractata Synodus atque purgata, suscipietur ab eis per omnia et in omnibus, et sine pietatis vestrae labore Ecclesiae Catholicae sociati, gaudente universali Ecclesia, clementiae vestrae laus erit sempiterna.* Haec audiens Imperator, et dolum dolosorum minime prospiciens, suggestionem eorum libenter accepit, et hoc se facere promptissime spopondit.

« Sed rursus illi callida fraude rogarunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium Capitulorum : quo libro ejus edito et toti mundo manifesto, dum emendare Princeps erubescit, irrevocabilis causa fieret. Sciebant enim, Principem solita pietate, scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere seseque ad periculum pervenire. Annuit eis Princeps, et hoc se laetus implere promisit. Et relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium Capitulorum condidit Librum, pro delictis nostris omnibus notissimum. »

Praeviis amborum Facundi et Liberati contestationibus in trium Capitulorum defensione, profecto si accipienda forent, quae ipsi putarunt de his quaestionibus ac earumdem solutione, viderentur Concilii oecumenici Patres, qui eo ipso tempore adunati sunt ad damnationem trium Capitulorum, non sincere pro fide catholica convenisse et pugnasse ; verum potius adversus statuta ecclesiastica, dissidia secundum cujusque partes commovisse. Valde quidem deplorandum esset, si ratae haberentur narrationes Facundi et Liberati; qui obtestantur, anathema trium Capitulorum ex acephalorum sive semieutychianorum studio processisse ; quasi Ecclesia aut Pontificatus Romanus haereticorum obsecutus fuisset deside-

rio, magis quam rei veritati, et id in Synodi chalcedonensis praejudicium. Quapropter, cum tam aperte ambo scriptores pugnent in definitionem Synodi oecumenicae quintae, adeo ut audeant haereticos, aut saltem haereseos fautores episcopos catholicos hujus rei judices pronunciare, admodum caute puto, ea omnia ab iis acceptanda esse, quae de hac quaestione scripserunt et praesertim relate ad Origenem, cujus patronos agnoverunt suos adversarios, idest orthodoxos; quasi trium Capitulorum expugnatores, Origenis errata admisissent, eaque simul vindicassent; quod in omnibus falsissimum est.

Secundo, nullimode acceptandum, quod Liberatus et Facundus adversus Theodorum Caesareae statuunt, quasi iste Origenis defensor reprobasset mopsuestenum Episcopum; qui contra Origenem multa opuscula scripsit. Ait Facundus in Libro III. c. 6: « Theodorus mopsuestenus scripsit contra Origenem in Libro *De Allegoria et Historia.* » Ceterum quis ignoret, quam optime Origenes in Commentariis Bibliorum historicum sensum complexus sit, ubi et aptus haberetur, et una allegoriam sectatus prope apostolicam et ecclesiasticam consuetudinem? Et quis nesciat quam concinne Origenes allegoricum sensum aptaverit Cantico Canticorum, adeo ut et s. Hieronymus hoc Commentarium miratus, asserat, Adamantium seipsum vicisse in hoc opere? Et quis ignoret tantumdem, Theodorum mopsuestenum in idem Canticum frustra elaborantem, ad litteram, quae occidit, sive ad carnales concupiscentias traxisse hujus Scripturae sensum; et ideo jure ab Ecclesia reprobatum?

Tertio, ex his testimoniis, quod admodum a nobis quaeritur, praeclare deducitur, causam origenianam praecessisse quaestioni de tribus Capitulis. Cum enim Facundus et Liberatus asserant ob iteratam per Justinianum Origenis damnationem, alteram exortam esse contentionem de tribus Capitulis, omnino praetermissa Origenis quaestione, deducitur, Synodum oecumenicam V. de ultima, idest de tribus Capitulis tantummodo sollicitam tunc fuisse, variam sane praeferentibus dogmatis formam ab iis, qui Origeni et origenistis imputabantur errores, nec ideo confundendam cum argumen-

tis in Synodo chalcedonensi tractatis, ceu praefati scriptores tradidere. Et hoc item adstruitur a Victore tununensi, ex illorum numero pariter tria Capitula defendentium. Qui tunc et ipse vitam degens, singillatim in Chronico enarrans, quae acta sunt de his Capitulis, penitus excludit a Concilio quinto quaestionem dė Origene.

Quarto, falsissimum omnino est, quod Liberatus ait: *Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim antea fuerat damnatus.* Haec falsitas repetenda est a Theophilo episcopo alexandrino Origenis infensissimo, qui, invidorum tanti viri collectis insimulationibus jam ab ipsius Origenis aetate in eum excitatis, ostendere nisus est, fuisse adhuc vivum jure anathematizatum. Cui tamen Theophilo suisque foederatis promptissimo animo restitere s. Joannes Chrysostomus et s. Theotimus aliique, asserentes eo usque Origenem nequaquam damnatum fuisse; sicuti nec postea talem subiisse damnationem ab Anastasio Papa, superius in tertia Parte declaratum est.

Quinto, pro re nostra adversus eos, qui tenent in Synodo quinta condemnatum Origenem, parumper acceptis (nec tamen probatis) quae enarrant de hujus Synodi convocatione eorumdemque Capitulorum anathemate, quasi Patres convenerint contra Theodorum mopsuestenum aliosque ad ultionem eorum, quae acta fuerant adversus Origenem; quomodo fieri potuerit, ut tantum virum anathematizarent iidem ipsi Patres, qui tam studiose ipsius causam susceperant? Qualive ratione admittendum erit, denuo ipsos episcopos in Synodo damnasse Origenem, cum ii ob ejusdem Origenis damnati ultionem congregati forent contra trium Capitulorum defensores, qui Origenem damnarunt? Rebus enim sic stantibus, se suo mucrone confixissent Concilii Patres, si quae eo usque comprobarant, diruissent. Nonne hoc videretur absurdum? ad quod refellendum necessario fatendum est, nihil adversus Origenem tunc decrevisse Synodum oecumenicam quintam, quemadmodum hucusque nisus sum ostendere.

Post haec notatu digna valde sunt, quae a praefatis scriptoribus enarrantur de Justiniani studio in damnatione Origenis, veluti significavit Facundus; ubi locutus ad Imperatorem inquit: « *Et quia per instantiam tuae religionis ejusdem*

profani dogmatis (Origenis) iterata damnatio est. » Itemque dicit Liberatus in *Breviario*, asserens: « jubente Justiniano dictatam esse anathematis damnationem, ac subscriptam a Menna archiepiscopo constantinopolitano cum aliis in eadem civitate repertis, ac deinde directam ad Vigilium Romanum Episcopum, et ad Zoilum et Ephraemum, et Petrum episcopos. » Ex his porro testimoniis manifeste patet de Origenis anathemate actum esse iterum (cum antea in Synodo syriaca tractatum fuerit, ut infra dicetur) Constantinopoli vivente adhuc Menna, qui supremam diem obiit anno 552. ac ante illud tempus dictatam fuisse Justiniani Epistolam, et quidem ante Synodum.

Verumtamen non tantum me movet hujus Epistolae sive Tractatus dictamen adversus Origenem, quanto magis stuporis in me excitatur ob silentium, quod deinceps servatur a Justiniano de ejusdem Origenis et dogmatum suorum haereticorum anathemate, in Confessione fidei pro damnatione trium Capitulorum. Quod quidem, posita hujus Epistolae sinceritate, reique momento, nullimode erat ab ipso transigendum. Attamen neque in hac fidei Confessione, nec in litteris, quae successive ab ipso Imperatore missae sunt ad quosdam adhuc oecumenicae definitioni obsistentes, quidquam reperitur de quaestione, aut proscriptione origeniana. Quinimmo haec duo postrema documenta probe expensa, recta contraire probantur sensibus praefati Tractatus Justiniano inscripti de Origenis erroribus, ita ut inter apocryphos censendus sit.

Reapse in epistola adversus nonnullos, qui restitere definitioni Concilii V. in damnationem trium Capitulorum, et in qua instat quam maxime, et ab exemplis ostendit, etiam in errore defunctos post mortem fuisse anathemate percussos, scribit: « Multis autem id ipsum confirmari potest exemplis, haereticos videlicet, qui dum viverent ad sanitatem reversi non sunt, post mortem fuisse condemnatos. Eunomius enim et Apollinarius et Bonosus, ac superioribus temporibus Valentinus, Basilides, Marcion et Cerinthus aliique permulti, qui anathematibus, dum viverent, subjecti non fuerant, post mortem damnati sunt. Atque ab Ecclesia Catholica anathematizantur, propterea quod in suis erroribus vita functi sunt;

quemadmodum e contra ii, qui injuste damnationis passi fuerant judicium Flavianus et Joannes Chrysostomus, post mortem ab ipsa Ecclesia restituti etc. »

Sed et hoc amplius firmatur et illustratur ab ipsa Justiniani Confessione; ubi prope finem iis respondet putantibus, non oportere Theodorum post mortem anathematizari, inquiens: « Si vero quidam dicunt, non oportere Theodorum post mortem anathematizare, sciant qui talem haereticum defendunt, quod omnis haereticus usque ad finem vitae in suo errore permanens, juste perpetuo anathemati et post mortem subjicitur. Et hoc in multis haereticis et antiquioribus et propioribus factum est, hoc est Valentino, Basilide, Marcione, Cerintho, Manichaeo, Eunomio et Bonoso. Hoc autem idem et in Theodoro factum est, et in vita accusato et post mortem anathematizato a sanctis Patribus; quibus, si credere noluerint ut haeretici ejus defensores, vel impiae Epistolae, quam ipsi defendunt, credant »

Justinianus itaque, cum plura disseruerit de synodali sanctione adversus tria Capitula, praeter illud, quod nec antea, nec tunc Origenis quaestionem dicat agitatam fuisse, item in hoc loco praeteriit. Ceterum si Imperator tanto studio, zeloque christiano laborasset in Origenis profani ob praesumptos errores condemnatione, ei inscripto de hac re Tractatu, quem ad episcopos dissitos misisse dicitur, ut anathemati subscriberent Origenis, quemadmodum praetendunt citati Facundus et Liberatus, nulla prorsus ratione in hac sua Confessione, post Theodori mopsuesteni indicationem, *hoc idem et in Theodoro factum est, et in vita accusato et post mortem anathematizato,* nulla prorsus ratione erat ei praetermittenda altera obtestatio adversus Origenem, addendo scilicet, *et idem in Origene factum est, et in vita accusato et post mortem anathematizato a sanctis Patribus*. Nihilominus Origenis, quem sive velis tunc in ipsa Synodo quinta, sive paucis annis ante, uti dicitur in Tractatu ipso instante, damnatum, nomen penitus transegit Imperator, quasi numquam eo usque audisset de tanto viro disputationem. Hujuscemodi porro Justiniani silentium, ac aetatis incertitudo, qua haec facta sunt, certe quamdam ingerunt suspicionem de hujus Tractatus authenticitate.

Verum in hac quaestione persistens aliquantulùm, omnes Justiniani actus percurrere necessarium duco, scrutatus siquando Origenis nomen aut errores citarit; ac praesertim ubi is plura statuit adversus haereticos coaevos et, qui suae praecesserunt aetati, haeresiarchas in catholicam veritatem dimicantes. Et quidem in Titulo V. Codicis nomina indicantur Arii, Macedonii Apollinaris, Eunomii, Montani, Marcionis, Manetis, Donati, Nestorii, Eutychis, Dioscori, ac ceterorum: quorum omnium pessimos vocat manichaeos. Item in *Novellis* memorat damnationem Anthimi, Severi, Petri, et Zoarae; quin tamen inter eos nomina censeat Origenis, nec origenistarum, nec Evagrii neque Didymi. Cum itaque Justinianus hos postremos idest Origenem et asseclas haud notarit inter haereticos, satis manifestum indicium est, eo usque, in Ecclesia universali haud male oluisse Adamantium, ut inter haereticos censeretur. Item reliqua Juris Justinianei post annum 536. monumenta investigans, ubi pariter sacra atque profana ab eo tractantur, nullibi hucusque, excepta citata Epistola ad Mennam, nullibi Origenis nomen nec celebratum nec damnatum reperi.

Et ut summatim dicam, ab initio imperii Justiniani usque ad annum 555. et ulterius, quo missa legitur ejusdem epistola ad nonnullos adhuc dubios de definitione Synodi V. plura sane habentur decreta adversus haereticos; et quos saepius nomine distinxit, illos praesertim Manetis dogmata professos (ex g. in allocutione ad episcopos in ea Synodo congregatos) attamen nullibi apparet vestigium, se in his aliquid animadvertisse de praesumptis Origenis erroribus.

Quod autem dictum est de Justiniano confirmatur de Vigilio Papa; qui in hac quaestione consors eumdem ostendisset zelum in damnatione Origenis. Nihilominus ex hujus Pontificis epistolis aut decretis, quae quoad aetatem et argumenta valde proxime connectuntur quaestioni origenianae, hucusque nihil inveni praesumptos errores pertingens. Circa annum 536. Agapeto Papa, Constantinopoli collecta est Synodus sub Menna, damnatis Anthimo, Severo, Petro apameno, Zoara, ac omnibus, qui cum eis communicabant. Vigilius deinde an. 540. Imperatori et Mennae scribens gratulatur de

damnatis haereticis inquiens: « De his vero, quibus te memorem libelli, quem superscripto praedecessori nostro tradideras, et sequentes apostolicae constituta doctrinae in haereticos inferius comprehensos, idest in Severum antiochenum, Petrum apamenum, Anthimum quoque pervasorem ecclesiae constantinopolitanae, et Theodosium alexandrinae civitatis, nec non et Constantinum, atque Antonium versentanum eutychianae haereseos, sed et Dioscorum, qui in chalcedonensi Synodo damnatus fuisse legitur, cum defensoribus atque sequacibus anathema dixisse cognovimus. » Quapropter ex his praemissis et amplius huc revocatis superius discussis, concluditur, nec in Synodo constantinopolitana sub Menna an. 536. et a Vigilio Papa sancita an. 540, nec in altera an. 546. circiter, cui interfuit Vigilius, nec denique in oecumenica an. 554. fuisse Origenem damnatum.

Post haec praeclarissima ac ineluctabilia testimonia tum ex Concilii oecumenici actis, tum amplius ex Vigilii Papae Constituto pro hujus confirmatione Concilii, eruta, ac insuper stantibus Confessione Justiniani, ejusdemque litteris adversus defensores trium Capitulorum, suffragante deinde summorum Pontificum Pelagii et Gregorii Magni auctoritate, e quibus omnibus firmatum est, exceptis tribus Capitulis, nil decrevisse Synodum adversus Origenem, sicuti in praecedentibus; non nemo tamen, puto, institerit: cur ergo scriptores Liberatus et Facundus praesertim, tam fidenter asseverant tunc damnatum Origenem, instante imperatore ante an. 545? Et quid putandum erit de hoc Tractatu adversus eumdem; et undenam factum est ut deinde quaestio trium Capitulorum confunderetur cum origeniana?

Priori interrogationi praemittenda est historia cujusdam Concilii syriaci, sive antiocheni; cujus mentio fit in Libello synodico Anonymi apud Justellum sub an. 537. ubi haec leguntur: « In Synodo syriaca Ephraemus Antiochiae Syriae archiepiscopus origenica dogmata, quae apud quosdam monachos Palaestinae obtinebant, propugnatores ipsorum anathemate damnavit. » Quae autem summatim ab Anonymo notata sunt circa hanc damnationis causam, quaeque deinde supervenere, nostro proposito conducentia, illustrantur a

praefatis viris Facundo et Liberato. Isti enim, quamvis statuant, Origenem paulo ante Synodum quintam anathematizatum, ac Justinianum huic adhaesisse damnationi; nihilominus de Synodo ideo Constantinopoli adunata sicuti in praedictis quaestionibus, non satis aperte indicant. Insuper si sedulo illorum dicta ponderentur, aliunde repetunt historiam hujus condemnationis, idest de Antiochia; unde Constantinopolim ejusdem acta missa fuissent ad Justinianum pro confirmatione.

Ac reapse, intenta Anonymi perspicua declaratione sub an 537. in Synodo antiòchena, praeside hujus civitatis antistite Ephraemo, adversus quosdam monachos Origenis propugnatores, comprehenduntur et explicantur simul et Facundi et Liberati de hac re narrationes. Facundus enim, veluti praenotavimus, acerrimus defensor trium Capitulorum, hac instante quaestione, ostendebat Justiniano, eos contra tria Capitula decertantes, ex illis esse *latenter Origenis dogma professis*, cujus tamen Origenis errores jam damnatos esse dicit, ejusdem Imperatoris religione instante: « *Et quia,* inquit, *per instantiam tuae religionis ejusdem profani dogmatis iterata damnatio est etc.* » Hinc vides, Facundum non loqui de damnatione origenistarum in Synodo constantinopolitana, sed in antiochena, ubi ipse dicit decretum esse anathema in quosdam monachos origenistas. Cujus Concilii acta deinde Constantinopolim translata sunt ad Justinianum, ut eisdem subscriberet; de quo infra.

Liberatus vero Facundi socius in defensione trium Capitulorum haec eadem praeclarius narrat asserens, Pelagio diacono apocrisiario Romanae Ecclesiae ab Antiochia et Hierosolymis reduce Constantinopolim, monachos quosdam Origenis capitula de libris ejusdem excerpta portantes, venisse ad ipsum Pelagium in Comitatu volentes agere apud Justinianum, ut Origenes damnaretur cum illis capitulis. Et addit ex Pelagii et Mennae studio, Imperatorem anathematizasse eadem capitula; cui anathemati etiam, qui Constantinopoli erant, subscribentibus, directum esse ait deinde ad Vigilium Papam, ad Ephraemum antiochenum, et Petrum hierosolymitanum. Ex hoc testimonio pariter institui nequit

Concilii forma, sive episcoporum conventus ideo adunatus pro Origenis erroribus discutiendis. Sed potius inde adstruitur, Justinianum acceptis Concilii antiocheni adversus monachos origenistas actis, ea Mennae ceterisque episcopis misisse comprobanda : si tamen vera in omnibus accipienda sit Liberati narratio : de qua valde valde dubito.

Et quidem si Epistolae dicta historiae conferantur genuinae, eruetur nullam esse Constantinopoli collectam Synodum adversus Origenem ; sed aliunde huc advenisse quaestionem. Idest ex monachorum Origeni adversantium opera ac deinde tria Capitula defendentium studio, hic Tractatus in Syria elaboratus, Justiniano oblatus fuisset, suoque nomini dicatus. Ac interim in hoc notare liceat peregrinum locutionis genus Justiniano adscriptum et varium ab expositione aliorum decretorum suorum de rebus ecclesiasticis. In hoc enim Tractatu ut arbiter repraesentatur Imperator et Ecclesiae magister. Et quidem (remissa falsitatum adversus Origenem historiola, quae in eo texuntur superius refutatae) auctor ab initio ad finem hortatur et indicit, quid de eo agendum sit proximis et longinquis inquiens.

« Nobis semper studio fuit, atque etiam nunc est, ratam et irreprehensibilem christianam fidem, statumque sanctissimae Dei Catholicae et Apostolicae Ecclesiae perturbationum expertem usquequaque custodiri . . . Haec autem a nobis ideo dicta sunt, quod ad nos allatum est, nonnullos Dei timorem non habentes in animo, nec rectae doctrinae discrimen tenentes, quo salvatur, quicumque veritatem cognoscit, relictis divinis Scripturis, sanctisque Patribus, quos catholica Dei Ecclesia Doctores habet, per quos omnis ubique haeresis expulsa est, fides vero orthodoxa declarata, Origenem ejusque dogmata paganorum et manichaeorum erroribus affinia asserere, per quae ille in foveam incidit. »

In fine autem concludit : « Hanc Epistolam dedimus ad tuam beatitudinem, qua eam hortamur, ut omnium qui in hac Urbe regia degunt, sanctorum episcoporum conventum habeant, et praefata Origenis capitula anathematizent, et faciant, ut eadem anathematizentur ipsius dogmata cum ceteris haereticis Sabellio, Ario, etc. ut nemo audeat ulla ratio-

ne defendere infra scripta Origenis capitula.... Haec porro eadem scripsimus non solum ad sanctitatem tuam sed etiam ad beatissimum Papam Senioris Romae et Patriarcham Vigilium, et ad ceteros omnes sanctissimos episcopos idest Alexandriae, Theopoleos, et Hierosolymorum, ut et hi huic rei prospiciant, et haec fidem adipiscantur. » Item ad ipsum Mennam dicit: « Exemplaque dimittas eorum, quae a beatitudine tua ob hanc causam gesta fuerint, ad alios omnes sanctissimos episcopos, praefectosque monasteriorum venerabilium, ut et ipsi subscriptione propria anathematizent Origenem, scelestaque ipsius dogmata, cum omnibus qui declarabuntur, haereticis. »

Quoad hujus Epistolae dictatum mirare summopere quas partes coram Ecclesia suscipiat Justinianus et alio quidem tenore, quo usus est in ceteris suis decretis. Ipse enim antea dicit rogans Mennam archiepiscopum ut, habito conventu episcoporum Constantinopoli degentium, damnet Origenis dogmata. Similiter ait, se scripsisse ad Vigilium Romanum Pontificem, et ad episcopos Theopoleos, Hierosolymorum, et Alexandriae, ut rei prospiciant, quod et dicit Liberatus: cum ipse interea, posthabitis Papa et episcopis, primus tulisset judicium de erroribus Origenis: *eoque jubente dictata est anathematis damnatio.* Cui deinde subscripsissent ex ejusdem jussu Menna, aliique episcopi ibi cum Menna eodem reperti, ac demum Vigilius Papa celerique patriarchae.

Pariter in Tractatu introducitur Justinianus ad Vigilium scribens his titulis: « Haec porro eadem scripsimus non solum ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum et beatissimum Papam senioris Romae et patriarcham Vigilium. » Tamen Justinianus in genuinis scriptis et speciatim relate ad Concilium V. saepe Pontificem Romanum nuncupat sanctissimum vel beatissimum senioris sive antiquioris Romae Papam. Nullibi vero legitur nomen *patriarchae* addidisse vel inscripsisse eidem Pontifici.

Item Imperator Mennae mandat, ut ad ceteros episcopos et monasteriorum praefectos scribat pro adhaesione anathemati Origenis, ac nemo audeat ipsum defendere. Praeterea dicit, se cupere, omnes cognoscere Origenis errata (quae

fortasse nesciebant Vigilius, Mennas ceterique episcopi) eosque instruere. Insuper se scripsisse asserit ad Mennam et ad episcopos in Urbe sitos, ut damnent Origenem. Nihilominus in fine hujus Epistolae priusquam Mennas, aut Vigilius aliique praesules responderent, ipse solus ceu summus Pontifex decernit anathema, inquiens.

« His igitur se habentibus, factisque omnibus palam Origenis blasphemiis, anathematismum in illum sic fieri convenit..... » Et expositis novem articulis damnationis, desinit: « Anathema Origeni, qui et Adamantius, qui haec exposuit una cum nefaria atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, et cuivis, qui ea sentiat aut defendat, aut ullo modo prorsus quocumque tempore tueri praesumat. »

Et quot episcopi Constantinopoli tunc degebant absque praevia convocatione? Et quid denique putandum de Justiniano, qui, inaudito episcopatu, seu priusquam ipsi per litteras responderent, laicali potestate munitus episcopis praeit indicens, nemini fas esse Origenem defendere, propositis praeterea capitulis ab ipso dictatis, quibus episcopi, patriarchae et Vigilius Papa humiliter subscribere tenerentur?

Ceterum nemo nescit quali erga episcopatum reverentia in similibus quaestionibus se gerat Justinianus, probe divina humanis praestare sciens, uti piissime manifestat in Novella 42. Et propterea, si contra hujusmodi in Tractatu adversus Origenem Justiniano inscriptas locutiones, objiciantur istae, quibus utitur in epistola ad Eutychium ceterosque episcopos pro Synodi V. convocatione, illae sane impares reperientur. Ad Eutychium namque dicit, studium fuisse semper orthodoxis imperatoribus Patribus suis pro tempore exortas haereses *per religiosos episcopos amputare... Patres nostri, quae in unoquoque Concilio judicata sunt, legibus suis corroborarunt.* Postea dicit, *ob quaestionem trium Capitulorum interrogasse episcopos*, ac propterea *eos vocasse in Urbem ut proferrent judicium suum.* Similiter in litteris adversus quosdam trium Capitulorum propugnatores, miratur, quod non suum, sed universorum Ecclesiae Dei antistitum judicium nihili faciendum existiment. Et hinc addit: « Quamquam igitur Capitulorum impietas manifesto pateret; tamen Ecclesiae Dei

antistites in unum congregatos rogavimus, quid de his decernerent esse sentiendum. » Cernito itaque quantum differat in his epistolis pius et humilis Justiniani sermo erga episcopatum ab eo, quem exprimit in superiori Tractatu; ubi ipse in Origenis causa sese exhibuit delatorem, confutatorem, et judicem, quin nec ab episcopis nec a Vigilio Papa, nec ab Ecclesia expectaret judicii sui sanctionem.

Cum igitur hujus Epistolae auctor sermone tam peregrino parum Ecclesiae Catholicae se consonum praestet, vix puto a viro orthodoxo hanc dictari potuisse et praesertim a Justiniano. Qui insuper, ut vidimus, ita zelator in profligandis haeresibus, ex suo Codice et potissimum in *Confessione fidei* adversus tria Capitula postea emissa quam fuisset origeniana quaestio agitata, nullibi ait, nec citat, nec memorat nec multo minus anathematizat praesumptos Origenis errores; quantumvis, ut dixi, illi in praefata Confessione necesse erat, talem instaurare damnationem, trium Capitulorum fulciendi causa anathematis. Item nec hujus Epistolae, nec quod in ipsa continetur, meminit aliquando Vigilius Papa: neque tunc viventes memorant Pelagius I. Pelagius II. Si autem iste Papa, veluti superius dictum est, adversus defensores trium Capitulorum citaverit Origenis damnationem; tamen ab antiquitate hoc advocans factum, objicit his renuentibus Theodori mopsuesteni anathema comprobare. Quapropter arbitror fidenter, Synodum ab Imperatore per hanc Epistolam tunc Constantinopoli indictam, nondum convenisse; ac Romani Pontificatus judicium de hac eadem re adhuc desiderari.



CAPUT XIII.

Pergit discussio supra praefatam Epistolam adversus Origenem, quanti nimirum facienda sit ipsius auctoritas, et quo tempore concinnata sit; variis ideo collatis de eadem testimoniis, quibus magis patefiet inter scripta apocrypha hanc mandandam esse, nulloque jure Justiniano inscribendam.

Valde post hoc mirum, nostramque repetens considerationem illud est, quod in fine Epistolae statuit et mandat Justinianus dicens: « In posterum nec aliter ordinentur episcopi aut monasteriorum praefecti, nisi prius cum aliis omnibus haereticis (qui de more in editis libellis anathematizantur) idest Sabellio Ario etc. etiam praedictum Origenem una cum execrandis et impiis ejus dogmatibus anathematizent. » Tamen ubinam legitur hoc in ecclesiis expletum Justiniani mandatum? Cum et ipse primus paulo post hoc transgressus sit in sua rectae fidei Confessione, nomen et haeresim et anathema omittens Origenis?

Item dicendum de Pelagio I. quem opus suum, cum esset apocrisiarius apud Justinianum, fabulatur Liberatus impendisse ut damnaretur Origenes. Nihilominus cum esset Papa, in epistola *ad universum populum Dei*, ubi exponit suam fidem adversus quorumdam suspiciones, et profitetur se quatuor venerari Synodos generales, et epistolas Pontificum Romanorum et habere damnatos, quos ipsi damnarunt, transigit omnino Origenis anathema, et Vigilii decretum de hac damnatione.

Pariter in fidei Professione Pelagius Papa II. circa an. 584. in epistola I. ad Eliam et episcopos Istriae, dicit se fidem tenere ab Apostolis traditam et per successores eorum custoditam inviolabiliter, ac firmatam in quatuor Synodis oecumenicis, sed et in epistola Leonis Papae ad Flavianum, quae et *Tomus* nuncupatur. In qua professione Pelagius, quum Leonis epistolae meminerit in haereticorum damnatione, pari cura Justiniani Epistolam ad Mennam revocans adversus Origenem, istum peculiari anathemate nominatim distinxisset,

ut ita staret praesumptum imperiale decretum in eadem expressum.

Item in fidei professione, quam Reccaredus Hispaniarum rex et cum eo episcopi, presbyteri et primores gentis Gothicae, abjurato Arianismo, in Concilio Toletano III. an. 589. emiserunt, mentione speciali decreta memorantur Synodorum nicaenae, constantinopolitanae, ephesinae, et chalcedonensis adversus haereticos: quos omnes pariter anathematizarunt praefatus rex, ceterique, ut sic Ecclesiae Catholicae aggregarentur. In hac tamen professione Justiniani mandatum de Origenis anathematizandis erroribus omnino praetermittitur.

Similiter valde in hac re nobis proderit, et adversariorum opinionem contundet sollemnis s. Gregorii Magni fidei professio (de qua superius actum est) per litteras exacta, ac Joanni constantinopolitano episcopo data. In hac enim perspicue se, siculi quatuor Evangelia, ita quatuor Concilia oecumenica nicaenum, constantinopolitanum, ephesinum, chalcedonense venerari fatetur. Insuper Concilium quintum veneratur, triaque Capitula in eo damnata, explicite damnans ac refutans, in cunctis obtestatus se, quae ea veneranda Concilia sive personas sive errores respuunt, respuere. In qua declaratione, ubi orientalibus sicuti occidentalibus fidelibus satisfecit de iis, quae eousque in Ecclesia sancita fuerant, haud erat sibi omittendum praesumptum Justiniani decretum, subscriptionibus episcoporum munitum adversus Origenem. Et hanc eamdem fidei professionem (omisso scilicet Origenis nomine) subdit s. Gregorius in epistola ad Secundinum, emittere orientales, quoties in quatuor praecipuis sedibus ordinantur episcopi. Unde in nobis suspicio augetur, ne dicam certitudo, nec Justinianum hunc Tractatum edidisse, nec subscripsisse, neque Mennae neque Vigilio commisisse pro subscriptione, nec multo minus Mennam ac Pontificem anathema comprobasse in eumdem Origenem latum cum praefatis minis adversus renitentes.

Sed et amplius hoc idem Justiniani mandatum neglectum mansit a Timotheo presbytero in Libello supra citato *De Receptione haereticorum*: ubi hos docet recipiendos, dummodo quatuor Synodos oecumenicas amplectantur, ac una quintam,

quae robore ac firmitate adauxit quatuor praecedentes; quia Timotheus ullam ibi subdat additionem specialem de Justiniani Epistola ad Mennam circa Origenis anatbema. Nec diversimode eruitur in *Satisfactionis exemplari* inter Cyrum Alexandriae episcopum et eos qui ex parte erant Theodosianorum: ubi quinque Synodorum instauratur fides et anathema contra haereticos; et ubi de Origenis erroribus nulla mentio.

Demum his omnibus testificationibus addendum est quod tradit Garnerius in *Libro Diurno Romanorum Pontificum* c. III. Titulo 6. de fidei professione emittenda in Pontificis ordinatione et adhibita paulo post Synodum sextam oecumenicam. In hac itaque professione spondet Pontifex ordinandus, se tenere, praedicare, defendere illam fidem ab Apostolis traditam: quae suscepta est a nicaena Synodo, ac deinde probata a tribus Synodis constantinopolitana, ephesina et chalcedonensi: « Eos autem quicumque ab eisdem sanctis Patribus a memoratis quatuor Synodis, vel quinta sub pia memoria Justiniani confecta, diversis vicibus damnati leguntur, ego meaque ecclesia eorumdem venerandam Patrum auctoritatem sequentes, insolubili damnatione percellimus; nec non et omnes, quos beatae recordationis Romae urbis Pontifices propter diversos errores vel haereses damnaverunt, damnamus. » Postea subdit: « Profitemur sancti Leonis epistolam ad Flavianum, quae et *Tomus* appellatur, omnesque ejus epistolas inviolabiliter custodire et praedicare etc. » Ex hujus professionis dictamine limpide haurias, Papam ordinandum decretum omisisse de speciali anathemate infligendo Origeni ejusque dogmati; nec amplius in Synodo V. firmatum adversus haereticos, nisi quod antea statutum fuerat in quatuor Conciliis oecumenicis; ita ut magis ac magis dicatur hujusmodi Justiniani Epistola ad Mennam veluti apocrypha nullius habita fuisse momenti in Ecclesia Christi.

Quinimmo ex Epistolae aeque expenso tenore, qui hujusmodi est *in posterum autem ne aliter ordinentur episcopi, nisi prius cum aliis omnibus haereticis, qui de more in editis libellis anathematizantur, Sabellio Ario etc. praedictum etiam Origenem, qui paganorum et arianorum insania laboravit etc:*

duae inferuntur illationes. Prima, in catholica professione a fidelibus exacta adversus haereses non fuisse antea inscriptum Origenis nomen. Aliter haud tanto studio institisset Epistolae Auctor contra hunc virum, ut damnatus haberetur. Secunda, nullimode probari post decreti sanctionem, hanc damnationem ratam et acceptam fuisse ab iis, qui confessione speciali fidem catholicam coram Ecclesia profitebantur.

Attamen silentio nolim praeterire, in citato Libro tres recitari fidei professiones ab eisdem Pontificibus emittendas. Quarum prima et tertia fere eodem tenore et sensu dictantur; ubi tamen omittitur nomen et anathema Origenis. Secunda vero, quamvis et eamdem praeferat aetatem, ob notas singulares valde differt a ceteris. Differentia vero potissima instituitur in recensione Synodi V. et VI. oecumenicae. Ubi legitur post quatuor Concilia quintum congregatum esse: « Cujus salutari consultu unus de sanctissima Trinitate Dominus noster Jesus Christus praedicatus est: et confundentes ac dividentes sacrum ejus Incarnationis arcanum, istius vocis spirituali mucrone prostrati sunt. In hoc Origenes cum impiis discipulis et sequacibus Didymo et Evagrio, et qui Creatorem omnium Deum, et omnem rationabilem ejus creaturam gentilibus fabulis prosecuti sunt, aeternae sunt condemnationi submissi. »

Deinde subditur, Theodorum mopsuestenum atque Diodorum seminestorianos sicuti Ibae Epistolam et Scripta Theodoreti, Severum acephalum cum Petro et Zoara ceterisque consortibus pariter in eadem Synodo anathematizatos fuisse: « Inter haec, postea addit, veneranda quinque Concilia, sextum Concilium praedicamus in Urbe regia sub Constantino celebratum contra auctores haeretici dogmatis Sergium, Pyrrum, Paulum et Petrum constantinopolitanos una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit: pariterque Theodorum Pharanitanum, et Cyrum alexandrinum cum eorum imitatoribus, simulque et hos, qui haeretica dogmata contra veritatem fidei synodaliter declaratam atque praedicatam, pertinaciter defendebant. » In fine concludit: « Unde et districti anathematis interdictioni subjicimus, siquis unquam sive nos, sive est alius, qui novum aliquid

praesumat contra ejusmodi evangelicam traditionem, et orthodoxae fidei christianaeque religionis integritatem, vel quidquam contrarium annitendo immutare, sive subtrahere de integritate fidei nostrae tentaverit, vel ausu sacrilego hoc praesumentibus consentire etc. »

De hac autem fidei professione quaedam notanda existimo. Primum, quod vidit Garnerius, tria ista fidei professionis genera a Pontificibus Romanis emittendae, aetate parum, ut dixi, inter se distant. Et amplius, si his tribus addatur altera in ipso *Libro Diurno* pro episcopis instituta, omnes fere eodem tempore, idest post Synodum oecumenicam sextam circa an. 685. praescriptas fuisse comperitur. Quamvis autem circa tempus expletionis earum, parum istae distent, nihilominus quae ab Auctore hujus Libri dicitur secunda, et ubi damnati nominantur Origenes, Didymus et Evagrius in Concilio V. et Honorius Papa cum monothelitis in Concilio VI. anathematizatus, valde discrepat in ordine expositionis, additis personis anathemati subjectis, ac circumstantiis notatis, quae omittuntur in ceteris professionibus; sicuti in ea, quam Garnerius ex Baronio citavit seculo nono in Ecclesia vulgatam, et sic deinceps in sequenti aetate adhibitam.

Praeterea videtur, secunda professio ab ipso tempore, idest ante Synodum septimam inconsiderata mansisse in Ecclesia, ne dicam nunquam in usu fuisse apud latinos speciatim. Primum quippe falsatis comperitur conserta documentis circa Concilii quinti acta; quum hujus professionis concinnator plura introducat discussa et damnata a Patribus, quorum nulla mentio apud scriptores illius aetatis, uti superius late expositum est: secundo ob illud, quod ait de Honorio Papa inter haereticos damnato, *qui pravis monothelitarum assertionibus fomentum impendit.* Quod sane difficillimum reputo, successores ejusdem Pontificis talem adversus eumdem emisisse declarationem admodum Petri Cathedrae indecoram. Quapropter inter commentitia scripta nemo vereatur hanc inscribere fidei professionem.

Porro circa hujus Tractatus tempus, cui desunt Justiniani subscriptio, Consulis nomen, annus etc. binae historicorum invalescunt opiniones, quarum incertitudo ipsius mani-

festat apocryphiam. Uni ad an. 538. alii ad an. 544. circiter amandsrunt. Baronius an. 538. editam putavit: et plures quidem tam intrinsecae quam extrinsecae circumstantiae ad hanc ducunt hypothesim. Victor in Chronico scribit: « Basilio V. C. Cos. Agapeto archiepiscopo Romano Constantinopoli mortuo, Silverius pro eo episcopus ordinatur. Alexandriae vero ecclesiae, Theodosio atque Gajano exulatis, Paulus Prior (Praestor) pro eis zabinnensiotarum, Dioscori haeretici praedecessoris sui depositionem celebrans, palaestino Concilio deponitur, et pro illo Zoilus ordinatur episcopus. » Et hoc ipso anno Zoili ordinationis, inquit Liberatus in Palaestina exortam de Origene et de origenistis quaestionem, eosdemque damnatos in Concilio antiocheno sub Ephraemo patriarcha; ac inde Constantinopolim allatam damnationem tunc sancitam fuisse per Mennam ceterosque ibi degentes episcopos, suffragante Justiniano, ejusque opera Epistolam dictatam adversus hanc haeresim.

Amplius vero Cyrillus monachus in Vita s. Sabbae n. 84. notat Gelasium Sabbae praefecturae successisse in principio decimae quintae Indictionis (circa an. 537. 38): « Qui cum cerneret origenianam luem per multos e conventu suo grassari, de sententia Joannis episcopi et Solitarii, opus (Epistolam puto) sancti Bostrorum episcopi Antipatri contra Origenis dogmata conscriptum in ecclesia legi curavit. Unde commoti etc. » Et ad hoc idem tempus adunatam Synodum antiochenam contra origenistas arbitrantur Justellus aliique. Facundus porro ad hanc eamdem refert aetatem decretum Justiniani in Libro I. c. II. asserens tunc quosdam latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectari; et ob hoc, instante Imperatoris religione, profani dogmatis iteratam fuisse damnationem. Quae subscripta, ut ait Liberatus, a Menna et episcopis in Urbe regia sitis, ad patriarchas Zoilum alexandrinum, Ephraemum antiochenum, Petrum hierosolymitanum et ad Vigilium Papam pro subscriptione mittitur. Quibus exactis, damnatoque Origene, ab hac quaestione supersessum est, inquiunt praefati Facundus et Liberatus, ut alteri de tribus Capitulis disceptationi cederetur locus.

Ceterum, cum hoc anno inter Justinianum et Vigilium tanti momenti negotium urgeret, ut in ipso Tractatu legitur, et Liberatus et Facundus testantur, viderentur ambo et Imperator et Papa nequaquam successivo tempore praetermissuri fuisse quamdam hujus facti memoriam, eo magis quod argumenta mutuo de re ecclesiastica pertractata talem praeferrent analogiam ut, si neuter postea hoc citarit anathematis decretum adversus Origenem, valde de ipsius genuitate suspicandum sit. Et re quidem vera, circa annum 540. Vigilius Papa ad Justinianum scribit, ei admodum gratulatus de sincera ipsius fide, de zelo in ipsa servanda adversus haereses, et praedecessorum Pontificum inhaerendo vestigiis: « In omnibus, ait, comprobantes fidei vestrae libellum, quem nostri obsequii famulatu tunc praedecessori nostro piae recordationis Agapeto pietas vestra orthodoxa devotione contradidit. In his vero, in quibus Mennam fratrem et coepiscopum nostrum memorem libelli sui, quem praedecessori beatae memoriae Agapeto, ordinationis suae tempore, vestrae Clementiae consensu porrexerat, sequentem revera Sedis Apostolicae disciplinam, haereticis inferius comprehensis, idest, Severo, Eutychiano, Petro apameno, Anthimo...... Zoara, sed et Theodosio alexandrino, et Constantino laodicensi, atque Antonio versentano eutychianae haeresis sed et Dioscoro.... et sequacibus anathema dixisse pietas vestra mandavit: in nullo a nobis quidem moleste suscipitur a praedicto fratre nostro vel quolibet alio in haereticos dicta damnatio. »

Item ea ipsa aetate Vigilius Mennae respondens, idem propemodum tangit argumentum in praemissis ad Justinianum litteris expositum, quin nec hinc nec inde vestigium dignoscatur quaestionis origenianae, nec, quod solemne creditur tulisse, anathematis. Etenim praeter nuncupatos haereticos, alios seu Origenem, sive origenistas, qui dicuntur per famosam Epistolam damnati, sicuti de ceteris ait Vigilius, hos quidem haereticos damnatos recensuisset, singillatim eorum repetens nomina: nec ullimode omittendi erant, si revera nota tunc fuisset talis Justiniani Epistola, et si Vigilius acquievisset ejusdem instantiae adversus Origenem. Item quando Vigilius fidei professionem accipit, probatque a Ju-

stiniano emissam adversus haereticos quatuor vel quinque annis antea anathematizatos, si mediante eo ipso tempore, collecta sub Menna Synodo, Origenis errores forent damnati, nec haec damnatio nec damnati nominatim ab eo transigendi videbantur, sicuti ceteros errantes bis nuncupavit Papa.

De reliquo, si studiose Vigilii dictis attendamus in sua epistola expressis, colligendum hinc esset, hanc Papae epistolam circa an. 540. datam, aliud quodcumque scriptum excludere a Justiniano missum et a Vigilio acceptum. Non enim tantummodo gratulatus esset Pontifex Romanus de Justiniani fide et zelo in evellendis praefatis haeresibus, sed pari ac majori gratulatione prosecutus eum esset ob ea, quae adversus Origenis impietates sancivisset. Attamen nec Justiniani Tractatum accepisse, nec ipsi Tractatui subscriptionem suam se apposuisse, ullibi indicat Vigilius in suis litteris. Quapropter augescit dubium, num citata Justiniani Epistola sive Tractatus de Origenis erroribus, omnibus intentis circumstantiis praemissis, dici possit genuinum Justiniani, aut cujusvis probi viri opus, a Menna et ab episcopis probatum, Vigilioque Papae acceptum et sancitum. Et hoc pro iis, qui eodem anno 538. existimant et Synodum et Epistolam adversus Origenem habuisse locum.

Alii vero (in quibus praelucet cl. Cardinalis Norisius in Dissertatione Historica de Synodo V.) fortasse de iis solliciti, quas opposui, argumentationibus, aliisve de causis, contra sentientes, hunc Justiniani Tractatum adversus Origenem, ad annum circiter 544. remittendum esse duxerunt, quando, ut ipse ait Norisius, fervebat quaestio de tribus Capitulis: adversus quae Justinianus summopere studens, ad se vocatis episcopis cum patriarchis, ad illorum damnationem incumbebat. In hoc vero valde mirum quod Imperator, erroribus inscriptis Origeni confutatis, ac perspicue nominatis ceteris haereticis (de quibus supra) de Theodoro vero mopsuesteno, de Ibae Epistola et de Theodoreti Conscriptis adversus Cyrillum siluit omnino. Quod praeclarum indicium est, hujus adversus Origenem Tractatus, alium quam Justinianum, sed quemdam de nomine suo haberi auctorem; et cuidam credendum esse trium Capitulorum defensori, furtive

deinde praeter Justiniani mentem vulgatum in ultionem Theodori Cappadociae et celerorum, qui in Synodo oecumenica pro eorumdem trium Capitulorum damnatione pugnarunt; de quibus infra.

Quanto vero jure haec ego suspicatus sim usque modo; ac ut rem ita se habere amplius constet, eorum conferantur nomina, gesta et aetas censita in hoc Tractatu ex *Breviario* Liberati, et ex Libris Facundi, cum historia ecclesiastica, legibus Chronologiae servatis. In hoc Tractatu citantur Vigilius, Mennas constantinopolitanus, Zoilus alexandrinus, Ephraemus antiochenus, et Petrus hierosolymitanus: ad quos Justinianus misisse dicitur, ut adversus Origenem decreto subscriberent sicuti ceteri episcopi innominati Constantinopoli degentes.

Interea legitur Petrus episcopus Hierosolymorum fatum obiisse supremum circa annum 544. auctore Theophane, quem sequitur Pagius in notis Baronii: eodemque tempore mortuus dicitur Ephraemus antiochenus; quos ambos vidimus subscripsisse Origenis anathemati. Pariter circa istud tempus Vigilius Papa, qui in Tractatu legitur Romae adhuc situs Origenis subscripsisse damnationi, Urbe discessit Constantinopolim aditurus. Ideoque hoc anno, seu ante hujus terminum, Justiniani Tractatum, episcoporum conventum adversus Origenis blasphemias, ac longinquorum patriarcharum subscriptionem locum habuisse necesse foret. Praeterea, stante praefatorum Chronistarum auctoritate, Zoilus, qui istud subsignavit anathema, cathedram alexandrinae ecclesiae ascendit circa an. 543. Quapropter intra unius anni spatium, idest intra 543. et 44. causa origeniana Constantinopoli agitata videretur in Synodo episcoporum sub Mennae praesidentia; ac ideo cum isti hoc anathema decrevissent, eodem Tractatu Romam misso ad Vigilium Papam, Alexandriam ad Zoilum, Antiochiam ad Ephraemum, Hierosolymam ad Petrum, et ab iis accepto, hoc ipso anno dicendum foret confirmatum decretum.

Nihilominus eodem anno Facundus in Libro contra Mocianum tradit, celebratos episcopos, in quibus Zoilum, Constantinopolim advenisse consulturos de tribus Capitulis, quo-

rum quaestio valde urgebat ac sollicitabat Ecclesiae episcopatum. Et ipse Zoilus, ait Facundus in Libro IV. c. IV ad Justinianum, cum Roma Vigilium venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit conquerens, se necessitate fuisse compulsum ad ipsius decreti confirmationem de trium Capitulorum anathemate. Et haec omnia intra unius anni intervallum facta essent: idest eo ipso anno Constantinopoli in Synodo, mandante Imperatore, ac Menna praeside actum foret de Origenis erroribus damnandis; cui damnationi primum subscripsissent cum Menna episcopi ibi adstantes, deinde episcopi, qui non aderant, Vigilius nimirum, Zoilus, Petrus et Ephraemus: iique absentes, accepto hoc Justiniani Tractatu, singuli ex propria regione respondentes, probassent adversus Origenem sanctionem synodalem. Item hoc anno patet Constantinopoli actum esse de tribus Capitulis in Synodo, cui aderant quoque Zoilus, Petrus et Ephraemus. Qui tamen in Tractatu adversus Origenem ab Urbe regia dicuntur hoc ipso tempore dissiti.

Et id sane mirandum quod, veluti dixi, in eo Tractatu praetermissa sit ulla absque nota trium Capitulorum quaestio: cum aliter patentissime constet, aetate eadem et per eosdem viros, qui in causa origeniana ab hoc Tractatus auctore repraesentantur judices, tales haberi, qui pariter adversus tria Capitula disputarunt, ac potissimum Justinianum, cui Tractatus inscribitur. Attamen nec ipse, nec Vigilius, nec Menna, nec Eutychius, nec Eustathius, nec Pelagius apocrisiarius deinde Papa (et qui repraesentatur quoque Origenis causae particeps a trium Capitulorum patronis) nec Pelagius II. nec s. Gregorius, nec isti, inquam, in decretis suis vel mutuis epistolis et quidem genuinis, nec immediate, neque mediate, nec antea, nec tunc, nec postea de quaestione origeniana ullam egerunt mentionem, veluti superius patefactum est.

Quoad autem Vigilii subscriptionem Origenis et origenistarum anathemati circa annum 544. ita ut ubique in orbe christiano, ut par erat, accepta et probata fuisset hujus sectae damnatio; non sunt praetereunda duo concilia, unum aurelianense, alterum arvernense anno circiter 549. aduna-

ta. Quorum canon primus fidei professionem continet episcoporum eisdem adstantium; quique potissimum versatur adversus tunc irrumpentes errores nestorianorum, eutychianorum, acephalorum et similium ab Ecclesia damnatos: « Primo itaque, inquiunt, nefariam sectam, quam auctor male sibi conscius, et a vivo sanctae fidei catholicae fonte discedens, quondam condidit Eutyches, vel siqua a venefico similiter impio sunt prolata Nestorio: quas etiam sectas Sedes Apostolica sancta condemnat; similiter et nos easdem cum suis auctoribus et sectatoribus execrantes, praesentis constitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus, rectum apostolicum in Christi nomine fidei ordinem praedicantes etc. » Ideoque si circa illud tempus Vigilius Papa, qui saepe per epistolas Galliarum praesulibus communicavit, talem emisisset damnationem in Origenem ejusque praesumptos sectatores haereticos, specialem hujus sectae exegisset mentionem et condemnationem veluti recentius sancitam. Proindeque hoc stante duorum conciliorum silentio, valde invalescit opinio Vigilium nullum adversus Origenem tunc sancivisse decretum.

Liberati interim pro tribus pugnantis Capitulis profligatis adversus Origenem insimulationibus, quibus oblique arbitratus est catholicis insidiari, praesertim qui cum Justiniano ea Capitula expugnare piissime ac sapientissime studuerunt: non est praetereundus Facundi sermo in c. IV. Lib. IV. ubi pluribus congestis falsitatibus ad imminuendam Patrum in primo et secundo conventu auctoritatem ac ad Vigilii improbandum Constitutum adversus tria Capitula, talia scribere ausus est.

« His omnibus, inquit, accedit et confessio Domitiani galatae ancyrensis olim episcopi, quem confessum diximus, quod ejus complices origeniani ad Ecclesiae conturbationem haec moliti sunt. Nam in libello, quem ad Vigilium scripsit, conquerens de his, qui contradicebant dogmatibus Origenis asserentis animas humanas ante corpora in quadam beata vita praeextitisse, et omnes, quae fuerant aeterno supplicio destinatae, in pristinam beatitudinem cum diabolo et angelis ejus restitui, dicit etiam haec: *Prosilierunt ad anathematizandos*

sanctissimos et gloriosissimos Doctores sub occasione eorum, quae de praeexistentia et restitutione mota sunt, dogmatum, sub specie quidem Origenis, omnes autem qui ante eum, et post eum fuerunt, sanctos anathematizantes. Hi vero, qui proposuerant hujusmodi dogma defendere, id implere nullo modo voluerunt: sed talem relinquentes conflictum, conversi sunt, ut moverent adversus Theodorum, qui fuit mopsuestenus episcopus; et moliri coepere quatenus anathematizaretur et ipse ad abolitionem, ut putabant, eorum, quae contra Origenem mota constituerant (sive constiterant). »

Alibi manifesta signa prodidimus fallaciae, qua Facundus illudere studuit bonae fidei viris circa disputationis initium de tribus Capitulis, praetexens quam valde origenianam quaestionem. Hic vero ejusdem fallaciae testem vocat Domitianum ancyrensem episcopum, antea monachum palaestinensem, confessum inducens coram Vigilio Papa per litteras, se nimirum fuisse tribus Capitulis adversatum, eo quod Origenes suaque dogmata forent damnata. Ita ut, ceu ipse Facundus putat, nisi Origenes subiisset anathema, tria Capitula accepta et probata fuissent in Ecclesia Catholica: quemadmodum et ludit in Libro contra Mocianum asserens, Vigilium Petri Cathedram ascendisse, ubi Justiniano promisit, se ea Capitula damnaturum; quasi, hac non exacta sponsione, nec Pontifex electus esset, nec Capitula damnasset. Quod utrumque quam absonum sit a veritate, superius dictum est, ubi Vigilius per novissimum Constitutum aperte testatur adversus hanc calumniosam imputationem.

De reliquo, quoad hujusmodi Domitiani confessionem in libello expositam Vigilio Papae, quid peregrinum sane et fere incredibile nobis praebetur. Quapropter primum quis iste Domitianus fuerit, et qualis ipsius fides sincera, ostendit subscriptio, quam apposuit Concilio hierosolymitano adversus acephalos, acceptans quae sub Menna in Synodo constantinopolitana decreta fuerant: *Domitianus presbyter et archimandrita monasterio beati Martyrii, faciens sermonem pro omnibus monachis de eremo sub sancta Civitate, subscripsi et dedi.* Si archimandrita Domitianus haec sensit ac subscripsit cum suis, quomodo suae fidei absurda haec immiscuisse dogmata

putabimus, et sic adhaesisse Origeni? Eo magis quod neutiquam talia docuisse ostendi Origenem; nec invenisse consortes suae doctrinae; nec ideo Domitianum tam audenter conquestum coram Vigilio quare origeniani cum eo moliti essent Theodori mopsuesteni condemnationem ob anathema ipsi Origeni inflictum. Insuper hucusque perspicue patefecimus mopsuesteni damnationem aliunde quam ab origenistis obtinuisse in Ecclesia, nec per livorem, neque ob vindictam, sed quod reapse Theodorus haeretica et impia docuisset, ejusque scripta hoc istud manifeste testarentur. Futilis ergo Facundi assertio.

Magnopere vero nostrum perculit sensum Domitiani querimonia in litteris ad Papam expressa: quod scilicet praesumpta Origenis dogmata respuerentur, ac una cum his absurdis et Origene horum auctore forent quoque anathematizati sanctissimi et gloriosissimi Doctores tanquam ipsius Origenis discipuli suorumque dogmatum patroni. In quo sermone sicuti insana praepollet mens relate ad veteres Ecclesiae Doctores, quasi suppositis Origenis erroribus communicassent, quum nec Origenes errarit, nec Ecclesiae Patres ipsius acquieverint erroribus: ita desipit Facundus cum addit, Origenis patronos, in quibus Domitianum, noluisse ulterius hujus gerere causam; sed potius eos ulcisci, qui Origenis anathema decreverunt, adversus Theodorum mopsuestenum arma vertentes. Demum qui in hoc capite tanta commentus est Facundus ad Vigilii ignominiam et episcoporum in tribus Capitulis anathematizandis, ut infra dicetur, potuit et similibus commentis reliqua adornare de Domitiano, qui cum ceteris catholicis fidem orthodoxam propugnavit, tribus Capitulis refutatis, eorumque defensoribus.

Postquam vero pluribus argumentis contra Liberati et Facundi sententiam statui, Vigilium Papam nunquam Origenis subscripsisse damnationi, diluendum manet quod Cassiodorus in c. I. *De Institutione divinarum Litterarum* scripsit: « Hunc (Origenem) licet tot Patrum impugnet auctoritas; praesenti tamen tempore et a Vigilio Papa viro beatissimo denuo constat esse damnatum. » Et sane ejusmodi testimonium a Scriptore coaevo prolatum, pluris faciendum vi-

deretur, ut dicatur reapse Origenes fuisse tunc damnatus a Vigilio.

Verumtamen non est praetereundum, Cassiodorum hanc in Origenem sententiam mutuatum fuisse a Facundi libris. Quos ipse, utpote vir paulo ante a secularibus negotiis abstractus, ut Deo totus militaret, bona fide ac veneni in iis libris occultati nescius, admisit et altissime commendavit. Et huic assertioni nostrae suffragatur ejusdem Scriptoris dictum in *Conclusione Psalmi* 138. ubi haec loquitur: « Facundus venerabilis episcopus haereticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper ad Justinianum principem scribens, de duabus naturis Domini nostri Jesu Christi duos libellos (deinde in duodecim conversos) caute nimis, luculenterque tractavit. Quos vobis transcriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis tractatoribus, nec modernis. » Itaque cum Cassiodorus Facundi libros transcripserit, et adeo de his senserit, eaque propter posteris commendarit, indubie statuitur ab eisdem decerpsisse quae circa Origenis damnationem ex Vigilii decreto docuit; nec aliunde putandum est, hoc traduxisse in suos libros; siculi non est dubium tanti ideo faciendum esse Cassiodori dictum, quanti fontem, unde illud emanarit. Et cum constiterit falsitate laborare Facundi libros; ita et ab ipso Cassiodoro notata de Vigilii sententia contra Origenem, inter commentitias narrationes esse pariter remittenda.

Porro ex hac incertitudine et scriptorum confusione circa hujus adversus Origenem Epistolae aetatem, varias propter circumstantias et personas, quas hujus Auctor meminit, ac sincerae historiae comparatas vix sibi cohaerentes, factum est, ut recentiores critici valde inter se dissiderent: ac nobis inde amplissima praeberetur occasio de ipsius dubitandi genuitate, ne dicam inter apocrypha scripta recensendi. Ac reapse quot capita tot sententiae. Baronius et Valesius anno circiter 538. tenent damnatum fuisse Origenem et origenistas, et per hunc Tractatum sive Epistolam sancitam damnationem. Et hoc anno dicit Baronius, s. Theodosium coenobiarcham haeresim origenianam aversatum, libellos impulisse adversus origenistas Justiniano porrigendos. Nonnulli, fortasse sibi innotescentibus Vigilii litteris ad Justinianum sub an. 540,

ubi Origenis nomen excluditur, ad annum 543. hunc Tractatum retulerunt: alii annum 544. statuerunt putantes ita omnes tolli difficultates. Evagrius in Histor. Eccles. ad aetatem Synodi V. hanc reportavit damnationem. Cyrillus in Vita s. Sabbae bis putat Origenem subiisse anathema, circa annum nimirum 544. ac deinde in Concilio oecumenico. Quamobrem Caveus in Historia Litteraria cunctis arridens praefatis opinionibus, statuit anno 541. primum Concilium congregatum esse adversus Origenem et origenistas sub Menna: deinde anno 547. in altera Synodo triginta episcoporum innovatam fuisse damnationem; demum in Synodo oecumenica confirmatum anathema. Et hanc pergens viam Caveus omnem putavit sustollere difficultatem: nisi quod ipse ob hanc opinionem non vidit contra se insurgentes non solum Facundum et Liberatum, qui ajunt jam ab anno 544. omnino sepositam fuisse Origenis quaestionem, ut supra dictum est; verum etiam genuina Vigilii et Justiniani scripta, et acta Synodi V. adversus se contendere incessanter.

Post haec, undequaque discussis circumstantiis in hac Epistola sive Tractatu Justiniani ad Mennam adversus Origenem, tum quoad personas haereticorum in hoc notatas, sive quoad episcopos citatos, seu quoad tempus, quo editus fuit, talis repraesentatur nobis, ut dicatur (quisquis fuerit auctor) interpolationes tamen postea subiisse, et Justiniano inscriptus ad auctoritatis augmentum. Seu, ut luculentius inquam, hic Tractatus circa annum 538. ab Antipatri libello regestus est, et Ephraemo Antiocheno, sicuti inferius dicetur, oblatus adversus quosdam praesumptos haereticos origenistas, ac praecipue Theodorum Caesareae Cappadociae episcopum. Quem deinde trium Capitulorum defensores sibi adversarium experti, hunc assumentes Tractatum ac interpolantes Justiniano inscripserunt, Synodi V. actis intrusum sub ejusdem Imperatoris nomine: quin tamen antilogias, in quas occurrissent, intenderent, uti nuper ostendimus. Georgius Cedrenus ita hunc inscribit: « *Litterae Justiniani imperatoris ad sanctam Synodum constantinopolitanam de Origene et sectatoribus ejus etc.* Item eruitur ex Codice Regio 1935. ubi indicatur constituisse partem actorum ejusdem Synodi V.

Porro in odium praesertim Theodori Caesareae Cappadociae, trium Capitulorum defensores, qui cuncta perverterunt hujus Synodi decreta, hunc Tractatum interpolatum Justiniano inscripsisse probatur ab hujus exordio: cujus verba ad litteram desumpta fere eadem sunt, quae Justinianus in *Forma* recitanda misit coram Patribus in Collatione I. quaeque ita sonant: « In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, Imperator Caesar Flavius Justinianus etc. Semper studium fuit orthodoxis, et piis imperatoribus patribus nostris, pro tempore exortas haereses per congregationem religiosissimorum episcoporum amputare, et recta fide sincera praedicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. » Similiter in Tractatus adversus Origenem initio inquit Justinianus: « Nobis semper studio fuit, atque etiam nunc est, rectam et irreprehensibilem Christianorum fidem, statumque sanctissimae Dei Catholicae et Apostolicae Ecclesiae perturbationum expertem usquequaque custodiri. » Circa autem hujus generis falsationes per trium Capitulorum defensores genuinis inlatas scriptis praesertim Justiniani et Vigilii, plura et amplissima in sequentibus proferentur exempla.

Quae vero hucusque dicta sunt, cuncta eo intendunt, ne putetur Justinianum hujus Epistolae auctorem sive fautorem haberi: neque hoc opus concinnasse Pelagium diaconum cum esset apocrisiarius apud Imperatorem; nec consequenter huic subscripsisse Epistolae patriarchas, episcopos et praesertim Vigilium Papam; atque ideo concludatur frustra laborasse recentiores, magna hoc scriptum cumulantes auctoritate veluti partem constituens Synodi V.

His exactis de aetate et auctore hujus Epistolae, et ad novissimum caput mandatis, quae de quaestione origeniana instaurata dicuntur, cum superessent singillatim discutiendae hujus Tractatus partes, super quas cadit Origenis insimulatio, jam in praemissis prima, secunda et tertia Parte satis disputatum est; ita ut hoc in loco de his ulterius contendere inanis esset labor. Solummodo istud notare praestet, hujus Epistolae concinnatorem omnia, quae scribit de Origene, mutuatum esse a Theophilo alexandrino: in quibus illud falsissimum, quod ait Origenem Alexandriae blasphema populo con-

cionantem ab Heracla expulsum, in Palaestinam dein abiisse, alioque semina haeretica et impia saturum. Verum ut summatim dicam, hunc Tractatum sive Epistolam, quaquaversus eam consideres, sive auctorem, sive personas ibi citatas, sive testimonia in ea congesta, vel historiae consertum, aut graecorum Patrum interpretationem, vel aetatis rerumque nexum, aut locutionis congruentiam, seu demum scopum ipsius universum ab imo ad summum inspicias; falsitatibus superstructum totum hoc probabis opus; et injuriosissimus Origeni libellus ex quolibet latere tibi patefiet.

CAPUT XIV.

Facundi hermianensis, ferventissimi trium Capitulorum vindicis et Origenis hostis, scripta, Vigilii Papae et Patrum synodalium comparata statutis in praefatorum Capitulorum damnatione: unde unius idest Facundi error, dolus et perfidia revelantur, et aliorum animi integritas fulget, sinceraque fides.

Ab hujus capitis initio tanquam nostrarum disquisitionum scopus, et propugnaculum, et victoriae signum adversus trium Capitulorum defensores, et recentiores quoscumque bona vel mala fide illusos in hac quaestione, Vigilii Papae praemittantur dicta in n. 24. Constituti novissimi, quibus ita alloquitur adversariis: « *Cedat itaque impudentia perversorum tam eutychianae haereseos, quam nestorianae sequacium, qui haeretica fraude nituntur suadere, quod quilibet in chalcedonensi Synodo residens de illa ad Marim Persam Epistola totius impietatis plena, aliquid orthodoxum dicere, aut sentire potuerit.* »

Haud satis arbitror in trium Capitulorum causa, Vigilii sagacitatem posse patefieri, et amplius eam contra Pontificatus Romani hostes per omnia clarescere; nisi in Facundi, qui oppositionis et schismatis princeps designatur, et undique surgit acerrimus Vigilii vellicator, accurate investigando sensus; et una Patrum, quos citavit explanavitque, testimonia conferendo. Istud porro eo magis opportunum et necessarium duco, quo patentius innotuerit, Facundum in duodecim Justiniano commendatis libris (quibus postea alia addidit scripta pro pertinaciae suae tutamine) arbitrarie et praeter genuinum sensum, Patrum dicta esse interpretatum. Quibus omnibus putavit una cum Sebastiano et Rustico vexillum extollere oppositionis, seque suosque ab Ecclesiae Catholicae sinu abstrahere: nisi quod fatendum sit, ipsum ibi totius aedificii sui basim adversus Pontificatum Romanum statuere, ubi ignorantia primum, deinde calumnia praepollent et perfidia.

Ac interim praecedat, quod tria Capitula defendentes jactant veluti suae tesseram professionis, et quo refluunt singula illorum argumenta, idest Synodum chalcedonensem pronunciasse et approbasse catholicam, sive catholicum sensum praeseferentem Ibae inscriptam Epistolam ad Marim Persam. Ferrandus prior in litteris ad Pelagium et Anatolium n. 4. clamavit: « Quid, si procedentes e tumulis suis (Patres chalcedonenses) coram Deo, cui vivunt, apud quem fideliter requiescunt, in novissima resurrectione dicant: *Viri religiosi cur Epistolam reprobastis, cujus catholicam dictionem sensimus, diximus, judicamus, et judicium nostrum subscribendo firmavimus?* Item Liberatus in c. XIII. *Breviarii* addit: « Sed et gesta apud Domnum episcopum Antiochiae prius habita, nec non et ipsius Ibae Epistola ad Marim Persam scripta in eadem Actione X. *orthodoxa pronuntiata monstratur.* Et ex ejus tenore dignus judicatus est Ibas episcopatum, suamque ecclesiam recipere. » Facundus porro hermianensis veluti fundamentum totius Operis hoc idem adstruit, Synodum chalcedonensem approbasse orthodoxam Ibae Epistolam ad Marim.

Cum autem ostensum fuerit ipsum sicuti et praefatos non probe Patrum chalcedonensium interpretatos esse sensum, verum corrupisse, tunc necessario haec sequentur. Quoties Facundus affirmavit, Synodum chalcedonensem Ibae Epistolam declarasse orthodoxam, toties erravit. Et sicubi in duodecim libris Justiniano dicatis et in libro adversus Mocianum, hanc iteravit sententiam, ita et in omnibus illusus est. Et amplius posteaquam hanc sententiam in omnibus cujusque libri capitibus iteravit; sic et in omnibus his decipi passus est. Ac demum sicuti praesumptum Synodi chalcedonensis erga hanc Epistolam judicium ceu basim et culmen consideravit totius discussionis adversus Vigilii Judicatum; ita diruto fundamento, ruit aedificium; ac frustra patefiet laborasse Facundum.

His praemissis, haud taedeat lectorem audire (quomodocumque Facundus clamet, obtrectet, blateret, adversus Justinianum et Episcopatum Catholicum tribus Capitulis infensos) jam, priusquam Vigilius Urbem regiam appeteret, episcopos adunatos, in quibus Constantinopoleos, Alexandriae, Hiero-

solymorum et Antiochiae patriarchas, ea damnasse Capitula, et quidem iis cautionibus, eo ordine, eoque intuitu, quibus paulo post, teste ipso Facundo, damnavit Vigilius in Judicato, suffragantibus septuaginta fere episcopis; et quemadmodum demum in oecumenica Synodo V. anathematizata sunt, sancitumque anathema per Vigilii Constitutum. Quamvis porro haec brevi sermone enarret Facundus, defectus tamen suppletur a Ferrando diacono ecclesiae chartaginensis, qui in epistola ad Pelagium et Anatolium diaconos urbis Romae, respondet de proposita sibi ab eis horum Capitulorum damnatione. Hanc vero epistolam hic transcribam causa illius discutiendi sensum argumento aptum, et facilius Episcopi hermianensis, quam intexuit, interpretationem diluendi pro suo scopo elaboratam.

Sed antea opportune nostrae proficit discussioni Chiffleti animadversio (qui primus has edidit litteras) cur scilicet in his tantummodo de Epistola Ibae tractetur seorsim a Theodori mopsuesteni et Theodoreti Scriptis : « In hac Ferrandi epistola, inquit, quum nihil inveneris de Theodoro mopsuesteno, aut Theodoreto sed tantum de Epistola Ibae, nos tamen dubites velim, quin omnium trium Capitulorum defensionem contineat. Etenim quum Ibas in Epistola et Theodorum mopsuestenum laudet magnopere, et ipsis Theodoreti aculeis Cyrillum alexandrinum sanctum antistitem perstringat; apparet hanc Epistolam, trium, de quibus agitur, Capitulorum argumenta fuisse complexam. » His praemissis de Ferrandi epistola, illius sequamur dictatum.

« *Dominis beatissimis et devotis et obsequiis venerabiliter prosequendis sanctis fratribus condiaconis Pelagio et Anatolio Ferrandus exiguus.*

« Valde maximas sum passus angustias, quando scripta vestra suscepimus : cujus perturbationis indicium longa taciturnitas fuit. Nam si considerare dignemini quam festinus esse soleam semper ad obediendum jussionibus vestris, non minori devotioni responsionis hujus deputabitis moras. Quare enim diu silerem, nisi trepidarem non veritatem dicere de quaestione nuper exorta, silentibus sed adhuc africanis ecclesiis, ante tempus proferre sermonem ? Simpliciter tamen, compellente

jussione vestra, quod credimus loquimur; ut scire dignemini, quia vobiscum corde, vobiscum fide, vobiscum secundum bonam spem, vobiscum in caritate non ficta. Quaecumque enim sapienter, breviter, veraciter intimatis, eadem credimus, eadem sentimus, eadem loquimur.

« Verbis apostolicis suadeam ministros Sedis Apostolicae gloriosos : *state et tenete traditiones, quas didicistis*. Non expedit antiquorum Patrum, qui chalcedonensi noscuntur interfuisse Concilio, vituperari deliberationem, retractari judicium, mutari sententiam; ne Synodus venerabilis apud omnes ecclesias Orientis et Occidentis per annos tam plurimos sine aliqua dubitatione firmata, perdat subito reverentiam suam......

Deinde n. VIII. « Potest unusquisque rectam praedicans fidem, quod sentit scribere, non tamen ad subscribendum, quae ipse scripserat, alios provocare. Quanta laboraverunt in praedicatione Verbi post Apostolos sanctissimi illi praeclarique Doctores, quibus per Spiritum sapientiae et scientiae concesserat Dominus docere catholicos, et haereticos expugnare? Libros tamen suos a nemine subscriptos posteris reliquerunt. Considerans quid beatus Apostolus moneat: *Prophetae duo vel tres dicant, vel ceteri examinent*. Numquid dixit, subscribant aut subscribere compellantur? Diligentius examinare quae dicta sunt, jubet, ne consensus facilis incurrat errorem. Sit unicuique liberum, postquam legerit quod unus homo dictavit, non ita dicta ejus accipere quasi canonicas Scripturas; sed cogitare quid eligat, quid sequatur statim, quid prudentioribus arbitretur fratribus conferendum. Nulla fiat necessitas generare sibi praejudicium subscribendi, ne aliud postea sentiat......

« Sola enim sunt, ut superius diximus in canonicis Libris praecepta divina, et in generalibus Synodis paterna decreta non refutanda, nec respuenda .... Consilium Matris in universalibus Conciliis continetur, ubi propterea, qui conveniunt, tales sacerdotes statuta sua subscribunt, ut dubium non relinquatur a quibus est habita disputatio. Ceterum praeter illos, qui statuunt, quae statuenda sunt, nullus cogit ultra rescribere; sufficere enim judicatur ad plenam confirmationem,

si perducta in notitiam totius Ecclesiae, nullum offendiculum moveant, vel scandalum fratribus; sed apostolicae fidei convenire firmentur, Apostolicae Sedis roborata consensu.

« Dignetur ergo beatitudo vestra tres istas regulas ordine et sermone, quo potuimus, intimatas diligenter attendere et, si nostra placet humilis persuasio, custodire. *Ut Concilii chalcedonensis vel similium nulla retractatio placea: sed quae semel statuta sunt, intemerata serventur. Ut pro mortuis fratribus nulla generentur inter vos scandala. Ut nullus libro suo per subscriptiones plurimorum dare velit auctoritatem, quam solis canonicis Libris Ecclesia Catholica detulit.* Illud quoque tranquillitati ecclesiarum proficere poterit, *si nullus velit praescribere quid sequitur Ecclesia; sed tenere quod docet Ecclesia* ...... Ecce interrogatus propter obedientiam silere non potui, respondens magistris discipulus, doctis indoctus, majoribus minor etc. »

Quivis sane oculo sagaci hanc percurrat epistolam, amplius viderit firmari quae ab initio statui circa Vigilii Judicatum, ac ejusdem tenorem. Quod etsi hucusque desideretur in sua integritate; nihilominus ex litteris ejusdem ad Rusticum et Sebastianum universim erui posse ostendi. Nunc vero ex Ferrandi responso ad praefatos diaconos Pelagium et Anatolium, majori lumine cumulatur, ut luculentius innotescat, quae Vigilius egit, quaeque decrevit, et quali circumspectione ideo usus sit propter tunc Orientis et Occidentis agitatos animos de hac controversia, aliis propugnantibus, expugnantibus aliis tria famosa Capitula. Compererit, inquam, Vigilium illa Capitula damnasse, nec invitum, nec dolo captum, nec in Caesaris gratiam, neque ob ejusdem metum: sed consilio usum proprio, et aliis suffragantibus episcopis una cum diaconis Ecclesiae Romanae Anatolio et Pelagio, qui Vigilio successit in Pontificatu.

Et quidem, etsi rato horum Capitulorum anathemate, Vigilium tamen patet absolute sanxisse, hoc stante anathemate, integram manere definitionem Synodi chalcedonensis; aut melius, decrevisse anathema in Theodorum mopsuestenum jam defunctum et in omnes suos libros ac in Epistolam ad Marim Persam Ibae adscriptam, et prava Conscripta Theodo-

reti, salva utriusque persona inter orthodoxos habita, eodem modo eodemque sensu, quo antea in Synodo chalcedonensi et postea in constantinopolitana fuit et a Catholica Ecclesia acceptum. Et istud eruitur ex citato Ferrandi responso, ubi exemplari Judicati per citatos diaconos ad eum misso, sensum suum circa eadem Capitula opponit, docens non esse retractanda statuta Synodi chalcedonensis, non esse mortuos anathemati subjiciendos, nec praescribendam ipsius Synodi definitionem: quibuscum comprehenditur quidquid in Judicato Vigilii fuerat constitutum.

Item amplissime ex Ferrandi ipsius epistola et specialim ex his, *ut nullus libro dare velit auctoritatem per subscriptiones plurimorum*, numerus clare patefiet episcoporum, qui prius trium Capitulorum subscripserant damnationi in Justiniani edicto declaratae. In quibus episcopis, dixi, eminuit diaconus Pelagius antea apud Imperatorem apocrisiarius. Qui Vigilio succedens in Pontificatu, ejusdem inhaerens decreto, eisdemque conditionibus accipiens, adversus procaces trium Capitulorum defensores, et hinc pontificiae contemptores auctoritatis, alacriter restitit, quoscumque extra quatuor Synodorum fidem abeuntes anathematizans, ac una schismaticos vocans, qui sententiam refutarunt quintae Synodi.

Similiter ex eisdem Ferrandi verbis, *si nullus velit praescribere quid sequitur Ecclesia*, constat jam Vigilium praeisse oppositorum sensibus, ideo statuentem, anathematizatis tribus Capitulis, nullam fieri praescriptionem Synodo chalcedonensi. Futilis namque haec erat et vana praesumptio ipsa Capitula defendentium. Nullam praescriptionem instituit Vigilius in Judicato: nulla Patribus chalcedonensibus irrogata est injuria. Hoc recte sensit Vigilius et cum eo ceteri non orientales tantum sed et occidentales episcopi Constantinopolim profecti. Et hoc idem erat, quod deinde in Synodo oecumenica ex veterum testimonio amplius comprobatum fuit, ideo congregata ut dissidia cessarent, et illusi pavidi et dubii componerentur animi, tollerenturque scandala, praesertim in Illyrici et Africae ecclesiis invalescentia.

Ac interim, obiter notetur, sinceris hujusmodi et Vigilii Papae et Ferrandi positis testificationibus circa initium de

tribus Capitulis quaestionis, necessario sequitur, litteras ab Italiae clericis directas Legatis Constantinopolim proficiscentibus, ad eam pertinere apocryphorum libellorum classem, qui ab ipso Vigilio, a Pelagio I. a Pelagio II. et a s. Gregorio Magno memorantur ac una damnantur uti scandalorum et schismatum fontes; et quorum ubique fraus detegitur; et quorum auctores ubicumque culpantur fraudulenti.

Cum autem in his plurimum nostra intersit maledicae Facundi linguae, qua saepissime Vigilium impetit, obtundere fervorem, lectori objiciam, quomodo ipse epistolam Pelagii et Anatolii ad Ferrandum de trium Capitulorum damnatione juxta Judicati formulam, et istius responsum ad eosdem, interpretetur in Libro IV. c. III. Scribit enim: « Nec ergo civilis haec causa credenda est; nec talis, quae pro ecclesiarum pace ferenda sit, sed quae merito judicetur contra ipsius catholicae fidei statum, haereticorum surreptione commota; pro qua pars maxima orbis christiani, qua potuit, primum inter primos christianos sacerdotem publica contestatione pulsavit. Et romana quidem universitas atque Africa, priusquam Romani Antistitis acceperimus epistolam, non parvo jam cognoveramus indicio, quid de hujus facti novitate sentirent. Nam venerabilis Pelagius et Anatolius romani diaconi, debitam officio suo et loco sollicitudinem pro Ecclesia Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriae Ferrando chartaginensi diacono scripserunt, ut habito de hac causa diligenti tractatu cum reverendissimo ejusdem ecclesiae chartaginensis episcopo, vel aliis, quos et zelum Dei et divinae Scripturae sciret habere notitiam, consulentibus responderet, quid observandum in commune omnibus videretur. In ipsa vero consultationis epistola non tacetur, quod haec immissione acephalorum, quos, ut diximus, semieutychianos significantius appellare possumus, contra calchedonense Concilium et decreta Papae Leonis mota fuerint per eos, qui sub nomine catholico ipsorum parti studium praebent. Sed et ille, qui consultus fuerat, rescribens interrogantibus, retractandam non esse docuit Epistolam, quam universalis Synodus approbavit: quoniam si fieret, non ipsius tantum, sed omnium conciliorum statuta deducerentur in dubium. »

His praemissis, ut perfidia magis pateat Facundi in citandis aliorum scriptis, et interpolando eorum sensu, quamvis desideretur Pelagii et Anatolii epistola ad Ferrandum, nihilominus supersunt adhuc responsionis litterae, quas ipse Ferrandus dedit praefatis diaconis: unde exponere licet quidquid ipsi ex Vigilii et Justiniani mandato significarunt eidem Ferrando de trium Capitulorum damnatione. Patet enim, et paulo ante dixi, formulam in ipsa epistola contineri Judicati, quacum ea Capitula anathematizata fuerunt a Vigilio: quae formula subscripta ab ipso Papa et Constantinopoli repertis, longinquis committenda erat episcopis pro adhaesione. Et hoc eruitur ex ipsius Ferrandi responso: ex quo amplius et Judicati sensus elucent, Vigiliique sapientia, unde, praemisso Capitulorum anathemate, incolumis in omnibus suis partibus supererat fides Synodi chalcedonensis; ita ut nihil novi a cunctis crederetur fuisse, nec ullum praescriptionis genus ipsi Synodo perpetratum.

Facundus vero, cum ei displiceret amborum diaconorum Epistola, negativam Ferrandi responsionem complexus, varimode pro lubitu suo, unam et alteram citans, interpretatus est, partim genuinum Pelagii et Anatolii epistolae sensum corrumpens, partim addens, quae Ferrandus non scripsit. Et clare hoc comprehenditur ubi dicit Facundus, hanc trium Capitulorum quaestionem et hinc damnationem, haereticorum fuisse surreptione commotam et speciatim ab haereticis acephalis et origenistis; quod prorsus falsissimum est, sicuti in praemissis discussionibus ostendimus tum relate ad Mennam, tum ad Justinianum aliosve episcopos et maxime relate ad Theodorum Cappadociae. Non enim acephalos, nec haereticos cujusque generis tunc novit Ecclesia in Capitulorum damnatione consortes; neque ex his sermonem instituisse Ferrandum patet. Sicuti falsum est hos, quos acephalos vocat Facundus, hanc immisisse quaestionem contra fidelia Synodi chalcedonensis statuta: cum jam praeclarissime, etiamsi tribus Capitulis damnatis, firmam tamen et in suo tenore integram servari illius Concilii fidem, una cum Vigilio ceteri, qui convenerant, jure declararunt antistites.

Similiter errat Facundus: scribentes enim duo diaconi Ferrando non pro consultatione egerunt, quantum pro adhaesione Judicato praestanda, sicuti et plures jam praestiterint, subscribendo scilicet trium Capitulorum anathemati. Et ad hoc Pelagii et Anatolii intendebat Epistola, uti constat ex Ferrandi responso dicentis: « Potest unusquisque rectam praedicans fidem, quod sentit scribere; non tamen ad subscribendum, quae ipse scripserat, alios provocare... Diligentius examinare quae dicta sunt, jubet Apostolus, ne consensus facilis incurrat errorem .... Nulla fiat necessitas generare sibi praejudicium subscribendo, ne aliud postea sentiat etc. » Facundus tamen aliter considerans Ferrandi et hinc diaconorum romanorum dicta, praesumit, hos eidem Ferrando scripsisse, *ut habito de hac causa diligenti tractatu cum reverendissimo ejusdem ecclesiae chartaginensis episcopo, vel aliis, quos et zelum fidei et divinae Scripturae sciret habere notitiam consulentibus responderet, quid observandum in commune omnibus videretur* etc. Verumtamen duo diaconi non discussionem postulabant a Ferrando et ab episcopis africanis, sed adhaesionem et subscriptionem Judicato Vigilii.

Insuper in eo fallitur Facundus quod frustra commentatur acephalorum immissione excitatam fuisse trium Capitulorum damnationem, quasi quotquot anathemati subscripserant, alia notarentur haeresi, adeo ut fatendum foret haereticos contra haereticos tunc stetisse aut diabolum contra diabolum, unde cito solveretur regnum ejus. Hujuscemodi Facundi commentum ab iis adstruitur, quae ipse item illusus scribit in c. I. Libri I. ad Justinianum: « Confessionem tuae fidei, clementissime Imperator, magni Concilii chalcedonensis definitionibus consonantem, et approbavi semper et adversus multorum contradictiones asserui. Nam cum duae nunc ferveant haereses ab eodem Concilio refutatae, quae contentione quidem contrariae, sed detestatione simili, mysterium divinae Incarnationis oppugnant, nestorianorum dico et eutychianorum: quid salubrius, vel quid evidentius adversus utramque haeresim dici potuit, quam quod ipse confessus es: *unum de Trinitate pro nobis crucifixum* ? »

Cum interim ait Facundus ultra annum 548. duas tunc fervere haereses ab eodem Concilio chalcedonensi jam damnatas, Nestorii scilicet et Eutychis, ad supposita acephalorum sive semieutychianorum placita refertur; aut melius inquam, in his verbis indicat catholicos omnes episcopos cum Papa Vigilio trium Capitulorum subscribentes damnationi. Neque in alios proprie linguam suam improbam acuit Episcopus hermianensis. « Nullus enim post Anthimi, Zoarae et sociorum anathema, sive post Theodorae augustae obitum, nullus de fide quaestiones in Orientis partibus, Deo miserante, formidet, » scribebat Pelagius I. Et undenam idcirco, ut praesumit Facundus, duarum haeresum fervor eo ipso tempore invalescens? Ac undenam tunc duae haereses Incarnationis mysterium oppugnantes? Quando et Pelagius II. in litteris ad Eliam et Istriae episcopos, tunc solummodo Ecclesiae perturbatores haberi ait, qui tria Capitula defendebant; eosque ab Ecclesia Catholica separatos, propriam et aliorum provocare perditionem? Et ab his tantum dicit, tot fuisse mala subsecuta. Quod luculentius iterat in exordio epistolae III. ad eosdem inquiens.

« Ecce in cunctis mundi partibus sancta et universalis Ecclesia unitatis suae radiis fulget; sed tamen adhuc umbram vestrae divisionis (schismaticos ait trium Capitulorum defensores) sustinet. Ubique in fidei statu perdurat: sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat. » Ac deinde s. Gregorius Magnus idem statuit scribens ad Secundinum, eumque confirmat de omnimoda ecclesiarum orientalium concordia in acceptandis quatuor Synodis: « *Quia praedictae sanctissimae Orientis ecclesiae uno sensu, una doctrina fidem ejusdem sanctae memoriae Leonis tenent; sanctamque chalcedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, ut nullus esse episcopus reputetur, qui ejusdem Synodi defensor sectatorque non fuerit.* » Ideoque cum dicat Facundus, hac ipsa aetate fervere nestorianorum haereses et eutychianorum, super se et suos hoc revocandum erat.

Istud porro Facundi testimonium de acephalis aut semieutychianis tria Capitula expugnantibus (sub quo nomine, dico, incipiens a Theodoro Caesareae Cappadociae catholi-

cos redarguit) quamvis absurdum reputandum sit; attamen recentiores scriptores valde valde improvidi, hanc a Facundo et Liberato mutuati insimulationem, fere universim arbitrati sunt, horum Capitulorum quaestionem et proscriptionem sub his auspiciis initam fuisse acephalorum: quod quidem nullimode admittendum est. Vigilius enim ab initio usque ad quaestionis terminum, a primo Judicato sive Constituto usque ad novissimum, in quibus tria Capitula condemnavit, nullibi epistolarum aut decretorum suorum significavit, acephalos hanc provocasse contentionem adversus Concilium chalcedonense, sicuti Facundo et sociis in somniis visum est. Sed ex adverso praeclarissime ostendit, ut ab hujus capitis initio praemisi, eutychianae et nestorianae haereseos sequaces Epistolam Ibae inscriptam contendere fuisse in Synodo chalcedonensi orthodoxam probatam et acceptam.

Praeterea notandum est, quatuor patriarchas, ceterosque antistites, qui ab initio tria Capitula anathematizarunt, jam ab anno 536. acephalos cum Anthymo hujus sectae principe pari anathemate condemnasse, aut deinde acta contra eosdem comprobasse: in quibus praesertim eminuit Mennas, qui, Anthymo ideo deposito, Sedi constantinopolitanae subrogatus fuit. Pelagius diaconus et Ecclesiae Romanae apocrisiarius, ex iis, qui acephalos damnarunt, perpetuo hostem se praebuit tribus Capitulis. Similiter Justinianus zelo orthodoxo ardens, a civitatibus acephalos mandans expelli, eodem zelo et fide egit contra trium Capitulorum defensores. Quomodo igitur, ut praetendunt Facundus, Liberatus ceterique, fieri potuit, ut, qui horum Capitulorum decrevere damnationem praefati venerandi sanctique viri, acephalorum impiae sectae participarint, Synodi chalcedonensis et beati Leonis contemptis decretis?

Quapropter, uti decet, perspecta trium Capitulorum impietate, et ea defendentium quoque perfidiam perspicere liceat. Qui, ut ipsorum in mundo opinio invalesceret adversus Vigilii Judicatum, orthodoxos recta sentientes in iis Capitulis anathematizandis, acephalos indigne nuncuparunt: quasi adversus Synodum chalcedonensem talia decrevisset Vigilius et cum eo episcopi. De qua re, cunctis hucusque excussis,

et Patrum et Pontificum Romanorum luculentis assertionibus instauratis, necessario consequitur, ad manifestam calumniam reducendam esse praedictam Façundi et Liberati criminationem. Quinimmo, sedulo animadversa sincera Vigilii in Constituto n. 26. contestatione, vanissima tum constat tria Capitula defendentium illusio quasi, his Capitulis damnatis, non amplius Deus Verbum homo factus, nec gloriosa Virgo Maria praedicaretur Dei Genitrix: sicuti ex adverso dicit, ea ex haereticorum coenoso fonte manasse: « Quorum venena, ait, diuturnis temporibus occulte serpentia, nunc aperta professione manantia, nostros et christianissimi Principis, omniumque orthodoxorum animos permoverunt attendentium, non esse ulterius differenda remedia ubi, per patientiam dissimulatione nutrita, tam magni mali videtur crevisse pernicies. Hoc enim memoratos nestorianos publice et incessanter adstruere nulli venit in dubium, dicentes : « Nos patrem non tam nestorium quam mopsuestenum Theodorum veneramur, ejusque libros tota nostrae devotione mentis amplectimur; nec erit quisquam qui nobis obsistere valeat, cum dogma nostrum sic antiqui doctoris Theodori ubique vulgatis codicibus adstruatur. » Quorum nestorianorum vocibus nonnullus ineruditi vulgi numerus cotidianis diebus prava seductione decipitur. Cum ergo constet amplius per defuncti Theodori nomen atque conscripta, nestorianae haeresis errorem populis intromitti, quam vivus potuit inferre idem Nestorius, non tam negligentiae, quam conniventiae discrimen nos credidimus incursuros; si forte necessariae correctionis, quam periclitantis Ecclesiae dispensatio flagitat, differri ulterius remedia pateremur. »

Et hinc colligito, quanti in hac quaestione aestimanda Facundi suorumque comitum testimonia : et quanta idcirco cautione haec deinde acceptanda erant a veteris historiae interpretibus, ne recentioribus Pontificatus Romani et Ecclesiae Catholicae adversariis offensionis praeberetur occasio.



CAPUT XV.

Peculiari studio diluuntur, quae Facundus Justiniano objicit in Libro IV. et ab eodem discussa in altero Libro adversus Mocianum, universim collata praemissis circa tria praefata Capitula investigationibus.

Post haec expendenda accedunt quas ipse Facundus notat de Judicati historia circumstantias: quasque pro suae perfidiae more interpretatur. Hae porro ex Praefatione colligentur ad Justinianum, ex cc. III. IV. Libri IV. et potissimum ex speciali Libro adversus Mocianum. Ita namque ab initio loquitur ad Imperatorem: « Cum in praejudicium sancti Concilii calchedonensis impugnatores ejus acephali per quosdam subriperent, ut Epistola Ibae edesseni episcopi, quam ad se delatam memorata Synodus catholicam judicavit; sed et Theodorus mopsuestenus, ejusque doctrina, quae in eadem Epistola Ibae laudata est, nec non et quaedam Theodoreti Cyrri episcopi Scripta, qui in praedicto calchedonensi Concilio epistolam dogmaticam Papae Leonis asseruit, sub anathemate damnarentur: hoc opus suadentibus fratribus ad Imperatorem Constantinopoli scripsi. Quo nondum finito et pertractato, adductus est Romanus Episcopus: in cujus examine cum gestis super hac causa disceptaremus, mediante conflictu, interrumpi acta praecepit; et ab universis episcopis, qui aderamus, expetiit, ut scripto quisque responderet, quod ei de his Capitulis videretur. Cum ergo per magistrum officiorum sub gravi necessitate respondere constringerer, vix mihi septem dierum induciae datae sunt, in quibus et erant duo festi. »

Deinde in Libro IV. ad hoc redit argumentum scribens: « Hoc est autem mirabile, ut postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent, quod Ecclesiam Romanam consulerent, et sententiam Vigilii ejus praesulis expectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiserunt censere quod senserit, ante statuentes, ut siquis Theodorum Mopsuestiae cum suis dogmatibus, et Epistolam venerabilis Ibae non anathematizat, anathema sit.

« Sed ecce jam veniens ex itinere, quod ei videbatur edixit, et facti hujus auctori correctionem suae tumultuariae transgressionis indicit: et nisi citius, quod malefactum est auferretur, etiam vendicaturum se esse praedixit, protestans et dicens cum Apostolo: *ne forte quum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem me non vultis.* Propter quod et de vestra Clementia, summis precibus summoque adnisu per suos legatos petit, sicut eum venientem diversae provinciae obtestatae sunt, ne patiamini stare quod factum est. Tale siquidem ipsius facti crimen esse judicavit, ut illo Doctoris gentium testimonio duceret arguendum, quod discipulo Timotheo scribens dicit: *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae; quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.*

« Quid ergo adhuc quaeritur, utrum contra fidem et Synodum calchedonensem factum fuerit, quod dolemus; quando ille, cujus dicebatur expectari sententia, profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipsius facti auctoribus judicaverat arguendas? Denique beatum Dacium mediolanensium episcopum, quem hinc reversum in Sicilia se vidisse perhibuit, et alios consacerdotes suos, sed et venerabilis memoriae Stephanum diaconum, quem Romanae Ecclesiae, cui per Dei gratiam praesidet, hic habuit responsalem, et per multos Ecclesiae filios approbavit, quod se pro hac causa a venerabilis Mennae hujus regiae Civitatis episcopi communione suspenderit; et eos, qui ei communicaverant sub debita satisfactione susceperit. Quod non faceret, nisi contrarium Synodo calchedonensi quod factum est, sicut et alii, judicaret.

« Non autem solos, quos memoravimus, sanctos et venerabiles viros hoc secum judicasse monstravit, quando non tacuit, quod romana quoque universitas egredientem, quod venientem Africa etiam atque Sardinia, quamquam non per eas transierit, per ipsius tamen consiliarium publica cum contestatione pulsaverint, sicut Ellas et Illyricus provinciae, per quas venit, ut nullatenus novitati, quae facta est acquiescat. Non ergo civilis haec causa credenda est, nec talis, quae pro

ecclesiarum pace ferenda sit; sed quae merito judicetur contra ipsius catholicae fidei statum, haereticorum subreptione commota; pro qua maxima pars orbis christiani, quae potuit, primum inter primos christianos sacerdotem publica contestatione pulsavit. Et romana quidem universitas atque Africa priusquam ipsius Romani Antistitis acceperimus epistolam, non parvo jam cognoveramus indicio, quid de ejus facti novitate sentirent . . . . .

« Verum hoc insolitum non est, ut vel Apostolica Sedes temeratores paternae sententiae tanquam excedentes a fide corriperet; vel incontaminati quique, et ab hac praesumptione penitus alieni, contestatione publica de tali facto quererentur, et pronuntiarent, quod si hoc semel admissum fuerit, non tantum calchedonensis, sed omnium Conciliorum definitiones constare non possint. Illud est insuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quod ipsos quoque praesumptores internis conscientiae stimulis fateri coegit ad destructionem Synodi calchedonensis haec fuisse composita.

« Nam primus confirmator eorum Mennas constantinopolitanus episcopus, cum adhuc cunctaretur scripto, sicut praeceptum fuerat, eis praebere consensum, contra Synodum calchedonensem fieri protestatus est. Sed et posteaquam consensit, a praedicto venerabilis memoriae Stephano Ecclesiae Romanae diacono et apocrisiario conventus, cur priori sententiae suae contrarius acquievisset his, quae ante culpaverat, et de quibus se nihil acturum sine Apostolica Sede promiserat, sub ea se conditione cessisse, et juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si haec Romanus Episcopus non probaret. In quo satis se ostendit de judicio potius humano fuisse sollicitum, quam divino . . . Zoilus quoque alexandrinae ecclesiae antistes, cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hic ei, postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios praesentibus, exprobravit. Nec non Effremius antiochenus, cum primum ei mandaretur, ut hoc etiam ipse rescribendo firma-

ret, consentire noluit. At postquam ei denunciatum fuit, quod excludendus esset, nisi faceret, sui potius honoris, quam veritatis dilector inventus est. Quid etiam Petrus hierosolymitanus? Nonne publica notitia refert, quoniam conveniente ad se multitudine monachorum, juratus pronuntiavit, quod si quis eidem decreto novitio consentiret, contra calchedonense Concilium faceret? Nec tamen se ab ejus consensione suspendit.....

« Jam vero de aliarum civitatum episcopis quid loquamur, qui et cum scribere compellerentur, palam reclamaverunt contra magnam Synodum fieri: et post subscriptionem memorato Stephano romano diacono libellos dederunt Sedi Apostolicae transmittendos, confitentes in eis, quod a constantinopolitano episcopo coacti subscriberent: qui si a vestra pietate quaerantur, poterunt et apud vos nostris assertionibus attestari. Unde non solum ipsi, qui haec fecerunt, sed et illi etiam, qui facientibus communicando consentiunt, de ignorantia semetipsos excusare non possunt: et frustra dissimulant, frustra se dicunt nescire, quod factum est, sive lucra temporalia diligentes, sive gratis suas animas negligentes. Cui enim non sufficiat, ad cognoscendum causae meritum, sola confessio transgressorum, et verbis publice facta, et libellis exposita? Manifestos habent errores eorum, qui verisimilibus argumentis, quasi constanter sua errata defendunt: et iste illis incognitus esse potest, auctorum suorum confessione damnatus? »

Deinde sequitur trium Capitulorum damnatores redarguens Origenismi, sicuti antea in Libro I. c. II. praemiserat inquiens, horum Capitulorum expugnatores inquietos et haereticos subvertere nisos decreta Synodi calchedonensis, invenisse desideratam occasionem ex furore quorumdam, qui sub nomine christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur etc. Quam Facundi insimulationem tanquam inanem in praecedentibus refutavimus.

Post haec pergens idem Facundus in Libro adversus Mocianum suas instaurat obtestationes pro tribus Capitulis, et ait: « Ut autem noveritis quomodo in adjutorio Dei, qui nos regit ac dirigit, Augustinum concorditer Hilariumque secte-

mur, nec eos sibi veluti contrarios opponamus, ut altero approbato, alterum improbemus, sed pro causarum diversitate utrumque sectemur, accipite quae in Judicio ipsius Vigilii inter alia fuerim prosecutus, sicuti editae nobis ab officio tertiae Actionis gesta declarant. Peto, inquam, de justitia vestra utrum suscepta sit a Synodo calchedonensi Epistola Ibae, quae velut nestoriana damnata est, inquiratis. Et dum constiterit, non obesse Synodo, quod pars adversa de Theodori persona proponit, sic ea quae proferre volunt, relegi permittatis: ne forte quae aguntur, ad retractationem videantur memoratae Synodi pertinere. Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestrae, non pro Theodori mopsuesteni damnatione me a contradicentium communione subtraxisse. Hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo; nec tantam esse causam judico, pro qua deberemus a communione multitudinis segregari. Sed quia ex persona Theodori Epistolam Ibae nestorianam probare conati sunt, et ex Epistola Ibae Synodum, a qua suscepta est, improbare: in his itaque verbis meis cognoscitis in primis pro statu generalis Synodi me fuisse sollicitum; ne quod acephali semper quaesierunt, in retractationem deducta frangeretur ejus auctoritas......

« Propterea secutus adjeci, dicens ideo me istorum vitasse communionem; quia ex persona Theodori Epistolam Ibae, in qua ejus doctrina laudata est, nestorianam probare conati sunt, et ex Epistola Ibae Synodum, a qua suscepta est, improbare. Nam quae alia causa fuisse dicenda est, ut post centum et viginti suae defunctionis annos damnaretur cum dogmatibus suis episcopus in Ecclesiae pace defunctus, vel Epistola, cujus auctor incertus dicitur? Non enim vel hoc fatentur, quod Ibae sit, sed quod ejus esse dicatur. Aut cur tantorum in hoc episcoporum subscriptio quaereretur, nisi quia non paucorum, sed multitudinis sensus praejudicare posset universo Concilio? Et quoniam Judex hoc se nescire fingebat, petivi simul et dixi: *Hoc ergo primum me demonstrare praecipite, ut doceam false negari, quod a sancta Synodo calchedonensi recepta fuerit, et omnium contradicentium figmenta redarguam; quibus eam in destructionem Synodi calchedonensis, velut impiam damnaverunt.* Sed quoniam occulta ejus

ante Judicium pollicitatio tenebatur, in qua se spopondit eadem Capitula damnaturum, ut se quasi per ignorantiam posset abluere, probationem, quam offerebam, quamque ipse instanter exigere debuit, me facere non permisit. Sed gestis de medio sublatis, quibus causa coeperat aperiri, et interrupto suo judicio, a considentibus episcopis flagitavit, ut quid eis de causa videretur, prolata quisquis in scriptis responsione, signaret.

« Et quia illi episcopi maxime Constantinopolim occurrerant in ejus adventum, quorum nulla in hac causa subscriptio tenebatur, et de sua fuerant integritate securi, per occasionem hujus interrogationis, ipsi quoque separatim compulsi sunt ab adversariis Ecclesiae quomodo dictaverunt in praejudicium magni Concilii respondere. Ac ne postea subtraherent, et quae scripto responderant judicio non offerrent, jam sub prosecutione ipsorum atque custodia palam ad illum deducebantur tradere sua profana et detestanda responsa. Oculis nos vidimus haec: acephalos coram ipso Judice alacres exultantes aspeximus, cum episcopos ad eum adducerent eadem responsa portantes. Et quando haec sic inhaereant cordibus audientium, aut sic ea detestari et lugere possitis, sicut nos, in quorum animis ipsorum malorum adhuc imago versatur ?

« Suscipiens vero ille (Vigilius) memoratas responsiones post aliquot dies ad palatium detulit, atque alteri parti tradidit in praejudicium Synodi calchedonensis cum aliorum chirographis, qui antea subscripserant, reservandas. Verum ne suis traditor videretur, talibus verbis eos fefellit, ut diceret : quid apud nos reservamus ista contraria Synodo calchedonensi responsa, ut inventa quandoque in Ecclesiae Romanae scrinio, a nobis approbata credantur ? Sed adferamus ista in palatium, et quid de illis agant, ipsi jam noverint : quasi ea scindere vel urere non posset, aut per suam evacuare sententiam; vel ipsis, a quibus fuerant data, refundere. Quae nec suscipere ab eis, nec extorquere debuerat, si vere praejudicium generalis Synodi praecavebat. Atque ita solita fictione, fingens ejus praejudicium se cavere, hoc pro voluntate contrariorum fecit : quod ei, si dissimulemus, praejudicet. Quo-

modo enim non praejudicet, si demonstrentur septuaginta circiter episcopi cum Romano Antistite Constantinopoli congregati, ut illos omittam, qui ante subscripserunt, condemnasse cum approbatoribus suis Epistolam a calchedonensi Concilio approbatam? Et illum episcopum, cujus doctrinae laudes in memorato calchedonensi Concilio recitatae sunt, nemine resistente, cum suis dogmatibus anathematizasse post mortem, scientibus ceteris et in eorum communione manentibus? Ob hoc necessarium fuit non modo ab eorum nos communione subtrahere; verum etiam, quia potiorem videbantur in Ecclesia tenere locum, qui primi huic praejudicio, Imperatore jubente, cesserunt, ne ipsorum magis tenenda sententia videretur, commemorare, quod alibi fecimus, quomodo sive Mennas constantinopolitanus, sive Zoilus alexandrinus, sive antiochenus Éphraemius, et Petrus hierosolymitanus, antequam vel consentirent, vel cederent, testati sunt fieri non debere.

« Ob hoc etiam de ipsius episcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulsu, cum fieri arderet episcopus, vel postea venalitate parti alteri factus, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus praejudicium fides vera sufferret. Quod si hoc non fuisset, neque ipse prius universam anathematizasset Ecclesiam, servare nos oportuit sententiam suam, sequi quod nobis praebuit priscae antiquitatis exemplum. Nam priusquam hoc et ipse committeret, scribens de itinere constantinopolitano episcopo, qui praejudicio magnae Synodi primus assensit, sed quem litteris suis praeveniens ait.

« *Quapropter credidimus indicandum, quod dominus filius noster clementissimus Imperator per Leonem illustrem virum nos serenissimis hortatur affatibus, ut pacem, quam Christus Dominus Deus et Salvator noster supra omnia holocausta diligit, vobiscum et cum universis fratribus et coepiscopis nostris, et custodiente stabili firmitate servemus. Quam piissimi Principis adhortationem libenter amplectimur. Sed si pacis bonum, sicut locum sacerdotii tui convenit, sapienter attendas; et advertere et praedicare te necesse est, quae pax in Dei Ecclesia sit tenenda; cum Apostolus, qui Dominum nostrum Spiritum in se loqui perhibuit, ait: Pax Christi, quae exsuperat omnem*

sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras. Ipse autem Christus Deus noster volens perfectae pacis indicia demonstrare, dicit: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Qualem enim mundus dare possit, ipse nos instruit per Prophetam, qui ait, dicentes, pax pax, cum non esset pax. Et illud simili ratione pensemus, quia in Apostolorum Actibus de perfecta pace sic est de credentibus in Domino declaratum, quod erat in illis cor unum et anima una. Multa ergo sunt, quae de terrena et coelesti pace discernenda inveniamus scripta. Quae quia vos non credimus ignorare, sufficiat excerpsisse pauca de plurimis; ut magis tuae fraternitatis possit aestimare judicium, quae pax potius a sacerdotibus sit tenenda.

« Nonne perspicuum est et evidenter apparet ex his, quae memoravimus, quod et ipsi contrarii, qui a nobis in multis dissentiunt, in hoc tamen consentiant, quod in talibus praevaricatorum sit vitanda communio? Et quod illa pax sit tenenda a Dei sacerdotibus in Ecclesia, quae statum ipsius non subvertat Ecclesiae. Subvertitur autem, si ejus de fide generalia constituta decretis aliorum sacerdotum qualibet occasione frangantur. Propter quod et illos, qui talibus communicaverant, veniens in regiam civitatem a communione suspendit. Qui sic rursus in memoratis suis Litteris dicit.

« *Quando nobis non sit incognitum, quia diaconus Stephanus tunc responsalis nostrae, cui per Dei gratiam praesidemus, Ecclesiae, cum plurimis christianis quamdiu vixit, a tua se communione suspenderit: et in siciliensi Insula constituti, fratre et coepiscopo nostro Datio referente, didicimus, quod et ipse et alii consacerdotes nostri, et multi filii Ecclesiae christiani a tua se nihilominus communione subtraxerint. Et dum causas exorti quaereremus scandali, antedictus frater et coepiscopus noster respondit, hoc fraternitatis tuae fecisse personam, quod a nullo decessorum tuorum, decessorumque nostrorum temporibus qualibet fuisset ratione commissum.* Cernis (Mocianae) quod non solus hic Judex ejusque diaconus, sed et Datius mediolanensis episcopus talium praevaricatorum communionem ferendam esse non duxerit. Quid igitur adhuc nobis de hoc quaestio commovetur, unde nec inter contradi-

centes invicem ulla est contradictio; nec inter dissentientes in multis habetur ulla dissensio? Nam Judex (Vigilius) asserit, quod invitus illud protulerit Judicatum. Nos contra respondemus, quod ultro per ambitionem, pollicitatione facta, peccaverit etc. » Hucusque Facundi dicta, quae a nobis peculiari et studiosa disquisitione distringenda sunt (1).

Hujuscemodi porro Facundi insimulationes (quod valde scire interest) in epistola Vigilii ad Rusticum et Sebastianum sicuti liquide notantur, ita praeclare diluuntur, refutantur, conteruntur. Notantur quidem adeo ut videretur unus ab altero calumniosa commenta adversus Pontificem Romanum et episcopos, qui Judicato subscripserant ad trium Capitulorum damnationem, mutuatus esse. Notantur insuper ab eodem Vigilio, ut posteris innotescerent, ne illuderentur a versutis schismaticorum consiliis ea defendentium Capitula; et ne amplius recentiores Romani Pontificatus hostes, ab his falsitatibus capti, magis in Petri Cathedram irrumperent, ipsius contempta auctoritate. Vigilius itaque in praefatis litteris duos diaconos ex primoribus, qui Judicatum sprevere, corripiens ait.

« Ita ergo cunctorum animos, qui vestram malitiam nescierunt, sed tanquam a romanis diaconis suscipientes scripta, simpliciter crediderunt, ad tantum scelus operatio fallaciae vestrae pervenit, ut humanus sanguis in aliquibus locis intra Ecclesiam (quod dici nefas est) funderetur: et omnem legem ecclesiasticam superbo spiritu conculcare voluistis, sanctarum quoque regularum consequentiam injuriis affecistis, impia et quae non sunt licita per universas contra nos provincias fallaciter indicando. Nuper etiam malis vestris addentes pejora prioribus, domnum Leonem praedecessorem nostrum in Theodori mopsuesteni dictis, quae contra fidem rectam legitur scripsisse, consensum praebuisse atque firmasse, dato Scripto ad christianissimum Principem

(1) Infrascripta nomina pro Scriptorum varietate varimode notantur: Chalcedonensis et Calchedonensis: Mompsuestenus et Mopsuestenus: Agapetus et Agapitus: Theodoretus et Theodoritus: Apocrisiarius et Apocrisarius: Ephraemius et Effremius: Datius et Dacius etc.

dominum filium nostrum, ausi fuistis adstruere. Absit ergo quemlibet christianum credere, quod aliquid tale, quod contra rectam fidem a quolibet inveniatur scriptum, illius tanti Praesulis sanctitas suscepisset; quippe qui in universis epistolis suis et Nestorium et Eutychem vel eis similia sapientes, pari legitur sententia condemnasse. In quo memorato Scripto etiam contra divinas Scripturas, non solum Pontificibus multis, sed etiam (quod dici nefas est) ipsi quoque Principi sacrilegas injurias irrogare tentastis; quatenus ignorantem christianum populum diabolica amplius deciperetis astutia. »

Si praemissis Facundi haec conferantur Vigilii dicta, probe ibidem intentis circumstantiis ac personis, videretur ipse Papa recta animadvertisse, ac una refutasse, quae scribit Episcopus hermianensis ad Justinianum contra ipsius Papae Judicatum: quaeque nos diluendi causa huc retulimus. Cum enim Vigilius dicit duos diaconos Scriptum dedisse Justiniano in trium Capitulorum defensionem, quid aliud, nisi Facundi ejusdem cum duobus diaconis factionis, libros intenderit; qui inter alia ausus est asserere, Leonem Papam Epistolam, Ibae inscriptam decrevisse orthodoxam una cum impiis Theodori mopsuesteni scriptis? Ceterum, siquis hoc, quod ait Scriptum Vigilius, Facundi esse negaverit; sermonis tamen consertum idem esse fateri ei necesse erit, ut ideo dicatur Pontifex Sebastiani et Rustici prava redarguens facta et scripta, simul confutare quae Facundus insidiose praesumpsit in praefatis libris ad Justinianum circa gesta ipsius Pontificis et episcoporum, qui Constantinopoli adunati sunt ob trium Capitulorum quaestionem statim ac Papa ad hanc pervenit urbem. Ac interim, cum Vigilius Facundi, Rustici et Sebastiani acta, dictave summatim in hac recensuit epistola, refutavitque, ad majorem discussionis et propositi illustrationem liceat praefati Facundi asserta denuo tractare, ac singillatim expediendo refutare.

Et primum quidem hujus narrationis seriem discurrentes, reperimus vix sibi cohaerere Auctorem, sicuti nec testimonia ab ipso citata apte interpretari, nec aequa lance hujus quaestionis expendere historiam. Sed illud potissimum

est, in quo fallitur Facundus, inquiens anathema trium Capitulorum verae fidei praedicatae in Synodo chalcedonensi praejudicium inferre. Hoc autem plane falsissimum esse superius ostendimus. In Judicato enim Vigilii antea, ac deinde in ipsa Synodo V. damnatis tribus Capitulis, distincte et praeclarissime definitum est, hac stante damnatione, in nulla re imminui fidem et statuta Patrum chalcedonensium: quinimmo firmari amplius patefiet, quod infra a nobis prolixius excutiendum est.

Secundo, valde mirum quod narrat Facundus in Libro IV. de episcopis, qui, antequam Vigilius Constantinopolim veniret, etsi conscii damnationem trium Capitulorum Synodo contraire chalcedonensi, nihilominus anathema firmarunt. Et ex his Facundus ab initio patriarchas Mennam, Zoilum, Ephraemium et Petrum seipsos antea obtestatos inducit adversus hujusmodi condemnationem, ac deinde exactionibus et violentiis cessisse, tria Capitula anathematizantes. Nonne hoc inauditum in historia ecclesiastica, quatuor patriarchas (in quibus Ephraemium doctrina et sanctitate conspicuum) tam pavidos, tam in fide pusillanimes ac tam socordes ob jacturam temporalium bonorum fidem suam prodidisse, et quod intime et conscientiose sentirent, repudiasse? Et non solum praefatos patriarchas ait Facundus, sed et aliarum civitatum episcopos compulsos anathemati subscripsisse, ac una palam reclamasse hoc fieri contra decreta Synodi chalcedonensis. Incredibile sane est, cunctos simul episcopos mandato sive Principis sive acephalorum obtemperantes, quantovis discrimine instante, contra proprium sensum euntes ea Capitula damnasse, munere episcopali spreto, suoque posthabito decore.

Tertio, et hoc valde valde mirificum, quodque intelligentiam nostram superat, Vigilio non multo post, ubi Constantinopolim venit, episcopos praefatos interrogante, quid de his sentirent Capitulis, utque suam scripto exponerent sententiam, eosdem quamvis internis conscientiae stimulis agitatos ob praecedentem subscriptionem contra tria Capitula, denuo tamen, ut ipse ait Facundus, instaurasse anathema, septuaginta, dico, episcopos simul, nullo excepto, temporalia

quaerentes amisisse coelestia, fidei chalcedonensi refragatos. Et quis unquam talia audivit in Ecclesia Christi, septuaginta et amplius episcopos non semel sed bis contra propriam euntes convictionem in re tam gravi reprobasse, quod intime tenebant, et hoc ob Principis indignationis metum? Hujusmodi profecto pusillanimitatis exemplum in historia Ecclesiae peregrinum nemo, arbitror, admittere velit: praeclare sciens quanto contra has insimulationes studio antea in Judicato deinde in Constituto novissimo inclamavit Vigilius, et cum eo Justinianus. Inclamavit Justinianus, qui in *Forma* coram Patribus adunatis legenda, ingenue fatetur, inquiens.

« Nos igitur sequentes Patres, et volentes rectam fidem sine aliqua macula in Dei ecclesiis praedicari, et impiorum resecare conatum, primum quidem, et in vestris degentes ecclesiis, interrogavimus de praedictis tribus Capitulis, et vestram voluntatem nobis manifestam fecistis; pro qua comprobavimus quod indubitanter et cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, et impiam condemnastis. Quoniam vero et post condemnationem a vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam eadem impia tria Capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad regiam Urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem iterum manifestare. Vigilio enim religiosissimo Papa antiquioris Romae, cum pervenisset ad hanc regiam Civitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus, et interrogavimus eum, quid de hac causa sapit. Et ipse non semel, non bis sed etiam saepius in scriptis anathematizavit impia tria Capitula. »

Quarto, nobis insuper satisfacit ejusdem Justiniani epistola (ex Tomo IX. Collectionis Conciliorum, curante Card. Passioneo p. 591.) post Synodum oecumenicam scripta adversus nonnullos adhuc in trium Capitulorum defensione perstantes: ubi haec notanda sunt: « Jam vero quum in hanc sententiam scripseritis, a nobis diligenter curatum esse, ut tria haec Capitula, Theodorus scilicet cum scriptis suis, Epistola, quae dicitur Ibae, Theodoretique pariter Scripta condemnarentur hoc animo, ut voluntati nostrae fieret satis, quod incredibili cupiditate incenderemur, ut ab Ecclesia Catholica separarentur, cognoscite id minime a nobis eorum

causa factum fuisse. Sed primum quidem quod graviter commoti essemus eorum Capitulorum impietate; post autem quia non defuerunt, qui, suppresso Nestorii nomine, Nestorii tamen studentes partibus, erroneam ejus fidem inducere niterentur; Ecclesiaeque tribuere non vererentur eorum Capitum impietatem. Quamquam igitur Capitulorum iniquitas manifesto pateret, tamen nihilo secius Ecclesiae Dei antistites in unum congregantes interrogavimus, quid de eis decernerent esse sentiendum. Qui cum perspicuo testimonio ostendere vellent, ejusmodi errores neque ab Ecclesia probari, neque ullo unquam tempore probatos esse, eam impietatem a sanctis Patribus initio praedamnatam, suo omnes suffragio rursus proscripserunt. »

Quinto, quin Ferrandi epistolam ad Pelagium et Anatolium memorem, ubi ab initio quaestionis de tribus Capitulis, ullam vim episcopis africanis inlatam fuisse perspicue negat; et quin huc Vigilii dicta in Constituto exposita revocem, ubi compertissimis argumentis, et certa scientia, nulla mediante execranda promissione, nec violentia motus inquit ad hanc concessisse Capitulorum damnationem: nonne haec Justiniani sincera et luculenta obtestatio coarguit mendacissimam Facundi insimulationem adversus Principem, et episcopos et Vigilium Pontificem? quasi unus insidiose ac violenter, et arbitrarie egisset, et alii idest antistites mundi potius quam Dei amatores, et hujus vitae bona quam veritatem sectari viderentur?

Dixi de episcopis non esse praesumendam instabilitatem nec pusillanimitatem; et potissimum de duobus patriarchis Ephraemio antiocheno et Petro hierosolymitano, in Ecclesia tunc doctrina et pietate praestantibus. De Petro enim legitur: « Vir praestantissimus, cujus magna fuit fama; famam autem superabat virtus. » Et tantumdem dicendum de Ephraemio, cujus sanctitas et amplissima veterum Patrum eruditio manifestantur in scriptis a Photio memoratis in Cod. 228. Ambo pro fide orthodoxa adversus acephalos sex circiter annos antea ulla absque personarum, quamvis augustarum acceptatione, fortiter dimicarunt anathemati subjicientes Anthimum et socios, etsi auctoritate et favore principum,

praepollere visos. Attamen paulo post ambo tam pavidi, tam infirmi in sententia propria, tam abjecti insimulantur a Facundo, ut unus idest Petrus, cum coram monachis juraverit se nunquam consensurum decreto adversus tria Capitula, postea perjurus bis subscripserit decreto anathematis; et alter Ephraemius, cum prius subscribere noluisset, nihilominus postquam denuntiatum est ei, quod excludendus esset, nisi faceret, sui potius honoris, quam veritatis, dilector inventus, mutata sententia, Capitulorum damnationi adhaeserit.

Sexto, postquam per consuetos paralogismos Facundus uti acephalos inique et frustra nuncupavit trium Capitulorum damnatores, ac Vigilii exprobravit simulationem, et episcoporum instabilitatem, et hinc fidei chalcedonensis abnegationem, nec est quidem praetereundum quod ab initio in Prologo XII. Librorum dicit, se jam Constantinopoli degisse, atque adhuc in Opere de tribus Capitulis elaborando intentum, quando eo adductus est summus Pontifex. Qui, eousque ipso Facundo et aliis episcopis de re disceptantibus, sive mediante conflictu, acta intermitti mandavit, atque ab unoquoque antistitum, qui aderant expetisse, ut scripto quisque responderet quid de his Capitulis sentiret. Hanc Vigilii petitionem, singulis data venia accurate investigandi rem, acceptasse se dicit Facundus, de brevi tantummodo tempore pro responsione conquestus.

Ex praefata interim elocutione patet, Vigilium hucusque nec damnasse, nec defendisse tria Capitula: nec ideo merito antea Mennam ceterosque episcopos corripere potuisse nec quod tria Capitula damnassent, neque cum his Synodum chalcedonensem repudiassent: aliter nec tunc ipsis libere propriam sententiam proferre mandasset. Profecto non potuisset Vigilius quempiam a communione suspendere ob illud, de quo ipse adhuc incertus erat. Idcirco, accepto quod ait Facundus de Menna per Vigilium reprehenso, vel ante vel post adventum suum in Urbem regiam, istud non est intelligendum, nisi ad summum quod anathemati Capitulorum subscripserit Mennas, priusquam Pontifex accederet, ipsoque Papa inaudito; nunquam vero quod ea ipsa Capitula refutarit a Synodo chalcedonensi probata, ut praesumit

Facundus: quod prorsus falsum constat ex eo, quod in Constituto ultimo n. 26. absolute dicit Vigilius, Ibae Epistolam, ubi summa continebatur errorum, *sicuti a nobis, ita et sanctis Patribus in Chalcedona residentibus juste damnatam.*

Septimo, admodum dubitandum est de iis, quae in Libro IV. cc. III. IV. scribit Facundus Vigilium ob ea, quae decreta fuerant adversus tria Capitula ante suum in Urbem regiam ingressum, ex itinere vehementer corripuisse Mennam et episcopos, qui anathemati subscripserunt, et vindicaturum ait, nisi quod male factum est, auferretur. In Libro porro contra Mocianum, resumptis quae in Praefatione statuit de actis a Vigilio interruptis, et de ipsius mandato, ut quisquis episcoporum scripto exponeret quid sentiret, subdit Pontificem ob secretam pollicitationem Justiniano factam de his Capitulis damnandis, non sibi permisisse probare, quod statuit, sed a considentibus episcopis, in quibus et ipse erat, expetivisse scripto tradere propriam sententiam. Ceterum nescio quid Facundus velit asserens, probationem haud sibi a Papa concessam, quando in Prologo et hic ait hanc flagitasse Vigilium, eamque se etsi brevi sermone expositam confecisse. Deinde pergit Facundus ostendens Papam ob hujusmodi conventionem cum Justiniano suos fefellisse, et responsa ab episcopis extorsisse in praejudicium Synodi chalcedonensis. Si reapse Justiniano secrete convenisset Vigilius ab ipsius Pontificatus exordio de tribus damnandis Capitulis, videretur Papa lubenter audivisse, quae contra ea Capitula ab episcopis decreta fuerant, potius quam corripuisse Mennam ceterosque episcopos, additis minis, nisi definita retractarent. Et en homines versatiles in defensione trium Capitulorum, cum pro errore pugnantes, seipsos in sermone collidant.

Octavo, in citato Libro contra Mocianum Facundus citat Vigilii epistolam ad Mennam, quem Papa suo et Datii mediolanensis episcopi nomine corripit de scandalo in Ecclesia excitato, eo quod primus trium Capitulorum damnationi subscripserit, et sic agens, *quod a nullo*, ait, *decessorum tuorum decessorumque nostrorum temporibus qualibet fuisset ratione commissum.* Verumtamen ita locutus Vigilius, semetipsum damnaret, qui primus hoc praestitit scandalum anathe-

matizans tria Capitula, ac postea firmavit per Judicatum statim ac Constantinopolim venit, litteris ideo datis Mennae in horum Capitulorum damnatione, et universae committendis Ecclesiae. Nec aliter quoque mirum quod in iisdem litteris de Datio episcopo narrat, hunc nimirum ideo se subtraxisse a communione Mennae, cum non duxerit talium ferendam esse praevaricatorum communionem. Attamen in Chronico Victoris tununensis, qui et ea Capitula defendebat, legitur Datius omnino consensisse Capitulorum damnationi per Judicatum expositae.

Nono, de patriarcharum atque episcoporum orientalium reluctantia, aut obtestationibus, sive tergiversationibus, quas Facundus scribit illos admisisse priusquam damnationi Capitulorum accederent, sicuti de minis et violentiis, quas passi forent ut subscribere cogerentur: haec omnia a Pelagio II. videntur excludi satis perspicue in litteris ad Eliam aquilejensem et ad Istriae episcopos. Ibi enim Pelagius, seu potius Capitulorum patroni asserunt, Vigilium et episcopos occidentales ab initio obstitisse illorum Capitulorum anathemati, nequaquam vero orientales antistites: qui utpote linguae graecae et codicum graecorum, unde quaestio agitabatur, periti, statim noverunt Capitulorum impietatem, eaque anathematizarunt. Profecto si, qui Pelagio scripserunt episcopi in horum Capitulorum defensionem, novissent praesules orientales una cum occidentalibus obstitisse huic damnationi, non omisissent Pontificis considerationi objicere hujusmodi orientalium reluctantiam, aut vim, aut minas: a quibus tamen abstinuerunt Elias, Istriaeque antistites recensendis quippe falsitati superstructis. Quapropter et hinc patet ejusdem Facundi commentitia narratio.

Decimo, et nostrum excitat stuporem, quod idem Facundus in citato Libro IV. c. IV. Justiniano offert considerandum de Menna, qui primus damnationi assensit Capitulorum, quique episcopos alios coegit subscribere; et ideo eidem Imperatori locutus subdit: *Qui (episcopi) si a vestra pietate quaerantur, poterunt et apud vos nostris assertionibus attestari.* Ac interim per hanc et hujus generis locutiones, quibus suos libros inspersit Facundus, videtur Justinia-

nus ab exordio quaestionis, sive quando primum tria Capitula anathematizata sunt, quasi in hac causa foret gestorum nescius, passive tantummodo se gessisse, nec studiose nec instanter damnationem exegisse ab episcopis horum Capitulorum. Immo Facundus in Libro II. c. I. praevenit, inquiens: « Egerunt enim callide per suos complices, sicut solent adversarii veritatis, ut ea ipsa, quae scribi fecerunt, etiam titulo nominis tui praenotarentur . . . Verum nos illa scripta nolumus tua dici; quae scimus cognitae nobis, tuae fidei contraria. » Et ideo acephalos et origenistas (et quidem dico ego imaginarios) tantummodo incusat, qui hanc in Ecclesia permoverunt quaestionem in Synodi chalcedonensis praejudicium.

Porro in Libro contra Mocianum aliter atque aliter de Justiniano scribit Facundus: testatus, Imperatorem ab initio Vigilii Pontificatus animum jam intendisse adversus tria Capitula, tantaque sollicitudine, zelique fervore, ut, nisi Pontifex sponderet ea anathematizare Capitula, haud Petri Cathedram adscendisset. Et amplius statuit, patriarchas Mennam, Zoilum, Ephraemium, et Petrum primos, *jubente Imperatore*, trium Capitulorum consensisse damnationi. Quam perspicue ergo videas, Facundum in suis narrationibus, circumstantiis ac personis magis quam rei veritati servire. Nomen enim Justiniani alias abscondit in quaestione Capitulorum, eique blanditur; ubi nec participem nec zelatorem inter primos facit hujus condemnationis: alias vero dicit ex Justiniani studio hoc Ecclesiae supervenisse scandalum.

Undecimo, similiter circumquaque vaferrimus Facundi calamus quaerens cui illudat, in Libro contra Mocianum, cujus verba praenotavimus, inquit Vigilium ex itinere scripsisse ad Mennam, hunc de pace servanda hortatum. Et paulo post has litteras revocans (*in memoratis, suis literis*) tanquam earum portionem, quas antea citavit, loquitur de Stephano responsali jam defuncto, qui fuerat trium Capitulorum damnationi adversatus. Item ibidem inducit Vigilium de sua mora locutum in Sicilia, *et in siciliensi insula constituti didicimus*, quot habuerit contradictores Mennas. Ex qua enarratione necessario sequitur has litteras datas fuisse

a Vigilio post discessum a Sicilia, suumque in Urbem regiam ingressum, et ubi de nota quaestione certior factus est. Quapropter epistola, ubi haec narrantur, non est confundenda cum priori ab itinere scripta, sed ad posteram aetatem referenda: proindeque non una et eadem tenenda est, veluti dicit Facundus *in memoratis suis litteris*, verum duae loco et tempore distinctae: una ab itinere data, altera post Papae ingressum in Urbem regiam, et post Stephani apocrisiarii obitum. Tamen constat Pontificem Roma discedentem, Siciliam appulisse, ibique diuturnam egisse moram, donec cessante anno 546. aut initio 547. Constantinopolim venit, ut narrat Procopius. Ac una patet ex Praefatione ejusdem Facundi, et ex Vigilii epistola ad Rusticum et Sebastianum, Papam venientem in Urbem regiam, primum episcopos ibi consuluisse de quaestione, ac deinde litteras dedisse Mennae Judicatum capientes; quocum explicite tria Capitula fuerunt damnata, ac una anathematizati quicumque adversus idem Judicatum insurrexissent.

Quis autem fuerit Stephanus apocrisiarius apud Justinianum, de quo nec in genuinis ejusdem Vigilii actis neque in Libris Procopii *De Bello Gotthico* invenitur mentio, usque modo nescirem. Illud vero constat, quando Facundus dicit, hunc Stephanum Mennae ceterisque episcopis orientalibus exprobrasse, quod ipsi Edicto Justiniani contra tria Capitula subscripserint, eosque ideo libellos dedisse Stephano, ad Vigilium Romam remittendos, priusquam hinc Papa discederet, apocrisiarii munus apud Imperatorem obibat Pelagius. Qui (inquit Procopius Libro III. cc. XV. XVI.) antequam Pontifex circa annum 547. Constantinopolim appelleret, ab hac civitate paulo ante profectus erat, posteaquam trium Capitulorum subscripserat damnationi. Quamobrem, si hoc tempore apocrisiarii munus apud Justinianum gerebat Pelagius, Stephanus, qui a Facundo repraesentatur apocrisiarius apud Imperatorem obtestatus contra episcopos, qui Edictum obsignarunt, et qui libellos accepit ab eis retractationis, Vigilio remittendos, quum adhuc Romae degeret, commentitius nisi in persona saltem relate ad apocrisiarii munus, habendus est. Qui Constantinopoli tria Capitula defendentium su-

scepit partes; ac postea ab eisdem defensoribus in suis scriptis invocatus testis cunctarum calumniosarum imputationum, quas adversarii confinxerant contra Vigilium, contra Justinianum, ceterosque Orientis praesules ob praefatam Capitulorum damnationem.

Duodecimo, item de hac epistola ad Mennam data ex itinere a Vigilio, cujus scopum ostendimus contraire, quae Justinianus de Papae adventu Constantinopolim narrat, et quae Papa dicit in Constituto, non est praetereundum aliud indicium falsitatis ex ejusdem epistolae stilo; qui quodammodo variat ab eo distincto in genuinis Vigilii scriptis; ac potius manum designat ipsius Facundi vel alicujus ex sua parte, ut in antithesim traheretur Papa. Et hujus signum discrepantiae manifestatur, ubi ait Vigilius verbis apostolicis usus: *pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis,* quum aliter eadem verba citet in genuina epistola ad Aurelianum: *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Similiter in eadem epistola legitur vox *responsalis* graeco vocabulo *apocrisiarius* respondens: *quia diaconus Stephanus responsalis nostrae, cui praesidemus, Ecclesiae.* Verumtamen in sinceris epistolis Vigilii nullibi reperitur haec dictio; sed ejus loco ubique inscribitur *apocrisiarius,* uti constat ex litteris ad Rusticum et Sebastianum, et ad Valentinianum. De reliquo, si haec *responsalis* vox non occurrit in scriptis Vigilii ita ut appareat huic Pontifici peregrina; obviam tamen venit libros legentibus Facundi, veluti eidem propria, ac Vigilio inusitata.

Decimo tertio, quod autem dicit Facundus de origenistis veluti trium Capitulorum promotoribus condemnationis, postquam per Justiniani instantiam Origenes item damnatus est, eosque ideo exarsisse adversus Ecclesiam, quomodo ipsam turbarent, ac opera usos esse acephalorum, quibuscum foederati irrupissent adversus Theodorum mopsuestenum, haec superius peculiari tractatu discussa sunt et refutata. Solummodo hoc in loco sufficiat statuere, quae ab eodem notantur Facundo circa Domitiani ancyrensis episcopi libellum ad Vigilium, ubi ipse retractare fingitur Capitulorum damnationem, cui subscripserat coram Justiniano, talem li-

bellum ejusdem generis scriptis jungendum esse, quae ceteri episcopi ab ipso Facundo dicuntur Romam ad Vigilium misisse eodem tempore, eademque de causa: et quorum superius adstruimus falsitatem.

Decimo quarto, illuditur Facundus putans, Vigilium universam anathematizasse Ecclesiam; quum eos tantummodo, qui ipsius aspernati sunt decretum, extra Ecclesiam fecit. Nec ideo anathemati submisit episcopos antea, et deinde in oecumenica Synodo congregatos adversus ipsum Facundum ceterosque trium Capitulorum patronos; nec alios damnavit, qui ultimum Papae Constitutum acceperunt adversus ea Capitula. Ceterum Facundo de pace servanda, quam Christus Ecclesiae reliquit, tam sollicito, illud sibi persuadendum erat, ibi in Ecclesia veram haberi pacem, ubi est Papa Caput et Petra Ecclesiae. Quos autem insuper dicit *praevaricatores et quorum evitanda erat communio*, Vigilium et omnes Synodi quintae Patres Capitulorum damnatores animadvertens, haud ipse Facundus sensit, se per illam comminationem propriae subscripsisse damnationi, qua perpetuo ille suaeque factionis viri subjecti sunt, sicuti Pelagius I. Pelagius II. s. Gregorius post Vigilium decreverunt. Et quorum schismaticorum, sicuti cujusque generis haereticorum, qui jam perierunt, sortem infaustam et scandala hodie recensens etsi lamentetur Ecclesia, exultat tamen de victoria adversus suos et Christi hostes, quippe supra petram solidata et usque ad seculi consummationem perduratura.

Demum quoad praefatas subscriptiones, sive conditionales, sive extortas, seu ex timore aut promissis exactas ab episcopis ac deinde retractatas, ac praesertim quoad Mennam, qui dicitur suspensus a Vigilio, quod tria Capitula anathematizasset, etsi conditionem apposuisset, se hoc anathema recepturum, si Papa non probasset, adversus haec et hujusmodi dicteria illud est indubium, Vigilium, vix Urbem regiam appulit, tria Capitula per *Judicatum* damnasse, et hoc decretum dedisse Mennae ceterisque episcopis et ab iis acceptum, uti evidentissime constat ex litteris ad Rusticum et Sebastianum. Sed et amplius ex his litteris illud mirabile est contra Facundi praesumptionem, quod ibidem dicantur

exprobrati et excommunicati non Mennas nec ceteri episcopi nominati qui ea Capitula damnarunt; sed qui Judicatum spreverunt ea Capitula defendentes, idest praefati duo diaconi idemque Facundus hujus scandali provocatores.

Hucusque varimode declaratum est, Facundum in hujusmodi narrationibus, nec sibi nec aliorum dictis cohaerere praesertim in eo, quod ipse praesumit, Vigilium egisse et ab itinere scribentem, et in Urbe regia moratum ad defensionem trium Capitulorum. Quae vero deinde narrantur in citato libro contra Mocianum de eodem, quasi invitus protulerit Judicatum adversus tria Capitula, de pollicitatione facta Justiniano priusquam eligeretur Pontifex, de tormentis, propter quae cessisset ea Capitula damnans, de sua ignorantia ac de ceteris hujus generis falsitatibus, ulterius speciali diluentur studio.



CAPUT XVI.

Praefatis inanibus Facundi hermianensis discussionibus consentanea expediuntur et refutantur, quae deinde ipse scribit, orthodoxam propugnans doctrinam Epistolae ad Marim Persam Ibae inscriptae, idque ex Synodi chalcedonensis decreto praesumens.

Quod autem summopere nostram repetit curam in Libro V. c. I. collocandum est; ubi Facundus putavit suum erigere defectionis vexillum adversus Vigilii Judicatum. Ille enim ad Justinianum locutus pro trium Capitulorum defensione, diligentem navat operam, ut praedictam sub Ibae nomine Epistolam ostendat fuisse a Patribus chalcedonensibus catholicam susceptam et probatam. Ait enim : « Intende nunc, Auguste, quam manifesta et multiplici ratione hoc etiam demonstratur, quod sequenter me demonstraturum esse promisi, quoniam haereticorum fautores aperto mendacio nos decipere voluerunt, ut dicerent Epistolam Ibae a Concilio calchedonensi non fuisse susceptam. Ubi dum recitaretur, ex praecedentibus gestis apud reverentissimos Photium et Eustachium, atque Uranium episcopos habitis, quae contra memoratum episcopum Ibam protulerat Theophilus diaconus, qui ejus adversarius existebat, considentibus episcopis, talis est data sententia : *Cognovimus ex sententia reverentissimorum episcoporum, Ibam reverentissimum episcopum innoxium demonstratum. Lecta enim ejus Epistola, cognovimus eum esse orthodoxum : et ob hoc decernimus et honorem ei episcopatus; et ecclesiam, de qua injuste et absens expulsus est, instaurari.*

« Vides quomodo nobis haeretici per suos satellites voluerunt illudere, ut hanc Epistolam jactarent susceptam a Concilio non fuisse : cum palam sit, quod ex ejus lectione conscriptor ejus Ibas innoxius et orthodoxus ab ea fuerit judicatus, et ob hoc eum et honorem episcopatus et ecclesiam recipere decreverint, de qua injuste fuit expulsus. Scierunt igitur ecclesiae pietatem ferre non posse, si conde-

mnanda diceretur Epistola, quam Synodus approbavit; vel potius ipsa Synodus, propter quod eam judicavit orthodoxam... Haec igitur scientes et arbitrati quod ita possint in ipsius Epistolae damnationem catholicorum adducere consensus, jactaverunt, quod a magno Concilio suscepta non fuerit; cum in eo rursus pronuntiatum noverimus. *Ex his, quae nuper lecta fuerant, clarum est, quia reverentissimus Ibas innocens est ab omnibus, quae ei illata sunt; et ex relecto rescripto Epistolae, quod prolatum est ab ejus adversario, orthodoxa apparuit ejus dictatio*... Nam et susceptam dicimus; et quod omnino fuerit suscepta monstramus: quia verax semper est Ecclesiae pro veritate defensio, nec unquam fuit indiga falsitatis. »

Quapropter his instans expositionibus in c. V. ejusdem Libri scribit: « Sed quia evidenti ac multiplici documentorum convictione monstratum est, mendaciter negari, quod Epistolam venerabilis Ibae Synodus pronuntiavit orthodoxam; et simul apparuit, quod eam nec beatus Leo nestorianam judicaverit (nam procul dubio etiam manifesta sententia vehementique damnaret) sufficit nobis ad defensionem ipsius Epistolae, quod eam tanta Synodus et ipsius Auctor Synodi, vir apostolicus, et in doctrina veritatis toto orbe notissimus, approbavit. Haec est prima et immobilis et secura nostra ratio, quae nos tuetur ac firmat adversus omnes contradicentes quaestiones etc. »

Profecto hac attente considerata subscriptione Paschasini, Lucentii, et Maximi Actioni X. Synodi chalcedonensis apposita, tam arcto emissa sermone, non est dubium quadam involvi caligine. Et hoc ipse Vigilius firmat in postremo Constituto. Nihilominus ipse addit, nihil istud facessere proposito; nec ullimode inde deduci, Concilii chalcedonensis Patres hanc Ibae comprobasse Epistolam: « Quamvis (inquit n. 18.) igitur et ex suprascripta luce veritatis indubitanter appareat, nulla nos necessitate constringi quaerere, ex cujus epistolae textu aliqui Patrum Chalcedone residentium, suis interlocutionibus, Ibam episcopum pronuntiaverint apparuisse catholicum, quod nobis valde sufficiat evidentissime demonstratum, quod de Epistola ad Marim Persam scri-

pta, nullum tale potuerit proferre judicium. Hoc enim sufficienter nobis contra haereticorum machinas suffragatur, qui volunt hanc ad Marim Persam Epistolam a sancta chalcedonensi Synodo videri susceptam; verum etiam a Patribus nostris omni modo refutatam fuisse monstravimus, quippe qui eam inter hostes suae rectae fidei, evidentissime prolata sententia, damnaverunt. »

Verumtamen cum Facundus in Libro praetato plura putaverit de his subscriptionibus pro sua deducere causa, liceat parumper, ista huc revocata inquirere, quid, qualive scopo citati subscriptores epistolam quamdam nominantes, ipsi Facundo visi sunt, praesumptam indicasse Ibae Epistolam, eamque comprobasse catholicam. Ab initio porro non est praetereundum, Facundum, quali intuitu nescio, ipse scit, Paschasini et Lucentii decurtasse subscriptionem, surreptis quibusdam. In fine enim Actionis X. legitur episcoporum synodalium declaratio hoc ordine: « Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi et Bonifacius presbyter, tenentes locum Sedis Apostolicae per Paschasinum dixerunt: *Relectis chartis, agnovimus ex sententia reñorum episcoporum, Ibam reverentissimum episcopum innoxium approbari*: ἀναγνωσθείσης γὰρ τῆς ἐπιστολῆς ἀυτοῦ, ἐπέγνωμεν ἀυτὸν ὑπάρχειν ὀρθόδοξον i. e. *relecta enim ejus Epistola, agnovimus eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus ei honorem episcopatus et ecclesiae, a qua injuste expulsus fuit etc.* »

Hac igitur subscriptione alteri a Facundo supra relatae aequiparata, praeter rerum gestarum confusionem ex ipsius Facundi sermone exortam, verba quoque desiderantur, *relectis chartis*. Quae quidem a Facundo non erant omittenda tanquam praemissis consectaria. Patres enim cum judicium ex praemissis pronunciare deberent, antea discussa summatim congesserunt, concludentes ex chartis in medio Synodi prolatis, Ibam demonstrari innoxium. Quum autem Facundus ex adverso valde studeret, Epistolam Ibae adscriptam et quidem haereticam, ostendere a Patribus chalcedonensibus uti catholicam acceptam fuisse; arbitrario ceteris chartis omissis, hanc tantummodo notavit Epistolam: eamque insuper contendit ad illam referendam, de qua quaestio tunc

vehementer sub Vigilio Papa urgebat. In qua re sane et ipse illusus est Facundus; nam hac admissa hypothesi, Synodus chalcedonensis se se in antithesim dejecisset, illud definiens orthodoxum, quod totis viribus ab initio reprobavit haereticum.

Ac interim non displiceat lectori, si aliquantulum de hac Epistola immorer. Et primum non est praetereunda Facundi illusio, in quam saepissime incidit, objiciens Justiniano in propugnatione trium Capitulorum, *Ibae Epistolam sanctam Synodum pronunciasse orthodoxam*. Si enim tam limpide Synodus chalcedonensis de Ibae Epistola ad Marim judicium suum pronunciasset, vix locus fieret contradictioni aut censurae. Verumtamen hoc non dixit Synodus; nec Patres omnes Actioni X. subscribentes singillatim, notarunt praefatam Epistolam. Epistolae nomen tantummodo reperitur in Paschasini, et Lucentii sententia, et in altera speciali Maximi. Qui tamen epistolam citans, profecto noluit per hanc indicare praesumptam Ibae Epistolam ad Marim, sed aliam, quam Ibae calumniatores adversus ipsum compegerunt, uti in sequentibus perspectissimum fiet. Quapropter manet solummodo Legatorum Sedis Apostolicae Paschasini et Lucentii subscriptio, ubi notatur epistola; de qua modo quid nominati Patres judicarint, rimaturus incedo.

Interim non tam aperte sonat ex Paschasini et sociorum sententia, eos videlicet decrevisse orthodoxam hanc Ibae Epistolam. Non enim ex textu graeco, *relecta namque ejus Epistola, agnovimus eum esse orthodoxum*, sequitur immediate, Legatos apostolicos statuisse, orthodoxum acceptandum esse epistolae tenorem, sed tantummodo Ibae personam ita haberi. Graecanica verba per se patent; sicuti patet, Patres chalcedonenses, fidei confessione audita, quam pro se emisit Ibas, relicta quaestione de Epistola ad Marim suo nomini inscripta, Ibam declarasse orthodoxum; cum omnia ipse anathematizasset in ea Epistola expressa, dogmatique catholico infensa. Statim enim, ea lecta Epistola, obtestatus est: *quia et ab his* (indicans Epistolam sibi creditam) *quae mihi illata sunt, alienus existo, et violentiam passus sum*. Si enim vere ille Epistolae auctor fuisset, ubi errores notan-

tur, post ejusdem relectionem non subdidisset, *ab his quae mihi illata sunt* in his censita litteris ad Marim scriptis, tanquam haeretica sibique imputata. Verum de his infra. Modo potius disquiratur, cur Vigilius Papa in Constituto, uti dictum est, obscuram hanc appellarit locutionem: *relecta enim Epistola ipsius, agnovimus eum esse orthodoxum.*

Talis vero obscuritas, ut arbitror, evanescet primum, si huic Paschasini et Lucentii subscriptioni sive declarationi, alteram contulerimus, quam Maximus episcopus subtexuit, inquiens: « Ex iis, quae modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis, reverentissimus Ibas innocens est repertus. Et ex relecto exemplari epistolae prolatae a suo adversario, (qui nestorianum accusavit Ibam) orthodoxa εὑρέθη ἀυτοῦ ὑπαγορία demonstrata est ejus responsio: » idest defensio unius (Ibae) adversus κατηγορίαν accusationem alterius. Et sane id sibi vult vocabulum ὑπαγορία; quod Facundus ignorans se suosque dejecit in errorem; et ipse inscius aliorum arguit inscitiam. Ὑπαγορέω namque proprie loquendo non *dictare* significat, sed *dictis alicujus subdere, respondere, proposita quaestione, per sermonem vel scriptum;* uti egit Ibas se se defendens ab haereseos insimulatione. Et hoc ibidem indicat Maximus, protestationem intuitus, quam Ibas coram Patribus chalcedonensibus emisit in Actione IX. hujus Synodi.

« Deprecor, inquit Ibas, igitur vos, ut cognoscatis, quoniam falsam accusationem pertuli et calumniam a quibusdam clericis. Jubete ea, quae judicata sunt a Photio et Eustathio revmis episcopis relegi. Uranius enim episcopus Himerorum in gratiam Eutychis omnia agens, praeparavit, ut quidam clerici accusarent me, et judicium sibi praedictisque transmitteretur: et inventus sum innocens a blasphemiis, quae mihi allatae sunt, et judicatum datum est a praefatis reverentissimis episcopis, accusationes quidem adversum me per calumnias factas arguens, testificans autem me esse catholicum. Jubete igitur omnia, quae per absentiam meam in Epheso sub Dioscoro gesta sunt, evacuari, et justitiam mihi servari (qui in nullo culpabilis sum) et reddi mihi episcopatum et ecclesiam. Nam et omnes clerici edesseni per

quae scripserunt praefatis episcopis, testantur me esse catholicum, et alienum a nefaria blasphemia, quae mihi infertur. Dixerunt judices ea in medium proferenda esse, ut omnes, lectione eorum facta, judicarent, quid oporteret definiri etc. »

Et haec omnia constituunt ὑπαγορίαν sive excusationem, aut defensionem, quam pro se emisit Ibas, quamque deinde acceperunt Patres chalcedonenses; et unde inculpabilem et innoxium, recteque sentientem decreverunt Ibam. Ita sane est ὑπαγορία suggestio aut responsum, quod adversus κατηγορήματα accusationes Ibae, contexuerant antea dicti Photius et Eustathius in fine Actionis IX. dicentes: « Photius episcopus Tyri in declaratione sententiae suae pro Iba ait: *etiam nostra est* ἐπίκρισις *sententia, comprobationis* scilicet. Eustathius dixit: *mea est* ὑπαγορία *subscriptio* sive *responsio pro Iba.* »

Veteres porro etsi hanc vocem verterunt in sensu lato, *subscriptionem* omnibus videlicet, quae pro Iba dicta sunt, tamen proprie hoc vocabulum in se capit *sermonem ad defensionem exactum*. Et ita reperitur paulo post in Actione XIV. ejusdem Concilii chalcedonensis; ubi Sabinianus episcopus coram Valentiniano et Marciano suam contexens apologiam, eosque ideo rogans ut a sua Ecclesia inique expulsus, in eam restitueretur, in hujus fine dicit: *Sabinianus episcopus*: ὑπηγορεύσα καὶ ὑπογράψας *suggessi in causa mea, et subscribens obtuli pietati vestrae*. Item ibidem rogans Patres synodales concludit *Sabinianus episcopus*: *obtuli* ὑπαγορεύσας καὶ ὑπογράψας *subdens et subscribens huic supplicationi*. Quocum statuitur utramque vocem quidquam exhibere discrepantiae; et primam illam praeferre significationem superius expositam; et quam apprime concinnavit Maximus episcopus in defensione Ibae contra suos calumniatores.

Similiter hoc vocabulo utitur Eutyches in libello supplici pro se dato Patricio, sicuti legitur in Actione I. hujus Synodi. In quo libello profitetur, se Patrum secutum esse expositiones: « Interrogatus cujus esset expositio libelli? Eutyches respondit: ἐμὴ μὲν ἐστιν ἡ ἐπαγορία, ἡ δὲ ὑπαγορία αὐτη ἐστὶ τῶν ἁγίων πατέρων: enuntiatio quidem mea est; dictatio vero haec sanctorum Patrum est. » Ita vertit lati-

nus interpres: sed potius : « Meus est sermo; suggestio vero, aut quod huic meo sermoni subjungitur in confirmatione ejusdem, est sanctorum Patrum: Ego enim (postea dicit Eutyches) legi scripta beati Cyrilli et sanctorum Patrum et sancti Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem; post adunationem vero et incarnationem, jam non dixerunt duas naturas sed unam. » Hi, veluti diceret, respondent pro fide mea et doctrina, quam vobis proposui. Et ita magis sensus grammaticalis cohaeret et mens clarescit Auctoris.

Item pari interpretatione hoc vocabulum cumulatur in libello petitionis Samuelis et aliorum presbyterorum adversus Ibam oblatae Photio et Eustathio episcopis. Ibi namque legitur : « Samuel dixit : quomodo possibile est, totum Clerum ad testimonium evocari? Eulogius dixit : dum essemus in Antiochia fecerunt *ὑπαγορίαν ἐπαίνων dictationem laudum*, et hanc circumferebant clericis ut subscriberent. Quidam clericorum aut quindecim, aut decem et octo noluerunt subscribere. » Et quid sonat *fecerunt dictationem laudum?* Nonne melius, si huic elocutioni substitueretur alia, *fecerunt responsionem, aut apologiam laudum Ibae* adversus *κατηγορίαν* insimulationem aliorum? sicuti paulo ante legitur : « Quemdam presbyterum noluisse *καθυπογράψαι τοῖς αὐτοῦ ἐπαίνοις* subscribere laudibus ejus (Ibae), cum accusationem adversus eum in Antiochia instituissemus »

Ab his itaque exemplis patet, Facundum non satis hujus graeci vocabuli notionem comprehendentem, obscuram reddidisse, insuper interpretatum esse Maximi sententiam adversus istius mentem; et Synodi chalcedonensis definitionem pravasse de Iba ob dictam ad Marim Epistolam. Revera Maximus summatim repetens antea discussa in causa Ibae, et praesertim, quas ei adversarii objiciebant insimulationes, judicium suum protulit, statuens innocuum haberi Ibam et orthodoxam ipsius *ὑπαγορίαν* responsionem aut apologiam, praefatam intuitus obtestationem ab eodem Iba emissam coram Patribus. Quare ipsi dixerunt: « Definitio episcoporum Photii et Eustathii demonstrat innoxium reverentissimum episcopum Ibam: similiter autem et Ibae abnegatio facit nos

ad eum recipiendum proniores. Talis fuit autem professio Ibae dicentis : *anathema et ipsi Nestorio et Eutychi, et unam dicenti naturam. Et omnem eum, qui non sapit sicut ista sancta Synodus, anathematizo.* »

Praeterea si verborum syntaxis, quibuscum Maximus judicium pronunciavit, consideretur, Facundi illusio tunc amplius revelabitur, quando ipse ejusdem Maximi sententiam in Synodo citans de rescripto ipsius Ibae Epistolae, inquit Patres pronunciasse, *quod orthodoxa apparuit ejus dictatio.* Verumtamen pronomen *ejus* ex graeco ἀυτῶυ, contra Facundum, nequaquam refertur ad ἐπιςτολὴν epistolam foeminini generis, sed ad Ibae apologiam, quam pro se texuit coram Patribus. Proindeque praeclarius adstruitur, ineptam fieri ejusdem Facundi expositionem et deductionem, quasi *Epistolae dictationem* probasset Synodus: cum aliter penitus orthodoxa ab ea probata est non dictatio Epistolae sed ὑπαγορία ἀυτῶυ excusatio, vel defensio ipsius, idest Ibae, contra adversariorum insimulationem per libellum Synodo oblatum.

Facundus porro hanc falsam interpretationem videtur mutuatus a Ferrando in litteris citatis ad Pelagium et Anatolium, ubi clamat contra Ibae Epistolae damnationem ; ubi et ipse parum cautus pronomen ἀυτῶυ ad Epistolam reportare existimavit, scribens: « Si tunc aliquis accusator Epistolae, *cujus catholica esse dictatio claruit,* ad majora judicia provocaret, quis erit post tantos et tales Pontifices negotii jam peracti novus et idoneus cognitor ? » Et sic alter ab altero illusus est in interpretatione sententiae a Maximo prolatae, ut tantum deinde in Ecclesia invalesceret scandalum.

Hac interim exposita Maximi sententia, ex qua evanescit limpide suspicio, ipsum ibidem comprehendisse Ibae Epistolam ad Marim, atque subscriptione comprobasse catholicam (quod sane, ut ait Vigilius in Constituto, contrairet Synodi chalcedonensis scopo) infirmatur Facundi opinio, qui putavit ex ipsius Maximi adhaesione roborari interpretationem, quam contulit Photii decreto et Eustathii obtestantium: *relecta enim ejus Epistola, cognovimus eum esse orthodoxum.* De qua sententia cum modo plura discutienda sint quoad illius sensum, antea audiatur quid rursus pro ipsa Epistola putaverit praefatus Facundus.

Ipse enim, quemadmodum antea praemisimus, Photii et Eustathii subscriptionem obtruncavit, ad suum propositum trahens, vocabulis surreptis *relectis chartis;* ac tantummodo memoratam Ibae inscriptam Epistolam ad Marim citavit; cum ex adverso nuncupati Patres ad examen intenderent et judicium chartarum omnium, sive documentorum spectantium ad quaestionem sive pro, sive contra ipsum Ibam facientium: quibus expensis diligenter, judicium proferrent. Et istud constat ex IX. et X. Actione Synodi chalcedonensis. Facundus porro, omissis his chartis, satis suo proposito agebat, ut ita alacrius adversarios mendaces corriperet, ostendens Ibae Epistolam seorsim a ceteris chartis citatam, Patres in Synodo comprobasse orthodoxam. Nihilominus sentiens, trium Capitulorum expugnatores, Ibae Epistolam ad Marim ibi haud nominari contendere, sed aliam idest quam clerici edesseni scripserunt, obstans ajebat in Libro V. 1.

« Primum itaque videamus, utrum nobis dicendum sit, aut credendum, quod persuadere conati sunt, quia Epistolam non venerabilis Ibae, sed nescio quam scripturam postulationis et deprecationis, quam Photio et Eustathio et Uranio episcopis omnis Clerus edessenus pro Iba episcopo miserat, Synodus pronunciavit orthodoxam. Sed quid respondebimus, cum postea vel ipsi, vel hi, quibus favent haeretici, nobis dixerint, quod illa scriptura *postulatio et deprecatio* omnis Cleri edessenae civitatis synodalibus gestis appellata sit: sententia vero Synodi, ex relecta ejus Epistola orthodoxum eum apparuisse testata est: et quia illam postulationem et deprecationem ab omni Clero edessenae civitatis ad Photium, et Eustathium atque Uranium episcopos datam, Ibas episcopus pro se recitari petivit; sententia vero Synodi, sicut eadem, quae posuimus, verba declarant, de rescripto Epistolae ipsius Ibae, quod prolatum est ab ejus adversario, pronunciavit: *quod orthodoxa apparuit ejus dictatio?* »

Quanta porro illusione in his laboret Facundus, et quae futilia jactet argumenta non est qui non videat. Is enim episcopos confutans, qui Constantinopolim adversus tria Capitula convenerant, eo quod in Photii et Eustathii subscriptione advertentes, *relecta ejus Epistola, orthodoxum eum esse a-*

gnovimus, hanc sint de epistola clericorum edessenorum coram Patribus chalcedonensibus lecta, interpretati circa Ibae personam data; confutans, inquam, hanc opinionem Facundus, negat tale supplicationis scriptum, appellatam fuisse ab illis *epistolam*, verum *postulationis et supplicationis scripturam*. Sed ad quid hujusmodi vana Facundi disquisitio? Nonne antea ipse in Actione IX. et X. animadvertit clericorum edessenorum petitionem τὰ γράμματα inscribi, quam latini proprie verterunt litteras sive epistolam, uti Lexicographi jure notarunt de hoc graeco vocabulo plurali numero adhibito? Quapropter non de scriptura quacumque vocem γράμματα intellexere Patres; ast liquide voluerunt epistolam, et proprie quam clerici edesseni scripserunt, et sibi oblatam. Si autem praeter terminum indicatum generice haec epistola *libellus supplicationis* nuncupata fuerit, hoc debetur non epistolae auctoribus, sed historico; qui hujus sensum suae praetexuit narrationi.

Id autem firmatur ab ipsius Ibae instantia Patribus facta, dicentis: « Jubeat vestra clementia relegi τὰ γράμματα litteras clericorum edessenorum, ut cognoscatis, quia et ab his quae mihi illata sunt, alienus existo, et violentiam sum perpessus. Magnificentissimi et gloriosissimi judices dixerunt: relegantur ea, quae scripta sunt a veneratissimis clericis edessenis. Et oblatis his etc. » Ex qua expositione procul dubio comprehenditur, quam immerito Facundus linguae graecae imperitus, adversarios praesumpserit corripere: « quod ipsi, ait, ab illusione solita non recedant, ut illam scripturam, quam pro memorato Iba omnis Clerus edessenae civitatis obtulit, *epistolam* appellent, volentes per epistolae nomen in aliud nobis convertere sententiam Synodi, quae super Epistola ipsius Ibae prolata est. »

Concludas igitur, Facundum frustra insimulare episcopos constantinopolitanos et Vigilium Papam, quod male Patrum chalcedonensium in causa Ibae explanarint judicium, neque Paschasini et Lucentii dicta intellexerint. Ac insuper scito, Facundum multo minus recte interpretatum esse, quae subdidit Maximus in Ibae ipsius vindicando orthodoxiam seorsim ab Epistola haeretica ad Marim, quam Ibas respuit,

obtestatus se nequaquam hujusmodi exarasse blasphemias. Quare omnia, quae in praefato Libro V. Facundus trium Capitulorum propugnator congessit adversus Vigilii Judicatum, nullius fiunt auctoritatis, et contra ipsum aut calumniatorem, aut ignarum militant.

Quamvis autem hucusque et Facundi aberrationes de Ibae Epistola, ac Patrum chalcedonensium genuinum sensum ostenderim probe vigiliano Constituto consentaneum, liceat tamen mihi denuo Paschasini et Lucentii subscriptionis cribrare verba, ubi ajunt: *relecta enim ejus Epistola, agnovimus eum (Ibam) esse orthodoxum.* Quam Vigilius in ipso Constituto definivit, nulla ratione esse ad Ibae Epistolam Marim Persae datam referendam; quippe eam Patres chalcedonenses nec Ibae ipsi inscribendam, nec catholicam praeferre doctrinam agnovere; tametsi Vigilius ipse fateatur hanc locutionem quadam obvolvi caligine.

Verumtamen hanc obscuritatem puto fore dissipandam, postquam interpretationi satisfecimus sententiae a Maximo recitatae, requirentes, ac statuentes, in quo consistebat ὑπαγορία ἑαυτοῦ defensio ipsius Ibae: quam accipientes Patres, eaque lecta, ipsum Ibam declararunt orthodoxum. Et quam ab initio processus legitur dedisse Ibas ἐγγράφως, vel per γράμμα idest litteras aut epistolam. Quod vocabulum graecum, dixi, cum haud satis expenderunt interpretes, non videbor ideo illusus, si hanc Ibae defensionem ἐγγράφως Synodo oblatam, teneam omnino epistolae respondere, qua a Paschasino sociisque lecta, ipsam habuere uti praeclaram Ibae orthodoxiae satisfactionem; nec ideo ullimode ad alteram referendam praesumptam ipsius Ibae Epistolam ad Marim. Hoc autem, nonnisi inter se collatis his et aliis hujus generis graecis vocabulis, consequi possumus; quae Patres indiscriminatim adhibuerunt, sibique vicissim praestitere, scripta quaecumque sua vel aliorum citantes, longinquis committenda.

Et sane quidem quam saepissime in Actis Concilii chalcedonensis vocabula occurrunt graeca ἐγγράφως, γράμμα, γράμματα, ἐπιστολή, λίβελλος ferre eamdem praeferentia significationem; ita ut arduum sit in his vocibus quamdam

differentiam interpretari. Quapropter quod apud latinos dicitur *epistola* sive *litterae*, a Patribus graecis indistincte exprimitur per citatas dictiones. Ex. g. in Actione VII. Imperator dicitur emisisse decretum ἐγγράφως; postea hoc idem vocabulum expressit per γράμμα. In Actione IV. Leonis Papae epistola modo dicitur ἐπιστολὴ, modo γράμματα. Item in Actione IV. de Marciano et Ammiano episcopis exemplum nostro proposito propinquius instituitur, ubi ipsi dicunt: *sed et lecta a nobis ἐπιςτολῆς beatissimi Leonis consentimus* etc. Quae tamen epistola antea nuncupatur γράμμα, et γράμματα. Similiter in Actione VIII. epistolae Theodoreti ad episcopos et ad Leonem Papam dicuntur et γράμματα et λιβέλλοι; et sic alibi vicissim.

His expositis universim de praefatis vocabulis in scriptis vel Imperatoris, vel Pontificis, vel episcoporum diversa pertractantium negotia, nunc singillatim eadem nomina retractentur ad ea, quae ad Ibae processum spectant. Ubi sive iste, sive adversarii sui, sive episcopi judices in Concilio sedentes, haec eadem vocabula in Actis adhibuerunt, eumdemque sensum praeferentia. Ac ante omnia hoc deducitur ab Actionis IX. initio; ubi ipse adstitit Ibas coram Patribus, insimulationibus responsurus, quas adversarii in eum commentati erant: quaeque a civitate Tyri ex Imperatoris mandato ad hanc Synodum translatae sunt, ut episcoporum subderentur judicio, praesentibus accusatoribus, de quibus sic legitur ibi.

« His ergo dantibus capitula quaedam, et rogantibus, ut horum fieret subtilis disquisitio, incumbentes nos capitulis et invenientes in his accusationem quamdam adversus Ibam religiosissimum episcopum, quasi non recte saperet, sed alia praeter piam doctrinam doceret: necessario hujus prius inquisitionem cum magna diligentia facere sumus impulsi. Praecepimus igitur accusatoribus dicere, quaenam a religiosissimo episcopo Iba dogmata dicta essent a pietate, ut ipsi dicebant, aliena. Cum illi certa quaedam dixissent, et multa mota fuissent, quae in Actis inserta sunt; nos audientium ordinem ad modicum relinquentes, et ad sanctarum ecclesiarum utilitatem respicientes, pro judicibus pacis mediato-

res eis partibus nosmetipsos effecimus; et multis usi consiliis pietatem ubique praeponentes et inquirentes, hortati sumus reverendissimum episcopum Ibam (quod et ipse amplexus est) ad satisfactionem eorum, qui laesi dicebantur, ἐγγράφως in scripto dare, quod sentit et sapit de pia nostra fide; quod et fecit. »

Ex his interim intelligito Ibam spondentem, se *in scripto* coram Synodo suae fidei professionem offerre: ac una scias, sponsioni stetisse Ibam γράμματα idest litteras, vel epistolam offerentem episcoporum judicio; unde deducenda firmandaque erat orthodoxa sua fides. Quapropter Patres subdiderunt: « Ex abundanti autem praedictus religiosissimus vir promisit et in suae civitatis ecclesia alloqui, et manifeste anathematizare malignae impietatis principem Nestorium, et eos, qui sicut ipse sapiunt, et qui vel libris vel codicibus ejus utuntur. Confessus autem sic se credere sicut continent γράμματα litterae conventionis factae inter Dei amantissimum et sanctissimae memoriae virum Joannem maximae antiochenae civitatis episcopum et Cyrillum maximae alexandrinae civitatis episcopum; quibus ministravit beatae memoriae Paulus emisenorum civitatis episcopus; ex quibus universalis concordia facta est. Consentire autem et omnibus, quae super gesta sunt a sancta Synodo, quae convenit in civitate regia et christiana Constantinopoli. Habere autem omnia, quae placuerunt in ephesina metropoli, sicuti a Concilio, quod a Spiritu Sancto movebatur. Aequalem autem eam judicare illi, quae in Nicaea habita est, et nullam differentiam arbitrari ejus ad illam. Et valde ejus (inquiunt Patres) religiositatem laudavimus, quod prompte anticiparit curare eos, qui vel suspicione, vel alio quolibet modo laesi erant de opinione ejus doctrinae. His ergo placitis etc. »

Ab hac ergo narratione eruitur Patres chalcedonenses in quaestione Ibae, Acta ad se revocasse Tyri expleta; ac insuper in eodem negotio pergentes Ibae indixisse, ut sibi objectis culpationibus responderet; ac Patribus ἐγγράφως in scripto satisfaceret circa suae fidei professionem: de qua maxime institerunt episcopi. Quod et fecit. Ibas mittens ad eosdem; quo scripto lecto a Patribus, orthodoxum declara-

runt Ibam. Istud, dico, ἔγγραφως sive γράμμα, sive ἐπιστολὴ (quae verba idem sonant ut supra dictum est) acceptum a Patribus, et coram Synodo lectum, in Actione X. Paschasinus, Lucentius et Bonifacius primi repetentes, inde orthodoxiam Ibae cognoverunt firmaruntque, ceteris annuentibus episcopis. Quinimmo ab hac formula: *relectis chartis agnovimus ex sententia episcoporum Ibam innoxium approbari: relecta enim Epistola ipsius, agnovimus eum esse orthodoxum,* abundantius propositum nostrum roboratur. Relectae enim chartae ea gesta universim continebant (quorum memoriam fecit Ibas ab initio Actionis IX.) episcoporum judicio submittenda; et quarum lectioni episcopi vacantes, haud satis habuerunt pro recta definitione. Ideoque apud Ibam institerunt, ut in causa fidei suae sincerae, novam iteraret per γράμματα *litteras,* sive per ἐπιστολὴν epistolam professionem. Ubi valde luculentius Nestorium ejusque anathematizavit errores: ac decreta omnia probavit in ipsa Synodo chalcedonensi sicuti in praecedentibus Synodis oecumenicis. Quam Patres laudantes, lubenter acceperunt, quum ideo ab omni suspicione haereseos immunis Ibas evaserit. Proindeque in novissimo decreto Paschasinus ceterique episcopi ad hanc se referentes epistolam, ubi valde perspicue patuit ipsius Ibae sincera fides, inclamarunt: *relecta ejus Epistola, agnovimus eum esse orthodoxum.*

Istud quoque significavit deinde Thalassius episcopus, qui in suae pro Iba sententiae prolatione inquit: « Cum reverendissimi episcopi Photius et Eustathius causam Ibae inquisierint, et eum non condemnaverint, horum sententiae inhaerens, volo permanere eum in sacerdotio sicuti et sanctissimis praesulibus visum est: maxime quia in ὑπομνήμασιν memorialibus scripto datis, promisit se anathematizare illa, quae accusatores adversus eum deposuerant in scripto. » In his dictis Thalassius duo proposuit argumenta pro orthodoxia Ibae; primum desumptum a testimonio Photii et Eustathii episcopum innoxium declarantium. Secundum ab ipsius Ibae memoriali, quod scripto obtulit Patribus de recto fidei sensu, Nestorium damnans ceterosque haereticos ab Ecclesia damnatos. Quod quidem memoriale litteras aut epistolam

comprehendebat, cujus mentio fit in legatorum Pontificis decreto.

Quid ergo, his admissis apud graecos nuncupationibus indistincte atque vicissim a Patribus adhibitis, prohibet quominus haec ipsa epistola a Paschasino et sociis citata, *relecta Ibae Epistola agnovimus eum esse orthodoxum,* quid prohibet quominus dicatur ea referenda esse ad γράμμα litteras, quas episcopis obtulit Ibas, et de quibus requisitus fuit in suae fidei orthodoxae protestationem, potius quam ad praesumptam a Facundo impiam Epistolam Ibae inscriptam et Marim Persae datam, quasi Synodus chalcedonensis hanc catholicam pronunciasset? Nonne consequentius foret, quum omnes episcopi singillatim subscripserint, Ibam innoxium declarantes et orthodoxum, ac iterum cuncti rogassent eumdem Ibam ut Eutychen et Nestorium anathematizaret, quibus ipse respondit: *καὶ ἤδη ἐγγράφως et jam per scriptum anathematizavi Nestorium, et nunc anathematizo decies millies*: nonne consequentius foret in hoc scripto epistolam, (exclusa prorsus alia a Facundo praesumpta) comprehendere orthodoxam, quam ab initio interrogatus de sua fide obtulit Patribus in Synodo congregatis?

Praeterea nostro proposito admodum proderit, si gesta quoque enucleentur ejusdem Synodi in praevia Actione VIII. de Theodoreto: ubi et ipse insimulationem sustinuit, quasi Nestorio faveret; et ubi Patres eodem ordine et judicio processere quemadmodum postea de Iba actum est, ut sic ab analogia culpationis, defensionis et definitionis circa Theodoretum in Actione dicta, patefiat quod obscurum videtur in altera sequenti de Iba. Ita namque ibidem legitur: « Residentibus omnibus ante cancellos sanctissimi altaris, reverendissimi episcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium. Theodoretus reverendissimus episcopus transiens in medium dixit: et preces obtuli divinissimo et piissimo Imperatori, et λιβέλλους libellos obtuli reverendissimis episcopis agentibus locum reverendissimi archiepiscopi Leonis; et, si vobis videtur, legantur coram vobis ut, sicut sapio, cognoscatis. Reverendissimi episcopi clamarunt: nihil relegi volumus: modo anathematiza Nestorium. » Et pau-

lo post rursus subdit Theodoretus coram episcopis: anathema Nestorio et ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, et qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum. Ego autem et fidei definitioni subscripsi, et epistolae sanctissimi et Deo amantissimi archiepiscopi domini Leonis, et sic sapio.

« His expositis a Thedoreto, Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi et Bonifacius reverendissimus presbyter, insuper et Julianus reverendissimus episcopus coensis, habentes locum Apostolicae Sedis, dixerunt: sanctissimum et venerabilem episcopum Theodoretum sanctissimus et beatissimus universae Ecclesiae episcopus urbis Romae Leo dudum in communione suscepit ita, sicut γράμματα litterae ab eo ad nostram humilitatem directae testantur. Si igitur fidem catholicam sicut promittit, et secundum praedictum beatum episcopum subscriptionem in proprio λιβέλλῳ direxit, et nostrae insuper humilitati alio dato libello monstravit, quoniam et Nestorium et Eutychem non solum ἐγγράφως in scripto, sed et sub praesentia totius consessus ore proprio anathematizavit; hoc judicio sanctissima et venerandissima Synodus, insuper vero et nostra humilitas, reddi ei ecclesiam propriam definivit. »

Quapropter hac narratione alteri de Iba collata, comperitur Theodoretum libellos (qui idem valent ac litteras aut epistolam veluti ex praefata discussione eruitur) obtulisse, ubi suae fidei continebatur professio; quique, rogavit ipse Theodoretus ut relegerentur. Quibus lectis, Patres agnoscentes Nestorium et Eutychem voce et scripto anathematizasse Theodoretum, decreverunt reddendam esse ei ecclesiam, a qua amotus fuerat. Haec porro Theodoreti professio istiusmodi circumstantiis adaucta, et episcoporum judicium de eo, omnimode actis de Iba conveniunt: adeo ut amplius atque amplius fatendum sit, Ibae epistolam de sua fide a legatis pontificiis citatam, non posse confundi cum altera; quam Facundus, triumque Capitulorum patroni scriptam praetenderunt ad Marim Persam, haereticam et impiam.

Deinde haud a diuturnis desistens investigationibus, ut propositum amplius juvarem contra adversarios, ostendens

nihili chalcedonenses Patres fecisse Epistolam ad Marim, monumenta revolvens incidi in Justiniani litteras post Synodum V. scriptas adversus nonnullos trium Capitulorum propugnatores (Tomo IX. Conciliorum ex Editione Card. Passionei p. 635) ubi ait: « Sic itaque vobis etiam prave intelligentibus ea, quae ab Ecclesiae Magistris tradita sunt; atque ex divinis Litteris hausta, obscura esse videntur. Atque haec quidem de Iba atque impia illa Epistola ita investigata in nonnullis libris reperiuntur. Scire autem vos oportet Acta ea, in quibus impia illa Epistola continetur, οὐχ ὑποτέτακται non subjecta fuisse in authenticis iis, quibus episcopi subscripserunt. Quorum authentica exemplaria in sanctissima Romana Ecclesia, et in constantinopolitana, atque etiam in sacro nostro palatio servata sunt. Quoniam igitur manifestum est, impiam illam Epistolam omni iniquitate refertam, sanctisque sacrae chalcedonensis Synodi definitionibus adversari; reliquum est, ut qui dixerunt, ipsam in sancta chalcedonensi Synodo contineri, ii non modo propriam tutari malitiam omni conatu eniti censeantur; verum insignem quoque sancto Concilio faciant injuriam. Quaecumque enim approbata atque confirmata sunt a memorata sancta Synodo, ea omnia nominatim in fidei definitione ab ipsa tradita continentur. » Hac ergo admissa Justiniani declaratione, necessario concludendum est, de citata Epistola nec voluisse, nec potuisse aliquid definire legatos apostolicos.

Demum de hoc Justiniani testimonio, ubi in Actis Concilii, chalcedonensis probat non reperiri praesumptam Epistolam, compellans ideo ad hujus Concilii exemplaria in Romanae Ecclesiae archiviis deposita, valde prodest quod de his exemplaribus scribit s. Leo Papa in epistola 56. ad Julianum episcopum coensem: « Quoniam suspectum habeo, ait, quod de ejus textu nullum unquam judicium reddidisti gestorum synodalium, quae omnibus diebus concilii in chalcedonensi civitate confecta sunt, parum clara propter linguae diversitatem apud nos habetur instructio. Et ideo fraternitati tuae specialiter injungo, ut in unum codicem universa facias congregari, in latinum sermonem absolutissima interpretatione translata, ut in nulla Actionum parte dubi-

tare possimus: neque ullo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum. » Si in his exemplaribus ex codice genuino graeco translatis, inquit Justinianus desiderari Ibae Epistolam ab ipsa Leonis Papae aetate, quid adhuc superest trium Capitulorum defensoribus, nisi illusio? et quod ipsi totis viribus contenderint pro hac Epistola, penitus rui? Verum in praefatis litteris Leonis ad Episcopum coensem apocrisiarium suum, ea quoque consideranda est fere prophetica postulationis ratio, se nimirum hoc sollicite percontari ab ipso, *ne damnata nestoriana et eutychiana haeresis iterum revirescat.* Quod sane expertus dicit Vigilius in novissimo Constituto.

His ab Iba expositis et a Patribus acceptis, quid Synodi intererat, aut Patribus opus fuerit in definienda Ibae fidei integritate suaque orthodoxia, litteras citare ac eas animadvertere, quae extra ipsius Synodi scopum erant, et forte ab Ibae adversariis ceteris oppositionibus insertae? Fortasse Synodus insimulationes adversus Ibam singillatim quaerens, judicavit? Fortasse chartis, quas Ibae obtrectatores investigarunt, ut in ipsis speciale erratum reprehenderetur, attenderunt Patres, ac concluderent quid boni, quidve mali in ipsis reperiretur? Hoc tamen noluerunt judices. Sed summatim, auditis clericis ejusdem Ibae defensoribus, et praesertim orthodoxa fidei professione emissa, in qua ait: *et ego jam in scripto anathematizavi Nestorium, ejusque dogma; et nunc anathematizo eum decies millies . . . . . anathema et ipsi Nestorio et Eutychi et unam dicenti naturam*, huic declarationi responderunt Patres: *maxime quidem sufficit ad pietatem haeresis abnegatio.* Ceterisque omissis peculiaribus insimulationibus, hac accepta satisfactione, acquievit Synodus: communique suffragio innoxium et orthodoxum Ibam agnovit sancivitque, veluti superius expositum est.

Ceterum peregrinum sane fuisset consilium Patrum chalcedonensium, ab Ibae adversariis accersere testimonium pro improbitate ipsius Ibae militans, ut sic probarent Patres eum esse catholicum, cum et ipsi hostes Ibae studerent ipsum haereticum ostendere ex citata Epistola. Et quidem Patres in Synodo hanc approbantes catholicam et ipsum Ibam inde in-

noxium, dexteras dedissent accusatoribus ipsius, ut talis Ibas diceretur haereticus: quod non erat in votis nec in mente ipsorum Patrum. Et quis non comprehendet hujus argumentationis extravagantiam? Profecto et hoc advertit Vigilius in Constituto n. 24: « Rursus, ait, in eadem defensione permanens post illius ad Marim Epistolae lectionem, cum edessenorum clericorum pro se relegi, cujus saepe mentionem fecerat, Epistolam (quae orthodoxam fidem praeferebat Synodo ab ipso Iba in scripto oblatam) postulasset: quis tam lucidae veritatis impugnator existat, qui non ex istius edessenorum epistolae textu, per quam ipse accusatus Ibas, aestimari poposcit orthodoxum, a Patribus orthodoxam dictationem (sive *apologiam*) et eumdem Ibae catholicum pronuntiatum fuisse cognoscat? sed illius putet orthodoxam judicatam Epistolae ad Marim dictationem; quae ei et pro crimine haereseos objecta est, et, si ejus probata fuisset, haereticus potuit judicari? »

Hoc autem novit et exposuit Justinianus in epistola citata, Capitulorum defendentium stoliditatem corripiens: « Quae cum ita se habeant, inquit, sero tandem cognoscite, uter rectius sanctam chalcedonensem tueatur Synodum? Is ne qui eam praefatos sanctos Patres fideliter secutam, recte contendit universa definisse; an is qui ei tribuere nititur impios loquendi modos haereticorum? Fieri namque minime potest, ut, qui puras primae ephesinae Synodi sanctiones, catholicasque voces admittunt, quoque sanctos Pontifices Coelestinum, Cyrillum et Leonem, et chalcedonensis Synodi definitionem recipiunt, ii ipsi scelestam quoque ad Marim Epistolam cum iis, quae percensuimus, omnino pugnantem admittant. Quis enim Ecclesiae Magistros contraria docentes, vel orthodoxos simul atque haereticos, vel condemnatos una cum condemnantibus valeat complecti? »

Quoad hujus Epistolae defectum in Actis genuinis Synodi chalcedonensis, ut ait Justinianus, nec est omittendum, eumdem Ibam, sicubi singulis insimulationis capitibus sedulo respondit, nihilque omisit contra adversariorum dicta, de hac Epistola vero, num scilicet ipse hanc scripserit, seu an talia putaverit de Theodoro mopsuesteno, an non,

plane siluisse, nec verbum quidem de ea respondisse. Tantum in sui defensionem et de sua orthodoxia disputans in hostes suos testimonium vocat clericorum edessenorum. Ita ut viderentur, minime in eo certamine citatae fuisse praesumptae Ibae ad Marim Litterae: sed post Synodum chalcedonensem Actis illius insertae a quopiam Theodori mopsuesteni patrono.

Novissime, cunctis simul collectis animadversionibus circa hanc Epistolam, quam adversarii putarunt fuisse orthodoxam declaratam in Synodo chalcedonensi, praesertim in specialibus Patrum subscriptionibus, videtur concludendum, haud talem Epistolam haberi, quam praetexuerunt trium Capitulorum defensores ab ipso Iba scriptam ad Marim, haeresi infectam. Sed reapse et jure sub epistolae nomine accipienda est ejusdem Ibae excusatio, sive defensio scripto exacta, Patribus in Synodo offerenda et ab ipsis petita : quacum *Iba* episcopus professus est contra suos accusatores, se fidem tenere orthodoxam, Nestorium, Eutychen et omnes haereses anathematizans. Qua sane professione sive *engraphos*, sive per *gramma*, sive per *grammata*, aut per *scripturam* vel per *litteras*, seu per *libellum*, aut per *epistolam*, utcumque velis (cum ea vocabula eadem significatione promiscue adhibita sint in Actis synodalibus) qua sane, dico, professione ab Iba emissa, et a Patribus accepta, et orthodoxa probata, Ibas declaratus est innoxius et episcopatu dignus, a quo expulsus erat.



CAPUT XVII.

Cetera adversus Facundum circa eamdem Ibae inscriptam Epistolam enucleantur documenta, praesertim ex Collatione catholicorum cum severianis repetita, quibus nostrum magis firmatur argumentum.

Si vero quis, et his non obstantibus discussionibus, adhuc dubitet de Patrum chalcedonensium mente in causa Ibae tractanda relate ad hanc Epistolam in V. Synodo damnatam, mecum incedat scrutaturus, quid circa annum 531. actum est in Collatione habita Constantinopoli inter severianos et Catholicos de nonnullis tractatis in ipsa Synodo chalcedonensi; adversus quae severiani animose insurrexerant. Et ob hoc Assemanius in Tomo II. *Bibliothecae Orientalis* p. 89. de his locutus inquit, quadringentos viros e monophysitis jussu Justiniani habuisse frequentius cum Catholicis disputationem per anni spatium, quin tamen quisquam a sua opinione recederet. In hac porro Collatione repraesentantur haeretici dubia proponentes; quibus singillatim in persona Ecclesiae Catholicae respondet Hypatius episcopus.

In hanc porro disputationem ineuntes, ad quaestionem Ibae et Theodoreti pervenerunt; de quibus severiani dixerunt: « Ibas ergo et Theodoretus sicuti rectae fidei suscepti sunt a Synodo, et sicut rectae fidei in divinis diptychis recitantur. » Et explosa objectione ab Hypatio dicente, ambos Nestorium anathematizantes susceptos fuisse in sancto Concilio, subdiderunt Contradicentes: « Et Ibas ergo juste susceptus est a chalcedonensi Synodo? Episcopus respondit: Ibae et accusantium eum judicium ex imperiali auctoritate delegatum est Photio episcopo Tyri, et Eustathio Beriti, et Uranio Himerorum episcopis: qui reverentissimi viri et nimium horrentes Nestorii blasphemias, cum omni diligentia discutientes, *eum (Ibam) immunem et sine culpa decreverunt:* sicuti acta ipsorum et relatio manifestant. Quem ergo judices justificaverunt, quomodo Concilium poterat condemnare?

« Contradicentes instituerunt : Et ergo illa, quae ad Marim Persam Epistola ejus scripta est, recta continet: et quae prolata ab eis, et relecta nobis est, et inventa est narrationem habens actorum inter beatum Cyrillum et nefandum Nestorium, eo quod quasi per istos duos homines seculum conturbatum est; Nestorio quidem ea, quae Paulus samosatenus saperet, affirmante, et propter hoc a beato Cyrillo in ephesino Concilio condemnato etc.

« His ergo per Epistolam declaratis, Hypatius episcopus dixit: Hae Litterae etiam in vita beati Cyrilli divulgatae sunt, et non solum quia non moverunt eum propter factam pacem et unitatem propter Dominum; sed et Valeriano scribens episcopo Iconii talia de ipsis satisfacit, dicens: nam si epistolas sibi componentes quidam circumferunt, tanquam ex persona scriptas illustrium virorum, non debent credi. Qui enim semel scriptis fidem propriam confessi sunt; quomodo diversa possunt scribere tanquam ex poenitentia ad non bene credendum traducti? Sed tamen et beato Cyrillo ita pro eis testificante, et recensita praefata Epistola in chalcedonensi sancto Concilio, non tamen aliter praevidit suscipi eum propter suspiciones in eadem Epistola insertas; nisi et ipse Nestorium et omnia ejus decreta anathematizasset. Et postquam anathematizavit, tunc susceptus est in sancto Concilio. Nec tantum de his dico solis; sed et Nestorius et Eutyches simili modo, si proprias haereses anathematizassent, modis omnibus etiam illi suscepti fuissent a sanctis Conciliis. Chalcedonense ergo Concilium circa Ibam et Theodoretum districtius egit, quam beatus Cyrillus. Beatus enim Cyrillus contentus fuit in consensu damnationis Nestorii et ordinatione beati Maximiani; qui pro illo in hac civitate episcopus factus est. Chalcedonense autem Concilium, nisi sub praesentia sua anathematizassent et omnia dogmata ejus, et scriptis inter Acta insertae fuissent voces eorum, non fuit contentum suscipere eos. In his ergo dictis Contradicentes ajunt: de his quidem persuasum est nobis. »

Cum itaque in hac Collationis parte sensum sollicite quaeramus, quippe arctam servat proposito analogiam, antea non effugiant, quae Hypatius dicit de Synodi chalcedo-

nensis Actione IX. et X. in causa Ibae. Ille namque summarie notans adversus hunc insimulationis capita dicit, accusantium judicium ab Imperatore Photio, Eustathio, et Uranio episcopis mandatum esse, qui, probe re discussa, *Ibam immunem et sine culpa decreverunt*. Quae sane cohaerent adamussim Synodi chalcedonensis definitioni; ubi praefati episcopi dicuntur scripto suo hanc obsignasse sententiam: *inculpabilem et ab omni accusatione liberum declarantes Ibam*.

Hanc porro subscriptionem, sive judicium simplici sermone expressum, legati pontificii Paschasinus, Lucentius et Bonifacius subeuntes una cum Synodi Patribus, et transcribentes verbotenus sententiam Photii et Eustathii, obtestati sunt se eorum velle, quae in Epheso de Iba gesta sunt, accipere; et probare definitionem a praefatis episcopis subscriptam, fideliter et simpliciter obsignantes, quae ipsi judices statuerant: eo magis quod denuo Ibas per litteras innovarit suae fidei orthodoxae professionem. Et sic jure postulat orationis ordo. Quem quidem ordinem reliqui attenderunt episcopi. Anatolius Ibam innoxium vocat ex ipsorum Photii et Eustathii judicio; neque aliunde repetit argumenta, quibus Ibae subscriberet innocentiae. Item Thalassius ex Photii et Eustathii verbis Ibam absolvit. Eusebius subscripsit sancitis de Iba prope illorum episcoporum statuta. Diogenes tenere oportere judicavit de Iba sententiam prolatam ab episcopis Photio et Eustathio. Item Joannes, Seleucus, Constantinus, Patricius, Petrus, et Atarbius simplicem tantummodo definitionem Photii et Eustathii instaurarunt, probaruntque nihil addentes. *Definitio*, inquiunt, *episcoporum Photii et Eustathii demonstrat innoxium reverentissimum Ibam episcopum*.

Quapropter cum judices Photius et Eustathius de mandato istud protulerint judicium, et legati pontificii se eidem judicio adhaerere, atque illud comprobare eisdem verbis et sensu unisono professi, obtestati sint hanc esse sententiam reverentissimorum episcoporum Photii et Eustathii, quam ipsi accipientes ab his, simul sanciverunt, ideo Ibam dignum esse decernentes episcopatu et Ecclesia, unde fuerat expulsus: quid igitur legatis pontificiis necesse erat mentio specialis Ibae Epistolae ad Marim, quam penitus siluerunt Ju-

dices, quibus commissum fuerat processus examen: ac ceteri omiserunt episcopi, qui post legatos pontificios, Photii et Eustathii subscripserunt sententiae, eadem istorum verba instaurantes? Cum de reliquo apertissime constet, hac accepta impia Epistola, Photium et Eustathium, legatos pontificios, ceterosque antistites sibi adversatos, ea diruisse quae tanto studio contra Nestorium statuerant.

Hinc ergo liquet praeter cetera argumenta hanc Epistolam in pericope: *relecta ejus Epistola, agnovimus ipsum (Ibam) esse orthodoxum*, definitioni Photii et Eustathii subjectam, a legatis pontificiis acceptam et a Patribus probatam, necessario comprehendere γράμματα litteras, quas in sui ὑπαγορίαν defensionem misit Ibas ad Patres synodales: quibus professus est, se orthodoxe sentire, et ideo innoxium se habere. Nec aliter Hypatius Synodi sensus interpretatus est. Et haec quoad primam partem citatae Collationis textus.

De Epistola porro Ibae, quam Contradicentes severiani objecerunt Catholicis, hic instauratis, quae ab initio hac de locutione dicta sunt, Patres chalcedonenses non tantum de Epistola ad Marim, quantum de persona Ibae cum sollicitos fuisse constet, opportuna nunc nobis subit occasio hoc explanandi de hac re Patrum judicium. Hypatius itaque respondens severianis, qui sibi Ibae praesumptas Litteras objecerant, revocatis in Actione X. ejusdem Synodi discussis, citat quoque gesta beati Cyrilli, ubi mentio incidit aliarum epistolarum: de quibus subdit Hypatius, nullimode motum fuisse Cyrillum, scientem se rectam fidem profiteri et Catholicae communicare Ecclesiae. Et ob hanc fiduciam, ait Hypatius, eumdem Cyrillum ad Valerianum scripsisse, non esse credendas nec accipiendas uti sinceras et foetum illius, cujus praeferunt nomen, epistolas fidem ostentantes diversam ab illa, quam ipse revera profitebatur. Quo argumento ideo utitur, ut manifestet praesumptam Ibae Epistolam et quidem haereticam (sive tunc seu deinde Actis Synodi insertam) apocrypham habendam esse, ac nulla prorsus ratione Ibae eidem inscribendam, qui orthodoxe sapuit et credidit.

Itemque Hypatius Cyrilli argumento instans, hac praemissa comparatione, prosecutus in refellendis severianis ait:

« *Et recensita praefata Epistola in chalcedonensi sancto Concilio, non tamen aliter praevidit suscipi eum (Ibam) propter suspiciones in eadem Epistola insertas, nisi et ipse Nestorium et omnia ejus decreta anathematizasset.* Notat Hypatius, ita susceptum esse catholicum Ibam, exacta fidei confessione: quamvis suspiciones nonnullae de eo suborirentur propter eamdem Epistolam, ipsum nempe esse ejusdem auctorem: non vero, ut putavit Sirmondius, ea verba Hypatii interpretatus de suspicionibus ex ipsa Epistola erutis, quasi non perspicue constaret, hujusmodi ad Marim Epistolam haereticis scatere sensibus ac prorsus reprobandis. Hoc non dicit Hypatius; sed illud voluit, Patres chalcedonenses, cum suspiciones quaedam suos animos ingessissent, ipsum Ibam esse auctorem Epistolae, apud eumdem institisse, ut Nestorium ejusque dogmata (quibus inspersa ea Epistola manifeste claruit) anathematizaret. Quibus anathematizatis, susceptus est in sancto Concilio. Ideoque optime severianis respondit Hypatius, mentem Patrum chalcedonensium genuine interpretatus. Hi quidem, cum Ibam approbarint orthodoxum, nequaquam una cum persona illius orthodoxam comprobarunt Epistolam eidem inscriptam, ut frustra instituerunt trium Capitulorum defensores.

Praeterea, qui hujus Collationis ordinem attente consideret, et praesertim severianorum oppositiones adversus Catholicos, ubi de hac Ibae Epistola Hypatium interrogant, penitus excludi comprehenderit, Synodum chalcedonensem hanc Epistolam probasse catholicam. Cum enim severiani petunt hujusmodi interrogatione: *et ergo illa, quae ad Marim Persam Epistola ejus Ibae scripta est, recte continet; et quae prolata ab eis (idest ipsius Ibae accusatoribus) et relecta nobis est, et inventa est narrationem habens actorum inter beatum Cyrillum et nefandum Nestorium etc.* satis indicant, hanc quidem Epistolam ab haereticis Ibae inscriptam, propositam fuisse coram Patribus chalcedonensibus: nequaquam vero dicunt, a Synodo hanc approbatam fuisse orthodoxam. Si enim severiani absolute dixissent, recta eam Epistolam ad Marim Persam continere, tunc viderentur ipsi in Actis Synodi legisse, reapse hanc acceptam et probatam fuisse orthodo-

xam; nec amplius tamquam in dubio versatos interrogasse Hypatium, quid de ea actum esset in Synodo; sed de hujus orthodoxia persuasi, talem agnovissent ex praesumpta Patrum definitione: *relecta enim ejus Ibae Epistola, agnovimus ipsum esse orthodoxum*. Quae Patrum definitio valde eisdem profuisset severianis, quippe illorum proposito inserviens contra catholicos episcopos in Hypatio repraesentatos. Nihilominus a severianis quaeritur tantummodo an haec Epistola fuisset in Synodo chalcedonensi prolata ab Ibae adversariis, nullimode vero dicunt orthodoxam probatam fuisse.

De ejusdem vero Epistolae rectitudine, veluti dubii rogarunt Hypatium; adeo ut, si Episcopus respondisset, hanc Epistolam aut ejus dictactionem orthodoxam fuisse a Patribus comprobatam, tunc inde severiani Hypatium et in eo catholicos omnes oppugnassent, propria firmata sententia. Ideoque cum severiani tanquam incerti quaerant de recto praesumptae Ibae Epistolae sensu, infertur, aut Acta Synodi chalcedonensis, ubi ea Epistola putatur declarata fuisse catholica, omnino ignorasse severianos: aut Patres in ipsa Synodo nulla ratione hanc Epistolam considerasse orthodoxam. Si primum excludatur, ut rationi consonum est, necessario manet secundum, nostrumque confirmatur propositum. Ceterum Hypatius huic severianorum illudens objectioni, Synodi chalcedonensis conscius, orthodoxiam Ibae cum Synodo probavit; Epistolae vero sub ejusdem Ibae nomine editae sensum perscrutatus et haereticum reperiens, inquit, non esse mirum, si nonnulli illustrium virorum et sanctorum nomine abutentes, scripta sua prava illis nuncupent, ut inde suorum errorum accerserent patrocinium. Idcirco prudens Synodi chalcedonensis interpres Hypatius, aperte et dictae Epistolae sensum reprobat, et ejusdem auctorem negat Ibam.

Ex his praemissis roboratur quod ab initio dictum est: nempe Patres chalcedonenses summopere incubuisse ad Ibae fidei professionem. Et ob hoc ait Hypatius Synodum circa Ibam et Theodoretum districtius egisse, ab eis exigens anathema Nestorii et omnium dogmatum suorum. De Epistola vero veluti consequentia necessaria praecipuae definitionis actum est. Cum enim dogmata in ea contenta anathe-

matizasset Ibas, necessario sequebatur, ipsam Epistolam eidem participare anathemati. Hanc porro interpretationem cum accepissent severiani, responderunt Hypatio: *de his quidem persuasum est nobis*. Quam sane interpretationem viginti fere annis post accepit, firmavitque Synodus V. Vigiliique Papae Constitutum sancivit: adeo ut siquid nunc adversarii habeant in Vigilio reprehendendum, istud percurrant eximium documentum; quod cum severianis persuaserit, pariter Facundi placita contundet, ac recentioribus satisfaciet.

Denique illusionis aut dolosae aut invitae in Facundi scriptis nota superest manifesta ex Libro VII. c. VII. ubi mordicus Theodori mopsuesteni tuitus et personam et scripta, Joannis Chrysostomi et Nazianzeni testimonia profert in ipsius Theodori encomium : « Neque vero, ait, vir ille (Joannes) magni ponderis et expectatae semper auctoritatis nobis deerit in defensione magnae Synodi; quae ab Iba episcopo non exegit ut Theodorum mopsuestenum condemnaret, cum ejus Epistola recitari laudes audiret. Adsit igitur etiam beatus Gregorius nazianzenus temerariorum et ipse crimen aucturus; qui Theodoro adhuc juveni ac novello ita scribit, ejus perfectioni congratulans. » Deinde aliam citat Facundus Nazianzeni epistolam Theodoro datam; quamque ita praeit: « Sed ad aliam transeamus epistolam. . . . Episcopatus enim depositurus curam, et relicta sua civitate, cum monachis in rure victurus, ubi etiam defunctus est, Theodorum de toto Oriente in defensionem et visitationem ejusdem ecclesiae suae delegit; non aliud caput illam provinciam habere testificans, cujus flagitaret auxilium. Sic enim ei iterum scribit etc. »

Sirmondius autem, qui accurate has epistolas perlegit in notis subdit : « Apud Gregorium epistola 219. et quae describitur 220. cum duabus sequentibus simplicem titulum habeat *Theodoro*. At epistola 225. addit, *Theodoro episcopo Tyanorum*, ad quem pertinere omnes conjectum est, de qua mox dicam. *Alia epistola* ea est apud Gregorium n. 88. quae in graecis exemplaribus *Anonymo*, sed in latinis recte inscripta est *Theodoro episcopo tyanensi*. Quare fallitur Facundus, qui ad Theodorum mopsuestenum scriptam putavit. »

Quae porro merito animadvertit Sirmondius adversus Facundum, jam Justinianus exprobravit eidem in suae fidei Professione: « Tantus, inquit, est furor defendentium Theodorum, quia audent adversus Gregorium Theologum et Joannem constantinopolitanum mentiri dicentes, epistolas ad eumdem Theodorum plenas laude direxisse: quod falsum est. Gregorius enim, cum in Constantinopoli pro veritate laborans, conversis per eum ab Ariana insania ad catholicam fidem populis, ad suam patriam reversus est, epistolas, quas haeretici dolose proferunt, non ad Theodorum mopsuestenum scripsit, sed ad Theodorum episcopum tyanensem, quae est secundae Cappadociae metropolis. Ejusdem autem provinciae sunt et Nazianzus civitas, cujus fuerat episcopus idem sanctae memoriae Gregorius, et Arianzus praedium, unde ortus fuerat.

« Hoc enim, subdit, et ipsae epistolae aperte significant, memoriam facientes consuetudinum et collectionum, et ejusdem praedii Arianzi et aliorum praediorum ejusdem provinciae, et *mensis* vernacula lingua cappadocum nominati, et Bosporii episcopi sub eodem Theodoro antistite, qui tunc temporis Coloniae civitatis ejusdem provinciae episcopus erat, et aliorum episcoporum et chorepiscoporum et monasteriorum, quae sub Theodori jurisdictione erant; quorum usque nunc nomina eadem servantur. Qualis porro communio cappadocibus ad secundam Ciliciam, vel tunc vel modo divisa earum provinciarum gubernatione? Et quos episcopos sub se habere poterat mopsuestenus Episcopus, cum ipse sub metropolitano secundae Ciliciae constitutus esset? Joannes autem constantinopolitanus scripsit quidem epistolam ad Theodorum mopsuestenum; non tamen laudibus sed quaerimoniis et increpationibus plenam, utpote illo a pietate et bona conversatione lapso. » Et quid responderet Facundus; et qualis trium Capitulorum defendentium evasio, his stantibus Justiniani obtestationibus?

Cunctis his exactis recensionibus, quae admodum ostendunt incassum suum opus insumpsisse Facundum ad trium Capitulorum defensionem, ac perperam Patribus synodalibus et Vigilio exprobrasse anathematis decretum, tandem nos-

se juvat quod ipse Facundus ait *in Epistola fidei catholicae* ab Acheria citata in Tomo III. *Spicilegii*: « Quae cum ita sint, inquit, aut illa utique fuit, sicut vere fuit, et est, eritque Catholica Ecclesia, quae tria Capitula nec damnavit, nec damnat; nec istis scelestissimis damnatoribus, eorumque communicatoribus, nisi sub merita satisfactione, communicat. Et isti procul dubio haeretici, qui noviter admiserunt quod in Ecclesia, quae eos regeneravit, non acceperunt. Aut si illa, quod audire sacrilegum est, non fuit Catholica Ecclesia, isti simili modo, remotis ambagibus, haeretici sunt: quia, ut dictum est, ipsa eos Ecclesia baptizavit, quae Capitula ista nunquam damnavit. Quas ob res, utrolibet objecto respondeant, haeretici convincantur necesse est. Si autem quod verum est, nihil nocuisse eadem Capitula per centum et amplius, ut praedictum est, annos Catholicae Ecclesiae dixerint; multo magis magisque se reos intelligant inexcusabiliter: animadvertant quantum mali contra ejus decreta commiserint, damnando quod illa non damnavit. Cognoscant quid egerint et sentiant se ab ea praecisos, cujus decreta, quantum in ipsis est, convellentes, haereticorum se catervis favendo, eorum votis pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab acephalis haereticis, idest semieutichianis exquisita et elicita Capitulorum damnatio, et Vigilii atque Pelagii romanorum praevaricatorum, et Primasii byzaceni praecipui doctoris acephalorum edita contra Ecclesiam scripta protestantur. »

En ex falso supposito falsam consequentiam. Cum enim Facundus Acta Synodi chalcedonensis apte non animadvertit, aut latinam interpretationem textui graeco praeferens, aut non comprehendens originalem locutionem Patrum graecorum de Epistola Ibae credita, ac tandem Petro mentitus, qui in persona Vigilii infallibilis interpres, Synodi chalcedonensis mentem exposuit ac definivit, necessario ad hanc mendacissimam et infaustissimam devenit conclusionem: unde quaedam pars ecclesiarum occidentalium ad quinquaginta et amplius annos, etiamsi magnopere Pontifices Romani ad illud convellendum elaborassent, in schismate perduravit.

Perduravit sane, cum Istriae episcopi anno 590. Vigilii Papae decretum ac una obtestationes ejusdem in Constituto

adversus obtrectatores suos spernentes, facies suas obfirmarunt adversus Pontificem; et Facundi scriptis mendacibus potius praestiterunt aures, *execrabilem* ausi appellare *trium Capitulorum damnationem*; cum antea commentati essent, *Vigilium scripta sua per omnes provincias mittendo, anathematis vinculis omnem populum obligasse, siquis damnationi trium Capitulorum praeberet aliquando consensum.* Quae autem fuerint scripta, quae dedisse dicitur Vigilius ad omnes provincias de nota quaestione, et quanta auctoritate haec et similia cumulanda sint, proxima discussio declarabit.

Ac interim in hujus Capitis conclusione, repetitis, quae hucusque discussa sunt de praesumpta Ibae Epistola, quam adversarii propugnarunt a Synodo chalcedonensi acceptam, patet quanto jure s. Gregorius Magnus saepe insipientes vocaverit hujus Epistolae defensores: « Quia, ait juxta Pauli Apostoli vocem, *non intelligunt neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.* Et ad Theodolindam reginam scribit: « Tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis: qui non solum ea, quae loquuntur, nesciunt; sed vix ea percipere, quae audierint possunt. Dicunt enim piae memoriae Justiniani temporibus aliqua contra chalcedonensem Synodum fuisse constituta: qui, dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. »



CAPUT XVIII.

Veterum quorumdam de Synodo V. et de Vigilio Papa accurata instituitur disquisitio documentorum, unde Concilii ejusdem tractatores admodum confusi et offensi sunt.

Nemo est qui ignoret, et jam diximus, quot falsa aut falsata scripta, quot insimulationes, quot calumniae huc illuc per ora discurrentes trium Capitulorum defendentium, orbem christianum impleverint jam a Vigilii aetate usque ad seculi VI. exitum et ultra. Quorum nonnulla cum sepulta tamdiu jacuissent in tabulariis, nunc lucem viderunt. Quae quidem etiamsi quandoque obiter recensuerim ac confutarim, nihilominus ad majorem argumenti perspicuitatem, existimavi ea denuo ad hoc reducere Caput, illis comparans, quae sincera hucusque universim credita sunt, cunctas illorum partes expendens, tempus et circumstantias, ut horum documentorum momentum liquido dignoscatur. Cum enim istorum falsitas sive falsatio reveletur, aliorum, quae integra sunt et genuina magis fulgebit veritas; nostrumque firmabitur propositum.

Interim hujusmodi falsitatis notas praeferentia scripta aut Vigilio, aut Justiniano vel aliis nuncupata personis, haec habentur: quaeque trado prout reperi in Editione Conciliorum, curante Card. Passioneo, Tomo IX. *Tractatus sive Epistola Justiniani ad Mennam adversus Origenem,* de qua supra actum est. *Epistola XV. Vigilii Papae Encyclica ad universam Ecclesiam. Epistola ejusdem Papae de depositione et damnatione Theodori episcopi Caesareae Cappadociae. Fragmentum damnationis ejusdem Theodori a beato Vigilio factae. Epistola Legatariis Francorum Constantinopolim proficiscentium ab Italiae clericis directa. Constitutum Vigilii Papae de Tribus Capitulis Justiniano oblatum. Charta juramenti Vigilii Papae et recitati coram Justiniano, Theodoro Caesareae, aliisque. Forma Justiniani destinata ad Synodum circa Vigilium, ne sacris diptychis Ecclesiae nomen suum inferatur an. 27. Imperii. Epistola decretalis Vigilii Papae pro confirmatione*

quintae Synodi an. 27. Justiniani imperatoris. Ejusdem Vigilii Epistola dominis Theodosio, Anthemio et Severo episcopis.

Et haec scripta lectori objicio uti apocrypha, fraudulenter a trium Capitulorum defensoribus elaborata, ut incautis illuderent, seque suosque in errore detinerent adversus Vigilii definitionem. Quorum falsitatem partim ac summatim Vigilius ipse ostendit in epistolis ad Rusticum et Sebastianum, ad Valentinianum, et ad Episcopum arelatensem. In qua ultima haec ait Papa: « Fraternitas ergo tua, quem Apostolicae Sedis per nos constat esse Vicarium, universis episcopis innotescat, ut nulli aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis qualibet ratione turbentur. » Attamen recentiores parum de hoc monito solliciti, hujusmodi scripta, contra quae obtestatus est Papa, approbantes illusi sunt, aliosque in suam induxerunt illusionem. Quare studiose singula excutientes, falsitatem undique manifestare non desistemus, rebus praesertim expositis, quae sinceris adversantur Concilii Actis, et quae inter se mutuo colluctant; aut eorumdem trium Capitulorum defensorum scriptis destruuntur. Ac interim quatuor priora ex citatis documentis nostrae subeant considerationi, quippe inter se affinia quoad res ibi tractatas, ac potissimum de Vigilii receptione in trium Capitulorum causa, de anathemate inflicto Theodoro Caesareae Cappadociae episcopo, et de suspensione indicta Mennae et omnibus episcopis orientalibus per eumdem Papam, eo quod, ipso invito Pontifice et instante Justiniano, damnationem decreverint trium Capitulorum, eaque defendentium. Quamobrem Vigilius ibidem dicitur plures passus esse vexationes et ignominias.

Et primum, ut quaedam de Encyclica referam, dicit Papa: « Nunc autem omnibus hominibus haec quoque curavimus indicandum, quoniam nos ad sanctae Euphemiae basilicam sub magno timore et anxietate discessimus. Nam cum ad beati Petri basilicam in Ormisda fundatam, Augusto mense nuper praeterito fugissemus, nullum latere confidimus: quia cum in eadem ecclesia a comitatu praetoris cum multitudine armatorum militum veniente, tanquam ad bellum instructa acie, a sancto ejus altari tracti pedibus traheremur,

tenuimus: et super nos etiam ipsa altaris mensa ceciderat, nisi clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata. Postea vero dum nobis dicitur, quod exinde, nisi sacramenta voluissemus accipere, sub omni violentia traheremur, memorati judices a piissimo Imperatore directi voluissent nobis juramenta praestare; indiculum dedimus, per quod dari personae nostrae scripto petivimus jusjurandum: quod clementissimus Princeps non quale nos voluimus, praeberi concessit; sed quale ipsi placuit, per judices suos dandum esse dictavit.... Sed nequis forsitan, ut est perversorum hominum malitia, de praedicatione nostra religiosis animis ac Deum timentibus, aliqua mentiatur, fidei nostrae praedicationem huic parvae relationi malorum, quae pertulimus, credidimus subjungendam. » Postea adversus Theodorum Caesareae locutus, ideo dicit Principi commendasse, suggerens et rogans: « pro pace, quam per pietatem tuam pridem Deus donavit Ecclesiae, ut eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas: nec auctorem totius scandali Theodorum ultra vexare fidem catholicam patiaris: quoniam ante sex menses a nobis inter alios communione sacra privatus est; et ab episcopatu pro sua pravitate depositus etc. »

Item *in Fragmento damnationis Theodori* dicit Vigilius se pro scandalo refraenando, ac quorumdam animis temperandis, quos ipse Theodorus inquietissimus incenderat, nonnulla pro tempore medicinaliter existimasse ordinanda de tribus Capitulis, donec ab Africa, Illyrico et Galliis venirent episcopi, qui valde scandalizati fuerant: « Illud quoque magnopere nobis cum clementissimo Principe, presentibus etiam Menna constantinopolitanae civitatis, et Dacio mediolanensis urbis antistite, aliisque tum graecis tum latinis episcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore frater adfuisti, nec non et praesentibus judicibus et proceribus, universoque senatu convenit, ne usque ad memoratam Concilii definitionem, quidquam de praefatis Capitulis ab aliquo fieri intentaretur. »

Deinceps subdit Vigilius de Theodoro, contra quod statutum fuerat, librum continentem trium Capitulorum damnationem, ipso incitante relectum fuisse coram quibusdam graecis episcopis, unde favorem exigebat, et unde scandala exor-

ta sunt et divisiones in Ecclesia : « Nam usque ad hoc, animum christianissimi Principis falsis suggestionibus perduxisti, ut clementia ejus, quae in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos graviter moveretur. Sed haec omnia bona desideria nostra, quae pro pace Ecclesiae procul dubio militabant; ita animus tuus quietis impatiens dissipavit, ut illa, quae fraterna collatione et tranquilla episcoporum fuerant reservanda judicio, subito contra ecclesiasticum morem, et contra paternas traditiones, et contra omnem autoritatem evangelicae et apostolicae doctrinae, edictis propositis, secundum tuum damnarentur arbitrium..... Et quasi nihil tibi esset, primae Sedis Antistitem praesentem et contradicentem contempsisse, pontificem etiam alexandrinae ecclesiae sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cujus nomen usque ad memoratam diem communicatum vobis fuerat, diptychis eximentes, Apollinarem quemdam perversorem atque ecclesiae ipsius adulterum vobis sociastis: ut iniquitas vestra non solum in removendo simplicissimo sacerdote sed in recipiendo patefieret perversore. »

Demum sequitur decretum anathematis adversus nuncupatum Theodorum, et Mennam ceterosque consentientes; « Teque Mennam constantinopolitanae civitatis episcopum, qui non dissimili culpa constringeris cum omnibus metropolitanis episcopis ad tuam dioecesim pertinentibus, sed et vos orientales, vel diversarum provinciarum majorum minorumque civitatum episcopos, qui his excessibus, pro quibus Theodorum Caesareae Cappadociae quondam episcopum condemnavimus, praebuistis assensum, humaniore sententia pro Dei consideratione, tamdiu a sacra communione suspendimus, donec unusquisque vestrum errorem suae praevaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit, etc. »

Tertium hujus generis commentitium documentum de Theodoro Caesareae anathematizato ob eamdem trium Capitulorum quaestionem, protulit Baluzius; ubi haec leguntur: « Epistola Vigilii, quam fecit ante sex menses, tempore, quo violentiam passus est in basilica s. Petri in Ormisda; in qua a communione suspendit Punantem (Mennam) episcopum

partis *graeciarum*, qui praevaricationi vel pravo errori consenserant Theodori quondam episcopi Cappadociae *civitatis*: qui depositus est de episcopatu suo simulque damnatus sub anathematis vinculo. Sed usque nunc non est proposita charta ista . . . . . Ideo istas chartas vobis transmisimus, ut cognoscatis quae sunt acta de beatissimo Papa . . . Et ne forte Theodorus, qui pridem Caesareae Cappadociae fuit episcopus, et nunc a nobis vivens et praesens damnatus est malitia et fraude, qua cunctis innotuit, ad simulationem fidei nostrae, iniquitatis suae aculeos atque arma convertit, breviter dicimus, nos illam tenere fidem, praedicare, quae sunt ab Apostolis tradita et a sanctis Patribus in quatuor Conciliis exposita et definita : nihil adjicientes his, quae de fide a memoratis quatuor Conciliis bene constituta sunt, nihil penitus subtrahentes, sed cuncta inviolabiliter per Dei gratiam, custodimus ; et anathematizamus omnes haereticos. . . . . . » Demum emittens Vigilius suae fidei professionem inquit de Filii Dei incarnatione : *Qui superveniente Spiritu Sancto, et virtute Altissimi obumbrante, sine homine patre conceptus, unus et idem Filius Dei Patris, et Filius hominis matris. Neque enim assumpta humana natura coaeternitas facta est; sed sancta Trinitas mansit Trinitas, assumptione carnis singulari verbo Domini ineffabiliter conservans unius personae sibi substantiae Dei et hominis veritate etc.* »

Huic denique epistolae nothae quarta succedit, quae recapitulatio dici potest aliarum antea censitarum ; ac unde magis ac magis obtrectantium revelatur lingua tria Capitula defendentium. Hujus porro titulus est : *Epistola legatis francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, directa ab Italiae clericis*, ubi notificantur violentiae et persecutiones, quas illic sacerdotes catholici passi sunt, et quicumque ecclesiasticas regulas servari voluerint : « Veniens enim ibi ante sex annos beatissimus Papa Vigilius, magis autem ut, quod verius est, dicatur, prope violenter adductus, coeperunt ibi expectare, ut damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus chalcedonensis, quae fidem Catholicam, insistente tunc beatissimo Papa Leone, contra diversas haereses vindicavit, modis omnibus solveretur. Sed cum

Vigilius Papa in hac parte non vellet adhibere consensum, jam tunc talis violentia facta est, ut publice in conventu clamarit: *Contestor quia etsi me captivum tenetis, beatum Petrum Apostolum captivum facere non potestis.* Postea tamen, tractatu habito, praedictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinaverit, sollicite monendo, ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur injuriam. Et quamvis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieverunt africani et dalmatae sacerdotes recipere: tamen coepit iterum dictus beatissimus Papa ad hoc compelli, ut absolute ipsa Capitula sine Synodi chalcedonensis mentione damnaret. Sed Papa non acquiescens hoc facere, et videns se nimium ingravari, dixit tunc: *Serenissime Princeps, veniant huc fratres nostri ex omnibus provinciis quini aut seni episcopi, et quidquid, sub tranquillitate tractatu habito, omnibus visum fuerit, cum pace disponemus; quia sine consensu omnium ista et quae Synodum chalcedonensem in dubium venire faciunt, et scandalum fratribus meis generant, solus facere ullatenus acquiescam.*

« Missi sunt ergo a clementissimo Principe ad Africam et Illyricum, ut venire episcopi debuissent. Sed de Illyrico nullus venire voluit. De Africa vero cum jam aliqui proximare civitati regiae dicerentur, dixit Papa Vigilius Principi, ut si ei non sufficeret illud, quod ante decreverat, redderet: et tanquam de novo causam cum his, qui venire nunciati sunt, tractaretur. Praestitit igitur Deus, ut hac ratione sanctus Papa Vigilius Constitutum, quod in ipsa causa fecerat, publice in conventu reciperet, denuntians quia, siquis graecorum episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, a communione Sedis Apostolicae alienus existeret: quoniam frequenter ipsi episcopi graeci ad voluntatem Principis damnaverant Capitula ista, unde causa mota est. Sed beatissimus Papa manus eorum a serenissimo Principe receperat. »

Deinde enumerantur, quae passi sunt episcopi africani ceterique renuentes Capitulorum subscribere damnationi. Item ibidem dicitur, ipse Papa compulsus, ut etiamsi episco-

pi afri et illyriciani non venirent, tamen cum episcopis graecis subscriberet damnationi. Ac interea decreto imperiali edicta in damnatione trium Capitulorum diversis in locis suspensa sunt: « Quo facto, beatissimus Papa omnes episcopos admonuit dicens: *quicumque edictis istis consensum praebere voluerit, sciat se ab Apostolicae Sedis communione suspensum.* Sed et sanctus Dacius mediolanensis episcopus contestationem omnium sub magna vociferatione deposuit dicens: Ecce ego et pars omnium sacerdotum, inter quos ecclesia mea constituta est, idest Galliae, Burgundiae, Hispaniae, Liguriae, Aemiliae, atque Venetiae, contestor, quia quicumque in edicta ista consenserit, suprascriptarum provinciarum pontifices habere non poterit communicatores. Quia constat apud me edicta illa sanctam Synodum chalcedonensem et fidem catholicam perturbare. De qua re accensa est contra beatissimum Papam et contra Dacium episcoporum iracundia principalis; et tanta contra eos agere coeperunt ut, nisi ad sanctorum basilicas confugissent, ad interitum vitae pervenirent. Et tamen beatissimus Papa Vigilius nec in basilica beati Petri tutas sedes habere meruit, in tantum ut illic praetor, ad quem fures et homicidae tantummodo pertinent, mitteretur. Qui cum multitudine militum spathas nudatas et arcus tensos portantium, supradictam basilicam introivit. Quo viso, s. Papa columnas altaris complexus est; sed ille ferocitate et animo concitatus, primo de altari diaconos ejusdem et clericos a capillis tentos ejecit. Postea vero ipsum Papam alii a pedibus, alii a capillis, et barba tentum crudeliter abstrahebant. »

Et enarratis hujusmodi violentiis, Auctor pergit, ab his exactionibus inquiens cessatum esse; ac Vigilium et Dacium sacramenta accepisse, nullum eis facturum violentiam, nec de causa ecclesiastica invitis aliquid extorquere. Denique subdit: « Soliciti tamen esse dignemini, quia siqui Capitula damnare volunt, fingunt se et fidem catholicam vindicare et chalcedonensem Synodum venerari cum nobis omnibus, ut, qui ignorant intentionem eorum, videantur aliquid injustum expetere. Vos christiani et nobiles viri cauti estote.... Haec enim omnia quaedam fidelissimae personae a Constantinopoli venientes ita acta esse veraciter confirmaverunt: sed et

multa crudeliter circa diversos diaconos et clericos afros, qui eis consentiri nolunt, acta esse vel agi; interdictumque esse omnibus romanis, ne ad beatissimum Papam accedant. De quibus omnibus etc. »

Circa hujus epistolae auctoritatem, et priusquam ejusdem disquiramus partes, quisquam certe, puto, oculum suum figet in postrema verba, ubi legitur: *Haec enim omnia quaedam fidelissimae personae a Constantinopoli venientes etc.* Siquis itaque nosse velit quales fuerint istae *fidelissimae personae*, procul dubio sciat, has ad eorum classem pertinere, de quibus Vigilius ipse, Pelagius I. ac successores admodum conquesti sunt, utpote falsatoribus, corruptoribus et interpolatoribus Synodi V. historiae; et unde tamdiu perseveravit in ecclesiis occidentalibus dissidium ad simplicium illusionem et grandem animarum perniciem. *Fidelissimae personae* ex illis sunt trium Capitulorum defensoribus, et Pontificis Romani decreto resistentibus, qui ipsius insimulandi occasionem nacti sunt, aut reprobantes Judicatum, seu obtrectantes ejusdem auctoritatem, aut eorumdem Capitulorum damnationem varimode interpretati.

Revera, calumniarum artificium, falsitatumque, quibus epistola scatet, jam ab ipso tempore, quo haec eadem apparet dictata, invenitur denudatum et confutatum a praefatis genuinis, et extra omne dubium positis ac universim probatis, litteris Vigilii Papae ad Rusticum et Sebastianum praecipuos hujus scandali provocatores. In his enim litteris Vigilii questus comprehenditur adversus eosdem diaconos, ubi ait: « Sanctarum quoque regularum consequentiam injuriis affecistis, impia et quae non sunt licita, per universas contra nos provincias fallaciter indicando. Nuper etiam malis vestris addentes pejora prioribus domnum Leonem praedecessorem nostrum in Theodori mopsuesteni dictis, quae contra fidem rectam legitur scripsisse, consensum praebuisse et firmasse, dato scripto ad christianissimum Principem filium nostrum, ausi fuistis adstruere. » Quaeque insuper tribus circiter annis post instaurat adversus suos obtrectatores in Constituto novissimo n. 7. statuens nullimode potuisse Synodum chalcedonensem Ibae inscriptam Epistolam pro-

bare catholicam : « Propter quod, ait, nulli venit in dubium, quod ea, quae adversus nos false dici asserimus, neque a nobis dicta, neque facta esse omnino diffateamur: et quae ex abundanti recepisse adstruimur, et antea tenuisse firmemur. »

Haec porro Vigilii dicta sicuti deinde successorum suorum adversus obtrectatores et falsatores eorum, quae contra tria Capitula tunc gesta sunt, optime quatuor praefatis documentis accommodantur, ubi item ea Capitula defendentes perfidiam manifestant undique et characteres falsitatis. Cum autem falsarii plures plura commenti sint de hac quaestione, factum est ut saepe mutuo se propriis armis colliderent, et quandoque nolentes veritati adderent suffragium. Ac interim sicubi in illis scriptis speciatim agitur de Vigilii retractatione, ubi ea Capitula ipse defendit, quae antea damnaverat arbitratus ita laedi Synodi chalcedonensis definitionem, adversus ideo earum scripturarum falsitatem et ea, quae ibi narrantur, prima et amplissima testificatio nobis praebetur ex confessione Facundi hermianensis, Victoris tunnunensis et Liberati ex ferventissimis trium Capitulorum patronis. Ab his namque luculenter adstruitur, Vigilium Papam in suo Constantinopolim adventu, horum Capitulorum subscripsisse damnationi, nec unquam postea ab hoc defecisse decreto.

Facundus itaque, qui Constantinopoli adfuit simul ac illuc pervenit Vigilius, narrans quae tunc gesta sunt de tribus Capitulis, inquit in Libro contra Mocianum, septuaginta episcopos cum Romano Pontifice (praeter alios, qui antea subscripserant) Constantinopoli congregatos, condemnasse Epistolam (Ibae) cum approbatoribus suis. Deinde in epistola pro defensione trium Capitulorum, illos arguens (in quibus eminent Vigilius et Pelagius Pontifices) qui ea Capitula reprobarant, inquit: « Quod isti ante quindecim aut sexdecim annos, variis et peregrinis contra apostolicum praeceptum abducti doctrinis, et obsequendo jussionibus palatinis cognoverunt. » Paulo post addit: « Damnatores, Ecclesiae Catholicae decreta convellentes, se haereticorum semieutichianorum sive acephalorum catervis, eorum votis favendo, pertinaciter aggregarunt. »

Et quid eo luculentius, quod ibi subdit Facundus de Vigilio? qui ab ingressu suo in Civitatem regiam usque ad obitum, se ipsum *pertinaciter* trium Capitulorum expugnatoribus aggregavit, votis favendo, ut ipse insaniens dicit, haereticorum, ideo amplius ejusdem Vigilii et Pelagii scripta citans, ubi hoc solidabatur anathema? Nonne, si quandoque dormitans Vigilius, quae antea firmaverat, retractasset, defensoribus sociatus illorum Capitulorum, uti in citatis testimoniis praesumitur, nonne pleno ore, manibusque plaudens Facundus, catholicum de hac Vigilii palinodia replesset orbem?

Hoc idem de Victore putandum est, qui in Chronico, quemadmodum infra dicetur, gestorum seriem describens in trium Capitulorum causa ab anno quarto post Consulatum Basilii usque ad annum decimum tertium, in quo ideo Synodus V. congregata est, non tantum notat Vigilii decretum praefata Capitula anathematizantis, quodque Papa tenuit firmavitque in Synodo oecumenica: verum et illud sub an. X. (tribus circiter annis ante Synodum) sane notatu dignum est quod ait: « Antistites africani Vigilium Romanum Episcopum damnatorem trium Capitulorum, synodaliter a catholica communione, reservato ei poenitentiae loco, recluserunt. » Similiter Liberatus alter trium Capitulorum patronus, quique cum praefatis Facundo et Victore pugnabat adversus damnationis edictum ab exordio quaestionis publicatum, de Vigilii retractatione silens, irrevocabile dicit mansisse hoc decretum. Et en quomodo auctores praesumptorum documentorum pro tribus Capitulis dimicantes, a suis fratribus schismaticis reprobantur in iis, quas Vigilio adscripserunt, sive retractationibus, sive tergiversationibus.

Secundo, pari ratione Capitulorum defensores contra seipsos stant, ut una simul cadant, dolosis armis pugnantes in Catholicos. Auctor enim *Epistolae legatariis* narrans quomodo Constantinopoli Vigilius et Dacius compulsi ad trium Capitulorum subscribendum anathema circa annum 550. vel 51. vicissim obtestati sunt: « sed et sanctus Dacius episcopus mediolanensis, inquit, contestationem omnium sub magna vociferatione deposuit dicens: ecce ego et pars omnium sacer-

dotum, inter quos ecclesia mea constituta est, idest Galliae, Burgundiae, Hispaniae, Liguriae, Aemiliae atque Venetiae contestor, quia quicumque in edicta ista consenserit, suprascriptarum provinciarum pontifices habere non poterit communicatores. Quia constat apud me edicta illa sanctam Synodum chalcedonensem et fidem catholicam perturbare. » Tamen Victor, etsi pro tribus Capitulis agens, ex adverso de Dacio scribit in Chronico: « Dacius mediolanensis episcopus Constantinopolim venit, et damnationi eorumdem trium Capitulorum consentiens, eo die percussus obiit. » Videas ergo antilogiam. Ceterum Dacius Vigilii comes in quaestione trium Capitulorum, non aliter quam Papa sensit, etsi Synodo quintae non interfuerit. Constantinopoli enim juxta Ughellium anno 552. mortuus est.

Tertio, *in Fragmento Anathematis*, quo Vigilium supponitur inussisse Theodorum Caesareae, quasi is egisset in hac quaestione contra Pontificis mentem, et speciatim quod Papa definivit in Judicato de tribus Capitulis, in hoc quoque ostenditur falsitas; et falsator ab ejusdem schismatis socio redarguitur. Anathematis enim Auctor quinquennio post Pontificis adventum in urbem regiam de ipso Theodoro dicit: « Primum quidem in eo, quod pro scandalo refraenando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quaedam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, tali scilicet conditione etc. » Facundus porro, qui Actis Judicato praecedentibus interfuit; idemque postea legit, et quamvis totis viribus ipsius proculcare auctoritatem conetur, secretas Vigilii cum Justiniano commentatus conventiones; attamen, quas hujus Scripti Auctor notavit praecipuas causas, quibus dispensative aut medicinaliter pro tempore usus esset Papa in Judicato, quasi non absolute anathematizasset tria Capitula, ac una quicumque ea defenderet, has, inquam, ignoravit Facundus, nec legit, nec vidit in genuino Vigilii Judicato. Si enim talia legisset Facundus, non tam vehementer incensus esset adversus Vigilium in Libro contra Mocianum et alibi.

Nonnulla sane Vigilio exprobrat Facundus antequam emitteret Judicatum: post emissionem vero nil hujusmodi arguit de eo nisi absolutam trium Capitulorum damnationem. Sciebat namque Facundus, vix Constantinopolim appulit Papa, negotium ab eo de his Capitulis pertractatum fuisse ac definitum: « Necesse autem cum esset (loquitur Papa in epistola ad Rusticum) ut negotium, quod fuerat in judicio nostro perductum, te etiam quam maxime inter alios tam sacrati ordinis quam sequentis consentiente, sententia finiretur; quod constat effectum. » De reliquo in citata epistola ad Rusticum et Sebastianum satis perspicue legitur non tantum trium Capitulorum damnatio, sed et eorum suspensio a communione, quicumque contra Judicatum scripsissent: « Quos (Lampridium et Felicem dicit Vigilius) pro hoc, quod contra Judicatum nostrum scripserunt, per ejusdem Judicati seriem constabat jam a nobis communione suspensos. »

Quarto, in fine ejusdem *Fragmenti* dicitur Vigilius, damnato Theodoro Caesareae, a communione suspendisse Mennam cum omnibus metropolitanis et micropolitanis episcopis ad suam dioecesim pertinentibus, et cum omnibus episcopis orientalibus vel diversarum provinciarum majorum, vel minorum civitatum etc. Verumtamen nec Facundus nec Victor ullam egerunt mentionem de hoc suspensionis decreto, quantumvis plurimum causae propriae profecisset. Ceterum loquendi formula, quam Auctor praefert in episcoporum recensione ac praesertim ubi ait *ad tuam dioecesim pertinentibus*, quid admodum peregrinum indicat a communi et sincera Romanorum Pontificum elocutione, adeo ut et hinc pateat hujus decreti falsitas.

Verum et pro Vigilii firmitate adversus tria Capitula juxta quod in Judicato decretum fuerat, quodque iteratur in Constituto novissimo, facit nuper citata Facundi epistola aliquot annis scripta post Synodum oecumenicam et Vigilii obitum. In ea namque pro more suo vellicans Pontificem, quasi ambitione et muneribus abductus foret ad Capitulorum anathema, subdit: « Ac ita acephalorum fautores (ipse Papa cum suis) consortesque effecti sunt, et ceteris haereticis dexteras dederunt, ut liceat eis quoties libuerit,

et quomodo libuerit orthodoxorum Pontificum decreta rescindere vel damnare. » Cum itaque Facundus Vigilio exprobret damnationem et rescissionem decretorum Pontificum orthodoxorum ob illud quod sancivit contra tria Capitula, opportunum pro re sua visum fuisset non solum Papam corripere ob rescissionem veterum decretorum, sed magis ob ipsius rescissionem aut condemnationem Judicati : in quo, ut sonant praefata testimonia, reprobavit Papa damnavitque quod postea amplexus est ac defendit ; et sic Facundi in Vigilium invaluisset criminatio. Nihilominus Episcopus hermianensis non vidit quomodo Pontificem culparet de Judicati, sive Constituti rescissione aut palinodia ; proindeque nullius auctoritatis fiunt, quae praemisi falsa scripta de Vigilii inconstantia in tribus dijudicandis Capitulis.

Quinto, inter plures falsitates, quas trium Capitulorum defensores in *Epistola legatariis* concinnarunt callidissime adversus Vigilii Constitutum, ea notanda subit, quae genuinam respicit Vigilii epistolam ad Aurelianum arelatensem, quasi sub custodia et violentia positus Papa hanc scripsisset juxta Justiniani placitum : « Et non permiserunt, inquiunt Clerici, per eumdem Anastasium, beatissimum Papam, quid in ipsa causa ageretur, fratribus suis episcopis gallicanis scribere, nisi tantum de aliis causis, et quia fidem catholicam et quatuor Synodorum reverentiam secundum traditionem Patrum custodit atque conservat. »

Attamen in litteris Vigilii ad Aurelianum, sicut vidimus, nec obscurum, nec quidquam incertum continetur de Capitulorum damnatione. Satis enim aperte ibi, uti post in Synodo graece translatae lectae sunt, mens Pontificis innotuit, tria Capitula anathematizantis, et in sua integritate statuentis, quae in Concilio chalcedonensi fuerant definita : « Necesse est ergo nobis, ait Pontifex ad Aurelianum, caritatis vestrae sollicitudinem brevi interim, quantum pro temporis qualitate potuimus, relevare colloquio ; quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctae, quae una eademque est, fidei quatuor Synodorum contrarium. » Nihil eum admisisse scilicet in Judicati promulgatione adversus tria Capitula,

suadendo et convincendo valde temere arbitratos, ipsum per Judicatum decreta proculcasse Synodi chalcedonensis. Merito ergo improbatur Anonymi dicterium contra Vigilii epistolam ad Aurelianum, quasi non licuisset Papae scribere quae de tribus sentiret Capitulis.

Sexto, a veritate quoque abhorret *Epistola legatariis*, ubi indicat, Anastasium non potuisse exire ab Urbe regia, nisi sub conditione, *se animos inclinaturos episcóporum gallicanorum contra tria Capitula*. Porro huic violentiae, quam dicitur passus Anastasius, multa ex ceteris apocryphis scripturis affinia et majora addenda sunt mala, quae Vigilius sustinuisset Constantinopoli ipse suique, Justiniano mandante sive permittente, in trium Capitulorum causa. Tamen haec omnia nec Facundus, nec Victor, nec Liberatus, nec denique ipse Procopius meminere: quorum sane et cujusque in causa propria intererat valde praesentibus et futuris commendare hominibus. Primis, Facundo nempe, Victori, et Liberato ea profuissent, ut ostenderent, ideo non tenere Vigilii decretum contra tria Capitula, quod invitus obsignasset. Et Victor speciatim in Chronico juxta temporis seriem narrans, quae ipse et aliqui episcopi ex eadem cum ipso factione passi sunt a Justiniano Constantinopoli et alibi ob horum Capitulorum defensionem, his nihilominus vexationibus quandoque communicasse Vigilium transigit omnino. Procopius vero, cujus quisque novit studium in *Historia Arcana* elaboranda, ubi Justiniani gesta perscrutatus solerter cujusque generis ita ponderavit, ut siquae inconsulto improba et nefanda egisset, mundo notificaret, hujusmodi tamen peculiares contumelias et sacrilegia Pontifici Romano ab eo inlata silentio praetermittit.

Sed ex adverso ab ipsius Procopii historia et ab epistolis ejusdem Vigilii genuinis lucidissime comperitur concordia et unanimitas tunc inter utrumque persistens et Pontificem et Justinianum, et hujus observantia in Petri successorem. In litteris ad Rusticum et Sebastianum conqueritur Papa, quod ipsi injurias irrogassent Justiniano: « Sed etiam (circa an. 550. 551.) quod dici nefas est, ipsi quoque Principi sacrilegas injurias irrogare tentastis; quatenus ignoran-

tem populum christianum diabolica amplius deciperetis astutia. » Unde colligas utriusque et Papae et Justiniani in eadem definitione unitatem de tribus Capitulis anathematizandis: et ubi nec Imperatoris violentiam inspicies, nec Vigilii metum, nec Principis minas, nec Papae pusillanimitatem.

Quam fidei unitatem, et animorum concordiam usque ad Concilii terminum sanctissime custoditam, utroque in suo munere proficiente contra tria Capitula, clare explicat Papa in ultimo Constituto n. 26. « Quorum, inquit, venena... nostros et christianissimi Principis omniumque orthodoxorum animos permoverunt, attendentium non esse amplius differenda remedia, ubi per patientiam, dissimulatione nutrita, tam magni mali videtur crevisse pernicies. » Si enim inter Caesarem et Pontificem tam gravissima dissidia irrupissent, veluti fabulantur adversarii, Vigilii sermo quandam pateretur simulationem conscii simultatis contra se paulo ante ex Justiniani praepotentia exortae. Tamen ex adverso hinc amplius innotescit, quod sensit Vigilius una cum Justiniano de Capitulorum quaestione; et quomodo ipse Papa, sicuti paulo post in eodem Constituto legitur n. 27. profiteatur: *juste nos et sine aliqua reprehensione ad ea, quae praesenti auctoritate statuimus, descendisse.*

Procopius in Libro III. c. XVI. *De Bello Gotthico* scribit: « Vigilius Romanus Pontifex μεταπεμπτος accitus aut invitatus ab Imperatore Byzantium venit ex Sicilia; ubi jamdiu degerat profectionis illius causa: » Et in c. XXXV. subdit: « Vigilius porro Pontifex Romanus cum italis, qui ibi (Constantinopoli) tunc aderant et plurimi et nobilissimi, non absistebat Imperatorem urgere, ut viribus omnibus Italiam sibi vindicaret. In primis stimulabat ipsum Cethegus..... At Imperator se Italiae prospecturum pollicitus, in christianorum dogmate maximam temporis partem conferebat, tollendis eorum controversiis intentissimus. »

Quas controversias quidem Procopius reapse consideravit inter episcopos orientales et occidentales de tribus Capitulis, desinente anno XIV. ejusdem Belli Gotthici circa an. 550. nequaquam vero inter Justinianum et Vigilium, quem, aliter quam putant adversarii, Historicus tunc repraesentat

sollicitum de romanorum ac italorum salute ab imperio gothico, et hinc Justiniano concordem, nulla inter eos instante simultate, nec violentia ex Imperatoris parte. Eoque amplius quod tunc edita videatur Sanctio pragmatica ipsius Justiniani: ubi statuta a se et a piae memoriae Theodora augusta quondam sua conjuge, ex petitione Vigilii Papae mandat inviolabiliter servari: « Pro petitione, inquit, Vigilii venerabilis antiquioris Romae episcopi, quaedam disponenda esse censuimus ad utilitatem omnium pertinentia, qui per occidentales partes habitare noscuntur. » In qua Sanctione tum praesentem, de qua loquimur, aetatem respicit Imperator, tum ipsius clare patet obsequium erga summum Pontificem, petitione ejusdem satisfacta.

Praeterea quoad Vigilii munus in jure pontificio servando ac una Justiniani observantiam erga Vigilii personam et auctoritatem, exemplum sumas ab eo, quod per idem tempus sanciverat Papa in depositione Pauli episcopi alexandrini, cui Justinianus (scribit Procopius in c. 27. Historiae Arcanae) promisit, se eumdem restituturum ad sedem episcopalem: « Tamen Principi id imperanti haudquaquam Vigilius, qui tunc Byzantii versabatur, concedendum censuit; neque de sententia a se nimirum per Pelagium lata, decedendum. » Demum Facundus in Libro contra Mocianum acta recensens Vigilii in Urbe regis ob tria Capitula, ait, *Papam nulla sustinuisse tormenta, quibus cessisse credatur* illorum Capitulorum damnationi.

Septimo, circa hanc brevem et absolutam Facundi assertionem, Papam scilicet nulla sustinuisse tormenta, quibus cessisse crederetur exactioni Justiniani et Theodori Caesareae ut ea Capitula damnaret; magnopere hoc facit contra alios ejusdem factionis viros, ita ut vel unum vel alios mentitos esse necessario dicendum foret. Auctores enim epistolae *legatariis*, encyclicae ad universam Ecclesiam, ac decreti excommunicationis in Theodorum Caesareae episcopum procul dubio testantur, ejusmodi durissimas vexationes sustinuisse Vigilium subscribere renuentem Capitulorum anathemati. Facundus vero in citato libro limpide asserit nulla passum esse tormenta Pontificem ut sic ad anathema ad-

stringeretur Capitulorum; cum jam antea, inquiens, quam Petri Cathedram adscenderet, secreta Justiniano conventione facta, spoponderit se Pontificatum adeptum, ea Capitula damnaturum, acephalorum partes complexum, Concilii chalcedonensis abolita definitione: « Nam Judex, idest Vigilius, inquit Facundus, asserit quod invitus illud protulerit Judicatum. Nos contra respondemus quod ultro per ambitionem, pollicitatione facta, peccaverit; nec ulla sustinuerit tormenta, quibus cessisse credatur. »

Ex hac porro Facundi contestatione gladius biceps nobis offertur ad unius et aliorum refutandos conatus adversus Vigilium, ac simul cunctos mendacii insimulandos trium Capitulorum patronos. Facundus quidem primus conteritur, Vigilium insimulans de simonia, de haeresi, animique levitate; cum ab his criminibus immunem eumdem superius vindicavimus ex praeclarissimis testimoniis ac genuinis ipsius Papae obtestationibus adversus tales calumnias specialim in ultimo Constituto editis, et Ecclesiae universali expositis. Aliorum autem similiter convelluntur dicteria, qui, ut incautis illuderent, propriaeque pertinaciae servirent in Capitulorum defensione, mitius erga Vigilium se exhibentes, et super Justinianum et episcopos orientales committentes culpam, tot concinnarunt falsitates de violenta, quam subiisset Pontifex, persecutione, ut ab eo anathematis decretum extorquerent. Contra quas ipse Facundus clamat, commentitias omnino reputans ejusmodi narrationes. Et sic Vigilii hostes, ac definitioni resistentes Synodi V. cum diversimode veritatem impetant, ac contrariis armis digladientur, mutuo feriuntur et pereunt.

Octavo, Auctor epistolae legatariis, dicit Mennam ceterosque episcopos orientales cum Justiniano intendisse per trium Capitulorum anathema ad solutionem Synodi chalcedonensis. Id autem prorsus falsum est. Ex genuinis enim documentis supra relatis constat, neque in Judicato, nec deinde in Synodo oecumenica, cui maxima graecorum antistitum pars adstitit, haud unquam istud voluisse, nec ad hoc eos convenisse, fidei Concilii chalcedonensis derogaturos. Quippe cum Vigilio concordes Orientis et Occidentis episco-

pi obtestati sunt, per hujuscemodi horum Capitulorum damnationem, integra servari in ipso Concilio definita. Cui declarationi saepius iteratae nemo ex episcopis Synodo quintae adstantibus, nec restitit, nec mutavit, nec multo minus id egit Vigilius. Et hanc explicitam et publicam confessionem Patrum et Vigilii Pontificis acceperunt successores ejus Pelagius I. Pelagius II. et s. Gregorius. Qui simul defendentes legitimum Synodi conventum, ejusque sanctionem adversus Capitula, obtestati sunt, hac non obstanti damnatione, nullimodam Patrum chalcedonensium fidei inlatam fuisse injuriam.

Nono, ex his de falsitate notis, quas praeferunt dicta documenta Vigilio inscripta, nostrum quoque postulant studium ejusdem Papae Encyclica ad universam Ecclesiam data Nonis Februarii an. 25. imperii Justiniani, sicuti et Anathematis decretum adversus Theodorum Caesareae Cappadociae episcopum, ab ipso Papa subsignatum XIX. Kalendas Septembris anno 25. ejusdem imperii, idest circa an. 551. In utroque vero exponitur historia antea gestorum Constantinopoli ob trium Capitulorum quaestionem, et praesertim inter Papam, Justinianum et episcopos ibi adunatos: in quibus maxime eminuit Theodorus Caesareae, qui totius scandali dicitur auctor. Et sane in praesumpta Encyclica agitur de excommunicationis minis adversus eumdem Theodorum: et similiter notantur, quae Vigilius ob hujus temeritatem passus est *multa et intolerabilia mala, quae jam omnibus* (ait) *nota esse confidimus*. Unde consequitur necessario, quas plures calamitates, violentias, injurias in Urbe regia passum se dicit Pontifex, ante illud tempus nimirum ante annum. 551. habuisse locum; et tunc reapse, quando ipse Papa Rustico et Sebastiano, et Valentiniano epistolas dedit. In quibus Vigilius circumstantias enarrans de Judicato, deque iis, qui huic restitere, ne verbum quidem scribit de praesumpta aerumnosa conditione, quam tolerasse ipse legitur in hac praesumpta Encyclica.

Decimo, item in Encyclica ait Papa, se suggessisse Justiniano ne amplius permittat Theodoro Caesareae ultra vexare fidem catholicam: *quoniam ante sex menses a nobis inter*

alios communione sacra depositus est pro sua pravitate. Quam excommunicationem in praefatis genuinis epistolis, ubi de eadem re, sive de tribus Capitulis agitur, deque Rustici et Sebastiani scandalis, eorumque suspensione a communione sacra, silentio transigit Vigilius. Quamobrem si praefatae epistolae una cum Encyclica ac anathematis decreto, genuinae acciperentur, Papa eodem tempore, sive eodem anno 25. imperii Justiniani, repraesentare videretur contrariam sententiam, alias negativam, alias affirmativam. Theodorus namque Caesareae depositus fuisset eo quod damnasset tria Capitula; Sebastianus et Rusticus ex adverso excommunicati, quod tria defendissent Capitula, et contra egissent Judicatum. Insuper in litteris ad Rusticum nominantur Joannes marsicanus, Julianus cingulanus, Zacchaeus scillacenus fratres et coepiscopi aliique cum Vigilio acta comprobantes adversus eosdem Rusticum et Sebastianum a communione suspensos, quod Judicatum (ubi ea proscribuntur Capitula) contempserint, haec defendentes. In Encyclica vero iidem leguntur Joannes marsicanus, Zacchaeus scillacenus, Julianus cingulanus fratres et coepiscopi, Vigilio adhaesisse in excommunicatione Theodori Caesareae, quod tria Capitula damnasset, ipso Vigilio obsistente. Quod quidem adeo mirum est, ut incredibile reputetur.

Undecimo, Pelagius II. in litteris ad Eliam aliosque Istriae episcopos, Vigilii acta contexens in quaestione horum Capitulorum ac summatim accipiens redargutiones sibi propositas ab ea Capitula defendentibus, notat sane Vigilii ab initio resistentiam in iis damnandis, quippe haud satis ei paterent quaestionis termini, veluti deinde rebus investigatis, notat promptitudinem adversus ea manifestatam per Judicatum Mennae datum: ceteras vero quascumque praeterit circumstantias de Justiniani et Mennae dissidio cum Vigilio de hujus Papae inconstantia, et retractatione, de vexationibus, de violentiis in eumdem, de hujus obtestationibus, de anathemate, de suspensione episcoporum orientalium, quod ea Capitula damnarint. Quae si vera fuissent, nec a defensoribus praetermittenda erant, quippe tunc coram Pelagio II. valde profecissent; neque ab ipso Pelagio omittenda, qui in hac

epistola plurimum studuit, ut Pontificis Vigilii in suo judicio adstrueret stabilitatem.

Duodecimo, nec hoc est praetereundum, eam, quae dicitur Vigilii Encyclica ad universam Ecclesiam, et aliud ejusdem Pontificis decretum de suspensione et damnatione Theodori Caesareae Cappadociae episcopi, extra quaestionem nostram vagari. In utroque enim scripto nulla mentio, nec explicite nec summatim reperitur de episcoporum conflictu ob tria Capitula. Sed ex adverso hac amota, altera comprehenditur quaestio multo post agitata paulo ante Justiniani obitum, de Verbi Dei dispensatione in carne, idest de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem: cujus praecipuas partes suscepit ipse Theodorus Caesareae. Praeterea nec ignorandum est, quae in hac praesumpta Vigilii Encyclica narrantur ab ipso Pontifice toleratae vexationes in basilica Petri in Ormisda, easdem citari praefatis adornatas circumstantiis ab Eustathio in vita s. Eutychii n. 37. apud Bollandistas die 6. Aprilis; quum ipse patriarcha primus Justiniani Edicto restitit, in quo sententia continebatur: *corpus Christi ante resurrectionem ob unionem cum Verbo divino, impassibile fuisse et incorruptibile*: de quo inferius disputabitur. Quapropter cum nullimode ostendimus, has circumstantias accommodari Vigilii gestis, patet genuinae historiae corruptores aliunde mutuatos esse, idest ab Eustathio. Qui ceteroquin coaevus testis, non ad Vigilium, sed post Vigilii ipsius et Pelagii Papae I. obitum, jure, ingenue ac sine illusione haec retulit, praefata tunc invalescente quaestione de impassibilitate corporis Christi Jesu ante resurrectionem.

Ideoque cuncta, quae de obtestationibus narrantur a Vigilio emissis pro tribus Capitulis adversus eorumdem expugnatores, aut de palinodia, seu de tergiversationibus, sive de sacrilegiis in eumdem patratis, aut de violentiis, de carceribus ab ipso Papa toleratis, Justiniano jubente, ut condemnatio extorqueretur trium Capitulorum, inter commentitias numeranda sunt schismaticorum narrationes ad illudendum, quae sincere et canonice definita sunt in Synodo V. et a Vigilio firmata in Constituto novissimo.



CAPUT XIX.

Reliqua expenduntur Vigilii Papae et Justiniani decreta sive apocrypha sive interpolata, Actis conserta Synodi oecumenicae V. a trium Capitulorum defensoribus.

Quotidie in sua perfidia instantes trium Capitulorum vindices quomodo insidias tenderent decori Pontificatus Romani, aliud commentitium decretum Justiniano inscripsere anno 27. imperii. Quocum ipse Patribus in Concilio adunatis nuntiare dicitur, Vigilium Papam relate ad tria Capitula, alium factum esse, eaque retractasse, quae pridem statuerat in horum Capitulorum damnatione; decernens ideo, ipsius Vigilii nomen delendum esse a sacris diptychis. Ac una rogat, mandatque, ratum hoc suum decretum haberi a Concilio. Ita porro sonat praesumptum Imperatoris mandatum; quod ex Actis hujus Concilii transcribo juxta Editionem labbeanam, ubi in fine Collationis VII. scriptum est: « Constantinus gloriosissimus quaestor dixit: dum intersum sancto vestro Concilio propter recitationem chartarum, quae apud vos insinuatae sunt, piissimus Imperator *Formam* destinavit ad vestram sanctam Synodum de Vigilii nomine, ne jam sacris diptychis inferatur propter impietatem, quam vindicavit; nec et recitetur vobis, et conservetur tam in ecclesia hujus regiae civitatis, quam in ceteris ecclesiis, quae et vobis et reliquis episcopis creditae sunt in republica ei a Deo commissa. Audientes autem *Formam*, iterum cognoscetis per eam quantum serenissimus Imperator unitatem sanctarum ecclesiarum, et puritatem sanctorum mysteriorum procurat.

« Sancta Synodus dixit: sacra *Forma* competenter suscepta recitetur. Et cum suscepisset Stephanus diaconus notarius et instrumentarius recitavit. In nomine Domini nostri Jesu Christi Imperator Caesar Flavius Justinianus etc. Una christianis salus est puro corde et bona conscientia et fide non ficta accedere ad communionem sanctorum sacramentorum. Ex hac etenim unusquisque remissionem sperat peccatorum, participationem mysteriorum dignatus a sacerdoti-

bus recte Deum colentibus. Haec ideo diximus, quoniam quidam Nestorii impietatem colentes, applicare eam Dei Ecclesiae conantur per Theodorum mopsuestenum et impia ejus conscripta......

Deinde memoratis tribus Capitulis eorumque impietatibus, ac Vigilii Judicato adversus eadem, a quo eousque nunquam recesserat, subdit: « Postea vero et scripta inter vos et illum processerunt: in quibus invicem confessi estis convenire, et synodice praedictorum Capitulorum facere condemnationem. Et postea invitatus tam a nobis, quam a vestra religiosa Synodo, communiter quidem convenire recusavit. Contrarie autem factus est suae voluntatis, ea defendens quae Nestorii et Theodori sequaces sapiunt. Praeterea ipse semetipsum alienum catholicae Ecclesiae fecit, defendens praedictorum Capitulorum impietatem, separans autem seipsum a vestra communione. His igitur ab eo factis, alienum christianis judicavimus nomen ipsius sacris diptychis recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii et Theodori impietati communicantes. Unde prius quidem sine scriptis hoc manifestum vobis fecimus; nunc vero et in scriptis certum vobis facimus per nostros (praefectos) ejus nomen sacris diptychis non inferatur. Unitatem vero ad Apostolicam Sedem et nos servamus, et certum est, quod et vos custodietis. Nec enim Vigilii, nec cujuscumque alterius ad pejora transmutatio et paci ecclesiarum nocere potest. Divinitas vos salvet per multos annos sancti et religiosissimi Patres. Data pridie idus Julii Chalcedone, imperante domino Justiniano anno 27. »

Ex hac narratione (ad eos loquor saepe Vigilium arbitratos mutasse de ea re consilium) primum elucet, a quaestionis initio usque huc, idest ad annum 27. imperii, quo res definita fuit, Vigilium eamdem semper tenuisse sententiam de tribus Capitulis anathematizandis; ac non nisi in hoc extremo momento retractasse, quod ante probaverat: « *Sed et sacramenta* (inquit) *terribilia in scriptis juravit, ut in eadem permaneret voluntate in condemnatione et anathemate praedictorum trium Capitulorum; et nullo modo vel tempore conaretur aliquid ad refutationem condemnationis praedictorum impiorum trium Capitulorum..... Et haec agens permansit*

septem annos. Ac ita hac accepta declaratione (et quidem verissima veluti ex praemissis discussionibus innotescit) Vigilius usque ad quaestionis terminum idem sensit, idem tenuit de tribus Capitulis damnandis: quod per luculentissima testimonia ex genuinis ipsius Pontificis decretis eruta superius ostendimus.

Quod vero Pseudojustinianus dicit, post septem annos retractationem admisisse Vigilium ac tria defendisse Capitula, istud refragatur evidentissime narrationi historicae hujus Concilii a Pelagio II. in litteris ad Istriae episcopos contextae: ubi defendentium tria Capitula respondet instantiis ac dicentium: *quod in causae principio et Sedes Apostolica per Vigilium Papam, et omnes latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt.* Si in causae principio restiterit damnationi Vigilius, quin tamen per hanc resistentiam approbaret, vel defenderet tria Capitula, ut ipse fatetur in ultimo Constituto, et si ulterius nec restiterit, nec dubitarit Pontifex de juridico horum Capitulorum anathemate, cernito quanta illusione laborent historici recentiores, sinceras arbitrati has praesumptas Imperatoris litteras Synodo datas de Vigilii retractatione. Profecto ex Pelagii II. epistola, de cujus auctoritate nemo ambigit, patet, ut dixi, Vigilium ab initio, cum de re disputaretur, Capitulorum anathemati restitisse. Sed tantumdem manifestum est, ipsum Constantinopolim ingressum circa an. 546. 47. conventuque habito cum 70. episcopis et per Judicatum tribus damnatis Capitulis, nulla ratione nulloque unquam tempore a proposito recessisse; ast constanter Judicato inhaerentem mansisse. Quamobrem in hac parte apocryphia hujus decreti limpide dignoscitur et falsitas narrationis.

Insuper notanda sunt, quae immediate succedunt decreto Justiniani hujus tenoris: « Sancta Synodus dixit: ea quae nunc visa sunt piissimo Imperatori, congrua sunt laboribus, quos pro unitate sanctarum ecclesiarum pertulit. Servemus itaque unitatem ad Apostolicae sacrosanctae Ecclesiae Sedem antiquioris Romae, omnia secundum tenorem lectorum apicum peragentes. De proposita vero quaestione, quod jam promisimus, procedat. Explicit Sessio septima. Incipit octa-

va. » De his porro idest ab initio decreti Justiniani contra Vigilium in nota marginali legitur: « *Adduntur ista quae sequuntur* (idest supra citata) *usque ad Collationem VIII. in Codice D. Joli Can. Parisiensis. Non sunt in Bellovacensi, neque in Editione Surii, et Labbeana aliisve Editionibus. Baluzius etc.*

Quid ergo deducitur ab hujus chartae defectu in antiquis codicibus et editionibus, nisi suspicio manifesta de furtiva interpolatione Actis Synodi quintae inlata contra rei veritatem, et in Pontificis Vigilii ignominiam? Et quidem contra rei veritatem, ut praenotavimus, quod magis constiterit in Collationis sequentis expositis per Concilii Patres. Ibidem namque, nempe in Collatione VIII. consectarii praecedentibus discussionibus, Vigilii saepius admissam contestationem proferunt de ipsius a Concilio absentia, atque una prorsus silent de praesumpta Vigilii retractatione, deque ejusdem ideo a diptychis abrasione. Verum Patres tantummodo, quae Pontifex sine scripto et in scriptis saepe declaraverat in trium Capitulorum damnatione, his instantes pergunt: « Unde petivimus necessario ipsius Vigilii reverentiam, scriptas suas promissiones adimplere: nec enim justum esse, amplius scandalum pro tribus istis Capitulis crescere et Dei Ecclesiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apostoli exempla et Patrum traditiones.... Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget..... Cum autem saepius et a nobis omnibus invitatus, et insuper gloriosissimis judicibus missis ad ipsum a piissimo Imperatore, promisit per seipsum de iisdem tribus Capitulis sententiam proferre. »

Si ipse Vigilius die eadem promisit de tribus Capitulis per seipsum proferre sententiam; quare pridie dicitur a Justiniano, ipse sententiam retractasse, triaque defendisse Capitula, contrarium factum menti (quam per septem annos tenuerat, ea Capitula anathematizans) et hinc mandatum esse ecclesiis de ipsius nomine abradendo a sacris diptychis, siculi legitur in praefato Justiniani decreto coram Patribus notificando? Profecto absurda videretur tam subita Vigilii

mutatio primum tria Capitula damnantis, deinde statim defendentis, ac rursus paulo post per seipsum promittentis responsum praebere Patribus synodalibus de eadem Capitulorum damnatione. Et amplius mirum, quod Concilii Patres hanc praeterierint silentio in suis discussionibus Vigilii palinodiam. Ceterum constat, excepta hac Justiniani epistola, nec in praecedentibus Collationibus, nec in postrema ullum reperiri nec perplexitatis vestigium, nec contradictionis omnibus in ipsa Synodo gestis, quod ejusdem Vigilii imminuat auctoritatem.

Denique si citatae epistolae dictio componatur alteri genuinae, quam ab initio Synodi scribit Justinianus ad episcopos congregatos, quaedam ab invicem manifestatur discrepantia. In hac enim Imperator profitetur, se et sermonem suum synodali definitioni subjicere, nec ullum velle absolutum proferre judicium, ab episcopis expectans sententiam. In altera vero supposititia Justinianus tanquam autocrates in Ecclesia et episcoporum antistes definivit; mandavitque ut definita acciperentur servanda a Synodo. Proindeque priusquam Synodus, (quod sui juris erat) de hac re conveniret discussura, ipse ex propria auctoritate statuit Imperator, Vigilii nomen a sacris diptychis aboleri, nec ultra ejusdem inferri memoriam in communione sanctorum.

Quibus omnibus expositis, concluditur hoc decretum Justiniani commentum haberi supra prudens Vigilii consilium constructum, quo is abnuit Synodo cum ceteris episcopis interesse, veluti in superioribus actum est. Quod consilium anonymus interpolator pro arbitrio interpretatus, hanc concinnavit scripturam sub Justiniani nomine, dicta congerens et exponens ejusdem Collationis VII. ubi legitur: « Constantinus missus ab Imperatore ad Synodum dixit: certum est vestrae beatitudini quantum semper studium Victor habuit Imperator.... Et Vigilium vero religiosissimum adhortatus est, una vobiscum convenire; et istorum Capitulorum quaestioni rectae fidei convenientem finem imponere. Ille vero saepius in scripturis suam manifestavit voluntatem, condemnans tria dicta Capitula etc. » Quae Justiniani expositio per Constantinum Synodo commissa, perfide transversa est in

contrarium sensum; et ita pars fieret illorum ac innumerorum scriptorum apocryphorum; contra quae quatuor Romani Pontifices incessanter clamarunt, eaque reprobantes tanquam perversorum et schismaticorum opus adversus sinceros Concilii V. actus elaboratum.

Deinde circa has calumniosas imputationes praefatis insertas libellis in Vigilium et episcopos trium Capitulorum subscriptores anathematis, quasi violentia concussos, et in Justinianum harum concussionum auctorem, et circa ipsius Vigilii instabilitatem in hac quaestione, confert quoque narratio Eustathii familiaris Eutychio patriarchae, eorumque, testis, quae acta sunt in Synodo V. Antea vero praemittendum est, hunc Eustathium validum impendisse studium pro Eutychio, hujus extollentem fidem, sanctitatem, et mirabilia, ea amplius repetentem quae post annum 12. ab ipsa Synodo, passus est ex Justiniani mandato, qui errorem *Incorruptibilium* dicitur amplexatus: de quo non est disserendi locus. Modo nobis satisfiat quod de utroque Eutychio et Eustathio notavit Aloisius Lipomanius: « Adverte lector, quod is est ille Eutychius constantinopolitanus patriarcha: quocum quaestionem de resurrectione habuit divus Gregorius Papa, dum in ea civitate Sedis Apostolicae apocrisiarium ageret, quemadmodum habes in Libro IV. *Moralium* cc. 31. 32. Et licet hic Auctor illum ab errore excusare contendat, praefatus tamen vir sanctus aperte testatur eum in hoc articulo cecidisse; quamvis ante mortem se se correxerit. Quod ipsum sanctis viris accidisse comperimus. »

Nihilominus, cum hoc negotium nullimode confundendum sit cum altero trium Capitulorum, aetate rebusque vario, et hinc nec partium studium in Eustathio liceat reperire, quae ab exordio suae narrationis dicit de Synodi V. gestis, ceu genuinum ipsius testimonium suscipienda sunt, et magnae auctoritatis. Hoc autem tradit Surius sub die VI. Aprilis, latine versum et accuratius a Bollandistis exactum, nn. 28. 29.

« Res autem accidit admirabilis, et illius animo digna: quae ut arbitror, vel potius scio, nunquam accidit, nec est eventura. Cum enim multa diversis locis atque temporibus

sancta Concilia celebrata sunt; ex quo Religio Christiana constituta est, nemo unquam, nisi magni hujus atque divini viri tempore, quatuor simul patriarchas convenisse meminit. Itaque cunctis dubitationibus et controversiis non violentia, non necessitate, atque partium studio, atque affectione, sed demonstrationum et cohortationum vi dissolutis, summa pax et magna tranquillitas in Dei Ecclesia est consecuta. Quatuor autem patriarchae sunt hi: Vigilius veteris Romae, Eutychius hic novae Romae, Apollinarius magnae Alexandriae, Domnus Antiochiae: qui tanquam unum in corpus ex quatuor elementis conflati, unanimes, idemque sentientes, manus inter se conjunxerunt, ut oraculum illud Psalmi testatur: *flumina plaudent manibus in idipsum*.....

« Quatuor hi fluvii tollentes contritiones montium, juxta illud : *elevabunt flumina fluctus suos*, opiniones haereticorum, quae apud fideles sunt maculae quaedam et sordes, ejecerunt a vocibus aquarum, multarum, idest Scripturarum et Patrum testimoniis. Laetitiamque gaudium sanctis montibus, hoc est Christi ecclesiis pepererunt.... Cum igitur ex quatuor Pastorum concordia, rectoque sensu, factum esset veluti unum ovile, atque unus Pastor, et omnis disciplinae moderatio super sacerdotes et sacerdotum praesules conquievisset, discesserunt ad suas singuli civitates et populos magno cum gaudio. Ac diu quidem tunc omnes ubique ecclesiae Dei in pace versatae sunt...... At magnus hic vir Dei Eutychius pari annorum numero, quot sunt Apostoli, Christi gregem pavit etc. »

Ab hac Eustathii narratione cunctae penitus destruuntur praesumptae contentiones inter Vigilium et Justinianum; Vigiliique evanescit instabilitas in trium Capitulorum dijudicanda quaestione antea et stante episcoporum adunatione. Cum enim dicit Eustathius, non ex violentia, nec necessitate, neque partium studio, sed demonstrationum vi solutas fuisse controversias et dubitationes, magis ac magis invalescit propositum nostrum adversus schismaticorum fraudes: et una praesertim Liberati et Facundi coarguuntur falsitates in historia texenda Concilii quinti: adeo ut unus et alter, Vigilius et Justinianus omnimode immunes a praefatis habeantur insimulationibus.

Verumtamen non est hic desistendum. Sicuti improbus calamus non destitit, contemnens in Vigilio Pontificatus Romani decus; ita studium nostrum non defatigetur in eo propugnando. Praeter enim Constitutum ejusdem Vigilii novissimum et quidem genuinum editum pro confirmatione Synodi V. de quo supra dictum est, aliud commentitium reperitur inscriptum: *Epistola decretalis Vigilii Papae pro confirmatione Synodi V. ad Eutychium*, in qua legitur. « Scandala, quae humani generis inimicus in universo mundo excitavit, nemo ignorat; adeo ut unumquemque propositum suum ad subvertendam Dei Ecclesiam per universum orbem diffusam, quocumque modo implere satagentem, non tantum suo nomine, sed etiam nostro, atque aliorum, diversa tum loquendo, tum scribendo componere impulerit: in tantum ut nos ipsos una cum fratribus et coepiscopis nostris in Urbe regia degentes et aequali reverentia quatuor Synodos vindicantes, et in una eademque quatuor illarum Synodorum fide sincere persistentes, cavillationibus, versutiis, et dolo malo ab iis dividere conatus sit, ita ut nosmetipsi, qui ejusdem cum illis eramus et sumus de fide sententiae, insuper habita dilectione fraterna, in discordiam abierimus. Sed quoniam Christus Deus noster, qui est lux vera, quem tenebrae non comprehendunt, omni confusione a mentibus nostris remota, universum orbem et Ecclesiam ad pacem revocavit, ita ut quae a nobis definiri debent, revelante Domino, et veritate investigata, salubriter impleta sunt. »

Et nonnullis interjectis de iis, quas s. Augustinus admisit retractationes in suis libris, subjungit: « Propterea igitur agnoscat universa Ecclesia Catholica, nos juste et irreprehensibiliter ad ea, quae hac nostra Constitutione comprehenduntur, devenisse. Unde condemnamus et anathematizamus una cum aliis omnibus haereticis, qui, ut manifestum est, damnati et anathematizati sunt a praedictis sanctis quatuor Synodis et ab Ecclesia Catholica, Theodorum olim Mopsuestiae episcopum, et impia ejus scripta: nihilominus ea quoque, quae a Theodoreto scripta sunt contra rectam fidem, et contra duodecim Capitula sancti Cyrilli, et contra Synodum ephesinam primam, quaeque ab eo scripta sunt pro defensione Theodori et Nestorii . . . .

« Quoscumque vero, qui rectam fidem servantes a dictis Synodis praedicatam, memorata tria Capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, fratres et consacerdotes esse definimus. Quae vero aut a me, aut ab aliis ad defensionem trium Capitulorum praedictorum facta sunt, praesentis hujus Scripti nostri definitione evacuamus etc. »

Quam porro ignominiosa, indecora Pontifici Romano, ac a praedecessorum suorum sermone peregrina spectetur hujusmodi Vigilii confessio, nemo est, qui non videat. Ideoque sedula disquisitione hujus epistolae tenorem percurramus, scrutati, num Vigilius hos potuerit componere sensus. Ac primo, cum non ignoremus, duo decreta Vigilio inscripta reperiri fere eodem tempore eademque de causa emissa, unum *Epistola decretalis* vocatum, et *Constitutum* alterum, si ambo convenirent in ordine rerum decernendarum, locutionis etc. ita ut alterum alterius exemplar dici posset, nihil esset mirandum. Cum autem in eisdem quaedam occurrant circumstantiae ac notae diversae, consequitur necessario, de duobus unum haberi spurium. Et istud postulat ratio et ordo Ecclesiae Catholicae; cujus primatum gerens Romanus Pontifex in dogmatis alicujus definitione, universum fidelium coetum docet, unam doctrinae normam praebens omnibus et singulis satisfacturam. Cum ergo duo decreta legantur ab ipso Pontifice obsignata, unum sub *Constituti* nomine datum XVII. Kalendas Martias anno 27. Justiniani, alterum ante VI. Idus Decembris ejusdem anni 27. imperii, et inscriptum *Epistola decretalis*, et ambo varient ab invicem, hoc consequitur. Aut ipse Pontifex ex motu suo proprio aliquid in primo Constituto emendare aut tollere, aut mutare censuit: aut novae postea extrinsecae causae subintroierunt, quibus quod antea definivit, retractare coactus fuit. In utroque casu auctoritas pontificalis periclitaretur, a quo sensus catholicus abhorret. Quapropter necessario dicendum est juxta praefata, unum sincerum haberi documentum, falsum et supposititium alterum.

Verum coram heterodoxis (quibus inconcinnum videbitur hoc argumentum) denuo repetantur exposita de epistola sincera Pelagii II. ad episcopos Istriae; ubi causae enar-

rantur, quibus Vigilius ab initio dicitur Capitulorum restitisse damnationi; ac deinde, semel per decretum pontificale obsignato anathemate, nullimode postea ac nunquam ab eo recessisse. Cum autem suppositum decretum Eutychio datum, teneat locum post illud solemne Constitutum; ac inde constet Vigilii illusio ac instabilitas ex sua propria confessione, modo defensioni, nunc subscribentis trium Capitulorum damnationi; ex his quoque stabilitur commentitia epistola decretalis ejusdem Papae ad Eutychium.

Et sane (quin et hic obiter dicam, nec in hac supposita epistola quidquam reperiri de Origenis damnatione) sane post talem solemnem in Constituto emissam declarationem, absurdum videretur, Vigilium, vix novem mensibus transactis, renovasse, et quidem sine causa notoria, decretum de tribus Capitulis, et circumstantias designando, quas in antecedenti siluit, potissimum nonnullis mutatis eorum, quae in Constituto genuino aliter leguntur et intelliguntur. In hoc namque Constituto prope finem legitur: « Eos autem, qui conservantes rectam fidem a praedictis quatuor Synodis praedicatam, memorata tria Capitula damnarunt, vel damnant, fratres et consacerdotes habemus. Quaecumque vero, sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, praesenti nostra plenissimi Constituti auctoritate evacuamus. » In epistola porro decretali postea edita dicitur: « Quoscumque vero, qui rectam fidem servaverunt a dictis Synodis praedicatam, memorata tria Capitula damnarunt, vel etiam condemnant, fratres et consacerdotes esse definimus. *Quae vero aut a me aut ab aliis* ad defensionem trium Capitulorum facta sunt, praesentis hujus scripti nostri definitione evacuamus. »

Horum itaque facta collatione verborum, fraudulenta manus tibi patefiet, quae vocabula sincera *quaecumque vero sive meo nomine*, in alteram distulit formulam, scilicet, *quae vero aut a me* etc. Quae lectio substantialem notat discrepantiam a prima. Aliud enim est dicere *sive meo nomine,* et aliud *aut a me*. In prima dictione alteram a Pontifice supponit scriptor personam: quae aliquid putans et probans, al-

terius nomini inscribit, talem introducens loquentem de iis, quae non sensit. In secunda vero locutione *aut a me*, personam realem designat, quae ex se et proprie aliquid sensit et dixit. In primo casu *sive meo nomine*, integer manet Vigilii Papae sensus et immunis ab accusatione, tria nimirum defendisse Capitula. In altero casu, idest *aut a me*, seipsum culparet Vigilius de hoc errore, quasi ipse ea Capitula comprobasset. Praeterea juxta discussa ab initio de ea pericope, Vigilium ostendimus nequaquam de praeterito loqui, sed de futuro, et quidem adversus eos, qui aliquando conarentur quopiam praetextu, hoc suum mutare, seu aliter interpretari decretum adversus tria Capitula.

Demum in hac epistola notanda est subscriptio hujus tenoris: « Data ante sextum Idus Decembris, imperii domini nostri Justiniani aeterni Augusti anno vigesimo septimo, post Consulatum Basilii viri clarissimi anno duodecimo. » In altera vero, quam genuinam dicimus, legitur: « Datum VII. Idus Januarias imperii domini Justiniani perpetui augusti anno XXVII. post Consulatum Basilii viri clarissimi an. XII, ita ut videretur praesumpta epistola Vigilii pro confirmatione Synodi praevenisse alteri de adunatione ejusdem. Quocum magis constat illius falsitas. Quibus omnibus comperitur, istam Vigilii ad Eutychium epistolam pro confirmatione Synodi quintae, adulterinam haberi, et glossam arbitrariam non tantum genuini illius Constituti, quod Ecclesiae universali dedit Pontifex de iis, quae tenenda essent a fidelibus in trium Capitulorum causa: sed et falsationem ipsius epistolae Patribus datae pro èjusdem Synodi adunatione. Ac propterea, cum anonymus hujus epistolae decretalis concinnator Vigilio Pontifici tanquam a daemone agitato inscripserit mentis aberrationem et palinodiam in trium Capitulorum causa, non sensit, se potius a schismatis et rebellionis daemone agitatum fuisse, ut talia scriberet adversus tantum Pontificem.

Cum hucusque duo pro Synodi confirmatione decreta expendimus ac inter se varia, unde unius dignoscitur apocrypha, nolo et aliud praeterire Constitutum eidem Vigilio inscriptum et circa idem tempus datum: in quo mitius re-

praesentatur anathema trium Capitulorum. In hoc enim orthodoxa pronunciatur Epistola ad Marim, sicuti statuitur nullimode Theodorum mopsuestenum post obitum anathemati subjiciendum; tametsi ipsius doctrina et scripta per eumdem Vigilium amplissime confutata dicantur. Ab initio porro hujus Constituti describitur fidei professio emissa a Theodoro Caesareae Cappadociae episcopo, a Menna ejusque consortibus. Deinde inducitur Vigilius cum Imperatore locutus ac dicens, se cum episcopis nonnullis de Occidentis regionibus examinasse trium Capitulorum quaestionem, ut responsum de eisdem redderet: in quo sexaginta Theodori mopsuesteni capitula utpote execrabilia, et a sanctis Patribus antea damnata, se damnare profitetur. Circa vero ejusdem Theodori personam inquit Papa.

« Quae prolata est in sancta Synodo ephesina definitio veluti a Theodoro disposita, sicuti offerentes dicebant, nihil habens sanum, evacuavit quidem eam sancta Synodus veluti perversarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos, qui sic sapiunt. Dispensatim vero mentionem viri non fecit; neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios.... Grave est enim insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis, qui in episcopatu vitam deposuerunt. Justissimum enim apparet prudentibus viris cedere praescienti scilicet Deo, uniuscujusque voluntatem. » Et adductis pluribus testimoniis, quibus ostendere conatur, non esse mortuos anathematizandos addit: « nulli licere noviter aliquid de mortuorum judicare personis; sed in hoc relinqui, in quo unumquemque supremus dies invenit, et specialiter de Theodori mopsuesteni nomine quid Patres nostri disposuerint superius evidenter expressum, eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus. Absit tamen ut suprascripta capitula dogmatum, quae secundum sensus intelligentiae subjectos a nobis constat esse damnata, vel quaecumque dicta cujuslibet sine nomine praenotata evangelicis et apostolicis .... doctrinis non congruentia, patiamur. » Deinde sequitur ostendens Ibae Epistolam in Synodo chalcedonensi fuisse orthodoxam declaratam, exceptis injuriis per errorem intelligentiae in s. Cyrillum dictis. Et paulo post concludit.

« Constat ergo ex praefatis testimoniis Patrum quam tenere debeamus pro Apostolicae Sedis rectitudine et pro universalis Ecclesiae consideratione cautelam: cujus nos quoque cautelae ejusdem memores, in eam, quam tunc dederamus ad Mennam constantinopolitanum episcopum epistolam, quam tum praesentibus pluribus sacerdotibus et glorioso senatu, Menna sanctae recordationis episcopo vestrae Clementiae offerente, et pietate vestra nobis cum ejus consensu restituente receptam, quantum ad trium Capitulorum causam pertinet, evacuamus, nullatenus a loci nostri atque propositi circumspectione cessantes, competentem chalcedonensis Synodi reverentiam curavimus omnibus exibere; sicuti series ejusdem testatur epistolae. Cujus ad probandam cautelam nostram subjecimus perpauca de plurimis; quibus diligenter inspectis, qualiter apud nos sancta chalcedonensis Synodus inviolata permanserit, atque permaneat, evidenter ostenditur...... Anathematis sententiae eum quoque subdentes, qui quaevis contra praedictam Synodum chalcedonensem vel praesenti, vel quaelibet in hac causa sive a nobis sive a quibuscumque gesta, scriptave inveniuntur, pro aliqua susceperit firmitate.....

« His igitur.......statuimus et decernimus, nulli ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinenti licere quidquid contrarium his, quae praesenti asseruimus et statuimus Constituto de saepe dictis tribus Capitulis aut conscribere, vel proferre, vel oomponere, vel docere, aut aliquam post praesentem definitionem movere ulterius quaestionem. Siquid vero de eisdem tribus Capitulis, contra quae asseruimus... dicta vel scripta refutamus. » Demum nomina novendecim notantur, qui huic Vigilii Constituto consenserunt et subscripserunt cum Pelagio diacono, episcopi Primasius, Stephanus, Joannes, Julianus etc. Desinit Constitutum hac inscriptione: *Datum pridie Idus Maji, imperante domino nostro Justiniano perpetuo augusto an. 27. post Consulatum Basilii viri clarissimi an. 12. in Constantinopoli civitate.*

Hoc duobus praefatis collato Constituto, in unius anni intervallo, idest anno vigesimo septimo imperii Justiniani, tria dedisset decreta Vigilius; ac ter suam mutasset sententiam.

Si autem hujuscemodi Vigilii Papae inconstantia non sit admittenda, necessario duobus veluti falsis amotis, unum superorit genuinum. Praeterea non solus Vigilius suae inconstantiae notam protulisset, sed et episcopi occidentales, qui Judicato consenserunt subscribentes, et praesertim Pelagius diaconus ejusdem Vigilii successor in Pontificatu: quique inter primos Judicatum probavit in trium Capitulorum damnationem; ubi distincte Theodori mopsuesteni libri et persona anathematizantur, Ibae Epistola, atque Theodoreti Conscripta. Quum autem non desint, qui hoc Constitutum inter genuina scripta Vigilii habeant, unde necessario consequeretur Pontificis inconstantia in hac quaestione: ideo hujus Constituti relationem cum Pelagii II. Litteris ad Istriae episcopos, sicuti et Constituti ejusdem dictatum cum altero novissimo aequiparare et exponere refert: ut et in hac parte, apocrypho ostenso, quod quaerimus, Constituto, novissimum genuinum praestet; ac una sibi consectarius manifestetur Vigilius, ac item illibatum servetur istius nomen et Pontificatus Romani decus. (1).

Constat interim ex hujus Constituti subscriptione ceterisque inclusis circumstantiis, circa annum 27. imperii Justiniani, sive circa idem tempus datum hoc fuisse, quo alterum genuinum editum fuit. Quapropter, si praesumptum Constitutum, quod in omnibus alteri contradicit genuino, admittendum foret, luculenter appareret Vigilii antilogia, qua illud opus destrueret, quod antea aedificavit. Ceterum ex Pelagii epistola ad Istriae episcopos, non tantum ex sermone suo quantum ex ipsorum tria Capitula defendentium ore penitus ei contrarium eruitur, quod legitur in hoc Constituto. Trium enim Capitulorum patroni Pelagio Papae II. qui illis Vigilii Constitutum genuinum proposuit acceptandum, responderunt objicientes tantum, *quod in causae principio Se-*

(1) Hoc apocryphum Constitutum legitur in Tomo IX. Conciliorum ex Editione Emi. Card. Passionei p. 61. cum hac inscriptione: « Constitutum Vigilii Papae de tribus Capitulis gloriosissimo et clementissimo filio Justiniano augusto. Inter innumeras solicitudines, quibus oneratur imperiale fastigium etc.

des Apostolica per Vigilium restiterat damnationi, nihil amplius addentes de bis, vel ter retractata damnatione. Qui enim tunc a Pelagii II. aevo spreverant Vigilii Constitutum novissimum nolentes illud accipere ex eo, quod Vigilius solummodo ab initio restiterit damnationi, quali putes audacia iidem contra Pelagium pugnantes sicuti adversus praedecessorem suum Vigilium, hujus Pontificis exprobrassent instabilitatem, aut incertitudinem et hinc una Petri fidei defectum, si reapse de hac re saepe sententiam commutasset Vigilius? Alioquin hanc insimulationem ob oculos Pelagii II. quum praetermiserint Capitulorum defensores, fatendum est, Vigilium minime talem passum esse animi perplexitatem, ut modo negaret, quod paulo antea firmavit, ac denuo firmaret, quod prius negavit. Quapropter haud immerito arbitror inter commentitia scripta hoc quoque censendum esse Constitutum.

Cum interim ex Pelagii testimonio constet, tunc haud in Ecclesia innotuisse hoc Constitutum, aliunde quoque idest ab ipso Victore tununensi probatur, nec notum eo tempore fuisse, nec multo minus Vigilium hanc edidisse scripturam. Mirum sane hoc est de Victore, qui etsi in eadem fuerit causa et inter trium Capitulorum defensores habitus, ac ideo exilio multatus; tamen in Chronico juxta gestorum seriem enarrans varios expugnantium et propugnantium casus, hanc specialem de inconstantia Vigilii notam transegit.

Inquit enim: « Post Consulatum Basilii V. C. anno secundo. . . . Sylverius Romanus Episcopus exilio mittitur: et pro eo Vigilius ordinatur; a quo Theodora augusta, priusquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus in proscriptionem Synodi chalcedonensis tria Capitula condemnaret. . . . Post Consulatum Basilii V. C. anno IV. Justinianus imperator acephalorum subreptionibus istigatus Vigilium Romanum Episcopum subtiliter compellit, ut ad Urbem regiam properaret; et sub speciem congregationis eorum, qui ab Ecclesia sunt societate divisi, tria Capitula condemnaret. . . Post Consulatum Basilii V. C. anno VIII. Justinianus imperator per diversas provincias in regni sui finibus constitutas, instantissime scribit, et antistites cunctos prae-

fata tria Capitula damnare compellit. Post Consulatum Basilii V. C. anno IX. Illyriciana Synodus in defensione trium Capitulorum, Justiniano augusto scribit: et Benenatum primae Justinianae civitatis episcopum obtrectatorem eorumdem trium Capitulorum condemnat. Post Consulatum Basilii V. C. an. X. Africani antistites Vigilium Romanum Episcopum damnatorem trium Capitulorum synodaliter a catholica communione, reservato ei poenitentiae loco, recludunt: et pro defensione memoratorum trium Capitulorum litteras satis idoneas Justiniano principi per Olympium magistrianum mittunt. Eodem tempore (uti dictum est) libri duodecim Facundi hermianensis ecclesiae episcopi refulsere: quibus evidentissime declaravit, tria saepe fata Capitula in praescriptione fidei catholicae et apostolicae chalcedonensis Concilii fuisse damnata.

« Post Consulatum Basilii an. XI. Reparatus archiepiscopus carthaginensis ecclesiae, Firmus numidarum, episcoporum Primates, Primasius et Verecundus Concilii byzanceni episcopi pro fidei causa ad Urbem regiam ejusdem praecepto Principis evocantur. Apollinarius Zoilo, tria Capitula memorata damnare nolenti, episcopus ecclesiae alexandrinae subrogatur. Post Consulatum Basilii an. XII... Firmus Concilii Numidiae primas donis Principis corruptus damnationi eorumdem Capitulorum assensum praebuit. Post Consulatum Basilii an. XIII. constantinopolitana Synodus Justiniani principis praecepto colligitur: cui praesules sedium aderant Vigilius Romanus Episcopus, superstite Sylverio ordinatus, Apollinarius alexandrinus, Zoilo vivente, promotus, Domnus antiochenus, Eustochius, Macario remoto, hierosolymitanus episcopus factus, et Eutychius constantinopolitanus, qui Mennae fuerat subrogatus. Ibi tria saepe fata Capitula cum defendentibus damnationi subjecere, tali se perpetuo anathemate obstringentes, si aliquando absolvere tentaverint, quae damnationis sententiae subdiderant. »

Hinc cernito, post Vigilii adventum in Urbem regiam et post ejusdem Judicatum in trium Capitulorum damnationem, nullibi Victorem asserere, Papam vel dubitasse, vel resipuisse de eo, quod in Judicato subscripsit ea Capitula ana-

thematizans. Hac autem nota omissa a Victore, quae nulla ratione omittenda erat quippe suo proposito valde proficiens, inferas quid putandum sit de hoc Constituto, sive de instabilitate Vigilii in hac quaestione. Et non solum Victor, sed et Facundus pari zelo ardens pro tribus Capitulis, in libris, quos scripsit post novissimum et quidem sincerum Vigilii Constitutum pro Synodi oecumenicae sanctione, de hoc praesumpto Constituto silet omnino.

Item, qui cunctas studiose hujus Constituti partes expendit, Papae judicium repraesentantis de proposita quaestione, variorum testimoniorum rapsodiam compererit hinc inde decerptorum. Ab initio enim legitur professionis exemplar a Menna aliisque episcopis emissae. Deinde alia sequitur Eutychii et aliorum ejusdem generis. Sed maxime in hoc proderit Collatio V. ejusdem Concilii, quae versatur in disquisitione veterum documentorum de Theodori fide, idest quae sensit, et quae docuit, et in quibus perseveravit usque ad vitae terminum: quare Synodus ipsius damnationem etiam post obitum subscribere putavit. Hujusmodi quaestio mandata est a Justiniano anno 24. imperii, ut consultis episcopis et clericis civitatis Mopsuestiae de Theodoro quondam illius urbis antistite, patefieret quid de eo stabiliendum esset. Exacta disquisitione, responderunt praefati viri Imperatori, nullam memoriam in sacris diptychis reperiri de Theodoro; eumque ab antiquis temporibus extra praedicationem divini mysterii et a sacris diptychis ejectum esse.

Ex. g. Martyrius dixit: « Sum annorum octoginta plus minus: habeo autem in clero ordinatus sexaginta plus: neque scio, neque audivi, quod recitatus sit Theodorus olim factus istius civitatis episcopus in sacris dyptichis. Sed audivi quod sanctus Cyrillus Alexandriae magnae civitatis episcopus factus, pro Theodoro taxatus est in diptychis; quibus inscripti sunt sanctissimi episcopi. » Idem ceteri testati episcopi, qui Mopsuestiam profecti sunt consulendi causa traditiones et scripta illius urbis: quique deinde coram Vigilio obtestati sunt de Theodori nomine a diptychis ejecto: nisi quod addiderint, aliam Theodorum de Galatia, inscriptum quidem diptychis ante tres annos defunctum. Et haec

omnia Vigilio manifesta sunt ita ut, et ei et cunctis constaret, non solum Theodorum blasphemasse, sed et in iis usque ad obitum permansisse blasphemiis; neque ideo in pace Ecclesiae supremam obiisse diem ex semetipso damnatum.

Haec porro accurata documenta, et quidem non spernenda, vidit, legitque Vigilius antequam praesumptum ederet Constitutum; ubi penitus dicitur et statuitur contrarium iis, quae Synodus mopsuestena ex prisca traditione eruit adversus Theodorum ipsius civitatis episcopum; quaeque ipsi Papae legenda oblata fuerant. Quapropter, si Vigilius certior antea factus de traditione ecclesiae mopsuestenae circa Theodori memoriam a sacris diptychis deletam tanquam haereseos nota usque ad mortem inusti: quoties Papa, dico, nollet praefata accipere et probare testimonia de Theodori damnatione; ea ipsa testimonia citare, excutere et confutare debuisse videretur, ut sic sua invalesceret opinio pro ipso Theodoro. Nihilominus Vigilius quod in Judicato statuerat, hoc idem firmavit in postremo Constituto.

Insuper et hoc mirum, simul collatis duobus Constitutis, quod in primo et quidem genuino subsignato VII. Kalendas Martii imperii Justiniani anno 27. de Theodoro mopsuesteno inquit Vigilius n. 26: «Quarum blasphemiarum ex libris Theodori mopsuesteni perversitate reperta, evidenter apparet, falsissime quosdam foventes dicta Theodori opinari, quod memoratus Theodorus non fuerit in sua vita damnatus, cum perspectis praedecessoris nostris Damasi constitutis etc.» Paulo post: «Cui damnationi Theodorum quoque necesse est fuisse subjectum, qui praedamnatae haeresis sectator et praedicator effectus est.»

In altero vero Constituto, quod apocriphum facimus, firmato pridie Idus Maji ejusdem Justiniani imperii anno 27. locutus introducitur Papa, *nulli licere noviter aliquid de mortuorum personis judicare..... et specialiter de Theodori mopsuesteni nomine.... cum nostra non audemus damnare sententia; sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus.*

Item in genuino Constituto inquit Vigilius n. 24. «Cedat itaque impudentia perversorum tam eutychianae haereseos quam nestorianae sequacium, qui haeretica fraude nituntur

suadere, quod quilibet in chalcedonensi Synodo residens de illa ad Marim Persam Epistola totius impietatis plena aliquid orthodoxum dicere, vel sentire potuerit. »

Contra vero hanc obtestationem in apocrypho Constituto subsignato pridie Idus Maji, Justiniano imperante, an. 27. duobus cum dimidio elapsis mensibus, ait Vigilius, Patres Concilii chalcedonensis orthodoxam pronunciasse dictationem Epistolae Ibae ad Marim, etsi quaedam per errorem in ea dicta fuissent adversus s. Cyrillum. Et paulo post concludit erga eam Epistolam : « Praesentis sententiae nostrae auctoritate statuimus atque decernimus cum in omnibus, tum etiam in saepius memorata Epistola venerabilis Ibae Patrum in chalcedone residentium judicium manere intemeratum. »

Demum, studiose perlectis hujus apocryphi postremis dictis, ac alteri genuino Constituto comparatis, videtur falsator ita compegisse hoc Constitutum, ut dicatur ipse, ob oculos habuisse alterum genuinum, eoque corrupto, convertisse in sensum contrarium ab eo, quod affirmavit Vigilius, et vicissim negando, ubi ille affirmavit; uti praeclare videre est in ultimis utriusque Constituti paragraphis. Et amplius est obstupescendum, quod ibidem legitur de iis, qui huic falso Constituto subscripserunt cum Vigilio sexdecim episcopi occidentales ac tres diaconi romani, in quibus Pelagius, praecipuus trium Capitulorum expugnator, nulla exacta distinctione, ab initio quaestionis usque ad ascensionem suam in Petri Cathedram. In qua sedens pari zelo horum Capitulorum anathema firmavit, anathematizatis eorum defensoribus. Quapropter frustraneum puto, ulterius de hoc spurio scripto disserere.

Jure ergo meritoque abjectis et epistola decretali Vigilii pro confirmatione Synodi, et Constituto de quo hucusque disputavimus, sicuti et ceteris spuriis, aut interpolatis scripturis eidem Vigilio adscriptis, in reliquis genuinis ipsius convenientiam inspicies. Quam convenientiam optime speculati successores ejus Pelagius I. Pelagius II. et s. Gregorius Magnus, in nulla re Vigilio exprobrantes, definita in Synodo V. lubentissime accepere; firmaruntque adversus hujus Pontificis hostes, strenue omnia propugnantes quae in hoc

ultimo Constituto fuerant decreta: quaeque eadem esse ac ea ab initio Constantinopoli in primo episcoporum conventu ac deinde in Judicato definita ulla absque additione vel subtractione, compertissime ostendi.

Itaque cum praefati Pontifices trium Capitulorum quaestionem non obiter, nec ut historicum monumentum simpliciter citarint, sed summopere hanc facerent consideratione dignam; ac simul, etsi undique instantibus adversariis, ulla absque haesitatione contestati sint tria Capitula, scilicet scripta et personam Theodori mopsuesteni, Ibae Epistolam ad Marim Persam, et Theodoreti Commentaria in Cyrilli anathematismos, eodem sensu damnata fuisse eademque mente, qua primum a quatuor patriarchis aliisque Orientis episcopis circa an. 544. anathematizata fuerant, excluditur praesumptio pusillanimitatis, inconstantiae et contradictionis in Vigilii persona. Quod si plura documenta hinc inde tunc et postea edita fuerint in Vigilii contemptum et episcoporum, qui Synodo V. adstiterunt, ista ex perfidia repetenda sunt eorum, qui omnia pedetentim perverterunt Synodi hujus Acta, eo maxime intendentes ut schismaticorum nomen, quo ab Ecclesia Catholica juste multati fuerant, in Vigilii caput converterent, multimode personam illius ac judicium in hoc negotio vituperantes.

Profecto, ut, praeter hucusque discussa, perversorum malitia omnibus magis patefiat, et fidei integritas, sobrietas, sapientia ac firmitas una splendeant in Vigilii Pontificatu, si parumper insimulationes considerentur, quibus scatent documenta, quae de eo nunc supersunt, vel sub ejusdem Pontificis nomine edita, aut ipsius spectantia personam, absque dubio satis amplissime facient. Ea enim, quippe secundum cujusque ingenium, et unius ab altero seorsim, dolose ac perfide elaborata, hujuscemodi sortita sunt exitum, ut vicissim inter se colluctentur, ac unum alterum destruat: et simul mentitorum et calumniatorum ultro appareat opus illorum; qui aegreferentes trium Capitulorum damnationem, arma verterunt in Romanum Pontificem, qui veluti arx inexpugnabilis stetit adversus cunctos illorum conatus, penitusque prostravit.

Ac interim, ut quae praefatus sum, rata habeantur, factis comprobentur. Victor tununensis in Chronico ait: « Sylverius Romanus exilio mittitur; et pro eo Vigilius ordinatur: a quo Theodora memorata augusta, priusquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus in persecutione Synodi chalcedonensis tria capitula condemnaret. »

Tamen cum Constantinopolim pergeret Vigilius per litteras ad Mennam datas, trium Capitulorum damnationem reprehendit, eumdem Mennam et socios a communione suspendit circa an. 547. Et post menses quinque Theodorae augustae rogatu, eosdem ad communionem restituit Papa.

Item in Collatione VII. juxta praefatam editionem sub an. 23. imperii Justiniani, dicitur jurasse Papa Vigilius in praesentia Theodori episcopi Caesareae se: « uno animo, una voluntate, hoc velle, hoc conari, ita agere quantum possum, ut ista tria Capitula, idest Theodorus mopsuestenus cum scriptis suis, et Epistola, quae dicitur Ibae, et Conscripta Theodoreti contra orthodoxam fidem et contra duodecim Capitula s. Cyrilli dicta, condemnentur et anathematizentur etc. »

Attamen circa annum 25. imperii, in alio decreto excommunicationis adversus Theodorum Caesareae Cappadociae, quasi perjurus Papa eadem Capitula defendit. Et ob hanc Capitulorum defensionem, ibidem dicitur plures passus esse contumelias et vexationes. Quamobrem circa istud intervallum alia epistola Clericis Italiae inscripta, ac legatis francorum Constantinopolim proficiscentium data est; ubi legitur Vigilius violentia actus venisse in Urbem regiam, et ibi coactus subscripsisse trium Capitulorum damnationi, primum contra obtestatus, deindeque convenisse; ac paulo post retractasse quod sanciverat.

Item circa an. 27. Justiniani imperii, probante Vigilio Synodi adunationem circa eadem Capitula, stante Synodo, ejusdem Imperatoris praesumptae litterae repraesentant Vigilium denuo in contrariam partem factum, eaque Capitula defendentem: « *Contrarie autem factus est suae voluntati, ea defendens, quae Nestorii et Theodori sequaces sapiunt. Praeterea ipse semetipsum alienum Catholicae Ecclesiae fecit, defendens praedictorum Capitulorum impietatem* etc. »

Nihilominus Constitutum quoddam reperitur tunc editum, cui adhaesisse leguntur Vigilius ipse et cum eo Pelagius diaconus, aliique episcopi occidentales. In hoc vero Constituto Papa mandat decernitque anathema sexaginta capitulorum Theodori mopsuesteni. Attamen ab ipso anathemate vult excipi personam ejusdem: *cum eum nostra non audemus damnare sententia ; sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus*; sicuti ab anathemate excludit Ibae inscriptam Epistolam.

His demum tam disparibus testimoniis accedat praefati Facundi testimonium aestuantis trium Capitulorum defensoris, et schismatis principis ; qui in Libro contra Mocianum omnia revelat callida sua et sociorum consilia, quibus studuit a persona et auctoritate pontificia divellere fideles: « Occulta ejus (Vigilii), inquit, ante Judicium pollicitatione tenebatur, in qua se spopondit eadem Capitula damnare. » Paulo post addit : « Ideo etiam de ipsius Episcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulsu, cum fieri arderet episcopus, vel postea venalitate parti alteri factus, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus praejudicium fides vera sufferret . . . . . . Nam Judex (Vigilius) asserit, quod invitus illud protulerit Judicatum. Nos contra respondemus, quod ultro per ambitionem, pollicitatione facta, peccarit; nec ulla sustinuerit tormenta, quibus cessisse credatur. Cumque hoc invitum se fecisse asserat, rursus ibidem ait, quod ignorans fecerit. Nos vero probamus, non eum potuisse ignorantem facere, quod invitum se adserat admisisse. » Et sic de ceteris, quas cum eo commenti sunt Liberatus et Victor tununensis criminationes in Vigilium, nunc acephalum, modo fidei chalcedonensis subversorem, nunc severianis et theodosianis concordem nuncupantes.

Hujusmodi studio calumniarum architecti trium Capitulorum defensores perquam studiose in causa propria agentes, unus ab altero suffragium perversitatum suarum contra Vigilium praesertim mutuati sunt, singuli occasionem nacti insimulandi Petri successorem et Cathedram veritatis, falsitates suas super aliorum falsitates instruentes. Attamen cum dolus in dolosum cadat, hinc non satis cauti in pravis co-

rum artificiis compingendis, alter adversus alterum stetere, ita ut in suae fraudis foveam caderent. De reliquo, nonne per hujusmodi testimonia circa Vigilii normam in trium Capitulorum quaestione, Pontificis character versatilis in perpetua inconstantia ignominiose versatur? ubi modo negat, quod deinde affirmavit; eademque celeritate postea negat ut iterum affirmet, quae negavit: ac amplius per eamdem animi levitatem jurat, ut paulo post pejeret. Sane, si talia admittantur testimonia de Vigilio, hominem perspicies non dicam incertum aut ignarum, sed potius fatuum, delirumque.

Si ergo ejusmodi absurda admitti nequeant in historia Vigilii, cum et intimus repugnet sensus noster, consequitur, inter notha scripta committenda esse praefata documenta, vario studio elaborata a trium Capitulorum patronis. Et istud arbitrabitur indubie, qui Pontificum Vigilio immediate succedentium, declarationes perlegerit explicitas de multiplici schismaticorum conatu adversus Synodi quintae definitionem. Et id in superioribus actum est. Tamen nunc breviter relegantur. Pelagius I. ad Childebertum regem scribens, inquit: « Hi ergo, qui in ipsis erroribus remanserunt, conglobati sunt in unum: et agunt vehementer qualiter Ecclesiam Dei Catholicam scindant, atque perturbent. Nam et hic in Italiam quamdiu nos in Constantinopoli fuimus, de nomine nostro chartas mittebant dicendo, quasi nos dixerimus fidem catholicam fuisse corruptam. Nunc etiam contra nos afferunt chartas tacitis nominibus, ut nesciatur quis eas misit. » Item in aliis litteris ad eumdem Regem loquitur de iis, « qui scandala serebant, simulantes se rectam fidem vindicare, maxime apud eos, qui dolos eorum et fraudes ignorant. »

Similiter in epistola 2. Pelagius II. ad Istriae episcopos ait: « Propter quod praesentium portatoribus, quos fraternitas vestra direxit, et ex codicibus et ex antiquis polyptychis scrinii sanctae Sedis Apostolicae relecta sunt aliqua; quibus evidenter apparet, nihil eorum, quae in vestra posuistis epistola causa trium Capitulorum, convenire ullatenus aut verisimiliter coaptari. » Quae omnia, sive considerentur praefata antilogiae documenta, sive testes sinceri malitiae schismaticorum nuncupati Pontifices (in quibus Vigilius)

proposito nostro quam maxime suffragantur in ejusdem Papae apologia, simul adversarios condemnant, ac recentiores quoque historiae tractatores orthodoxos arguunt; qui incauti inhaerentes infidelibus priscorum testimoniis, quamvis inviti, hostibus Ecclesiae Romanae suppeditarunt arma, ut adversus eam irrumperent.

Verumtamen hujusmodi culpas pati in Petri successore quis poterit? Et quis eas ratas habere quiverit, huc repetitis, quae Vigilius mandavit, quae egit in trium Capitulorum quaestione? Horum testes appello Romanos Pontifices ipsius successores Pelagium I. Pelagium II. s. Gregorium Magnum. Ipsum quoque cum his Victorem appello coaevum et ex defendentium tria Capitula numero; qui in chronico, eo ordine pro singulis annis recensens, quae tunc de his acciderunt a Vigilii Pontificatus initio usque ad Synodi V. terminum, hujusmodi Papae antilogias et tergiversationes silentio praeteriit. Quae quidem non videbantur ab ipso praetermittendae, utpote ipsius Pontificis injuriam, suamque comprobantes sententiam. Testes appello 165. episcopos Synodo adstantes singulos quaestionis certiores, studiosos, sollicitosque in ea expedienda; ac ideo, ipso Vigilio consentiente, legitime congregatos, ut pervestigatis veteris Ecclesiae archiviis comprehenderent, ipsius Pontificis Judicatum de tribus Capitulis damnandis, juri sacrosancto inniti, quovis de medio sublato peculiari vel personali negotio. Quique inde, servatis in Judicato expressis, synodalem admisit discussionem; sicuti accepit sancivitque definitionem, unanimi consensu omnibus tria Capitula damnantibus, nullimode aut ignorantia captis, sive praejudicio, aut metu aliquo impulsis, sive Caesaris spe allectis remunerationis.

Praeterea, si dictis Facundi quis assentiri vellet, ubi vehementer Mocianum exagitat et in eo Romanos Pontifices, statuendum esset, Pontificatum Romanum, sive Ecclesiam Catholicam in schismate ab eo tempore usque huc versari: et ex adverso, trium Capitulorum defensores veram constituere Christi Ecclesiam: quemadmodum totis viribus obtestabantur tunc Facundus ipse et omnes cum eo foederati, et anathematizati ab ipsa quinta Synodo. Et quis hoc audeat

dicere? Cum, ut nunc manifestissime patet, trium Capitulorum defensores jam perierint, et una cum his illa quoque periit ecclesia praesumpta orthodoxa sub eorum auspiciis constructa adversus hanc, quam Christus Petro et successoribus illius, in quibus Vigilio, credidit gubernandam, usque ad seculi consummationem duraturam, magistram veritatis in omnium haeresum extirpationem?

Quapropter, qui Romanos Pontifices fidei praevaricatores, qui antistites omnes catholicos Concilio subscribentes, severianos, acephalos, schismaticos, uno verbo haereticos appellarunt, qui talia, inquam, falsa adversus veritatem iniquissime testati sunt, eosdem liceat putare illas compegisse futiles et injuriosas enarrationes de Vigilio Papa in tractanda trium Capitulorum causa. Quas enarrationes brevi sermone confutavit sexta Synodus oecumenica in Actione XVIII. ad Constantinum Pogonatum allocuta, ubi praecedentibus conciliis enumeratis, de Synodo quinta ait: « Sicut et Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit: et quintum Concilium constitutum est, ut eorum opuscula, quae latenter reperta sunt, repleta abominatione, anathematizarentur. » Vocabulum *consonuit* omnem abripit a Vigilio notionem instabilitatis, contradictionis, violentiae, et perjurii, de quibus incusatur ab illorum Capitulorum defensoribus; ac Concilii sermo universim indicat ipsius Vigilii et episcoporum studium in anathematizandis una cum Ibae inscripta Epistola ad Marim cunctis Theodori mopsuesteni scriptis abominatione repletis.

Sed quid adhuc desideramus testes falsationum Synodi V. et calumniarum in Vigilium? Jam ab anno 680. nuper citata sexta oecumenica constantinopolitana in Actione XIV. clamavit adversus apocrypha scripta Mennae et Vigilio nuncupata, ea anathematizans. « Anathema, inquit, libro, qui dicitur Mennae ad Vigilium, et qui eum finxerunt, sive scripserunt: anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divae memoriae; qui et sunt falsi demonstrati: anathema simul omnibus, qui falsaverunt Acta sancti et universalis quinti Concilii etc. »

Siquis autem audire cupiat quousque schismaticorum tria Capitula defendentium pertigerit perfidia in mutilatione Actuum Concilii quinti, ac omnimoda falsatione eorum, quae sancita fuerant in ea Synodo, ita ut videretur nihil definitum fuisse adversus tria Capitula, sed alios anathematizatos errores, Chronographiam adeat Theophanis ineunte seculo VIII. vitam degentis. Iste enarrans quae a Mennae obitu in Ecclesia tunc supervenere sub Eutychio illius successore, scribit: « Hoc anno sanctum et oecumenicum quintum Concilium adversus dementem Origenem, Didymum oculorum lumine privatum, Evagrium, eorumque deliria in gentilium mentem declinantia, et insuper adversus acephalorum capita celebratum est. Congregatis vero Patribus, haud simul consedit Pontifex Romanus Vigilius: sed ab Imperatore, multis tumultuantibus, dimissus, iter, quo Romam pergitur, agens, in Illyrico diem extremum obiit. » In qua narratione ne verbum quidem consonat historiae genuinae Synodi V.

Ideoque si ad hoc tria Capitula defendentium dolus pervenerit, ut paullatim ac furtive agentes abolitionem obtinuerint eorum, quae Synodus quinta statuit reapse et luculentissime in illorum Capitulorum anathematismo, et aliud prorsus quid novi commentati sint de ipsa Synodo; quid de ceteris arguendum erit insimulationibus, quibus tota Synodi V. conspergitur historia ac praesertim Vigilii Pontificatus? Praefata Concilii sexti ac Theophanis verba notis tam amplissimis exposita, spondent, quousque schismaticorum invaluerit perfidia in trium Capitulorum quaestionis falsandis monumentis. Quare diligenti perscrutatione libero mihi liceat nunc denuo percurrere et prosternere pede pravorum hominum conatus, qui tanti Pontificis tantis calumniis deturparunt fidem et ministerii sui decus a Pontificatus sui exordio ad exitum usque.



CAPUT XX.

Vigilii Papae fidei integritas, vitae probitas, canonica electio, munus sacrum irreprehensibiliter exactum ab initio Pontificatus ad exitum usque adversus Facundi, Liberati et recentiorum insimulationes propugnantur.

Nemo ignorat quali delictorum congerie Vigilii Pontificatus cumuletur a Facundo, Liberato aliisque trium Capitulorum defensoribus; qui, ne undique effugium pateret ad illius defensionem, totam ipsius vitam hujusmodi opprobriis prosecuti sunt, ut non, quemadmodum ait Apostolus, criminosus, non superbus, non iracundus, non percussor, non turpis lucri cupidus, non litigiosus, non reprehensibilis Petri Cathedram adscendisset Vigilius; sed ex adverso superbus, avarus, simoniacus, intrusus, instabilis in fide, haereticus, perjurus, homicida. Et, ut summatim dicam, Vigilius scelestissimus vir proindeque evitandus, munus pontificium auspicatus foret et gessisset. Cum itaque, ut ingenue fatear, hujus Pontificis vindices pauci usque modo inventi sint, et obtenebrata adhuc maneat ejusdem fama de sui Pontificatus initio ac regimine, non abs re futurum puto, si singillatim varia disquirantur et una refutentur insimulationum genera, sicuti hujus quaestionis momentum postulare videtur.

Primum interim illud consideratu par est, in quo Vigilius dicitur Concilii chalcedonensis hostis, acephalorum sectae connivens, et ob hoc Justiniani uxori spopondisse Anthimi revocationem ad Sedem constantinopolitanam, eumque ac ejusdem socios in communionem suscipere. Et sane, si ad Petri Cathedram ascendendi cupido eo usque Vigilii animum impulerit, veluti adversarii putant, ut non dubitaverit Synodi chalcedonensis atque Leonis conculcare fidem, sicuti et Concilii constantinopolitani sub Agapeto Papa contemnere statuta adversus Anthimum sancita, irritus haberetur cujusque labor, qui Vigilii studeret defensioni. Nihilominus de his valde dubitandum esse puto criminationibus, eoque magis cum quoad primam, idest de tribus Capitulis, superius

satis dictum sit, nunquam videlicet Vigilium, nec voluisse nec fuisse arbitratum Synodi chalcedonensis.contrairo definitionibus. Quoad autem alterum culpationis genus de Pontificis conniventia acephalorum sectae jam damnatae cum Anthimo ejusdem patrono, adversus istud nobis praeclarissimum adstat testimonium circa annum 540. ab ipso emissum coram Justiniano per epistolam ad ipsum scriptam, cujus initium, *Litteras Clementiae vestrae* etc. In qua maxime elucent sincera Pontificis fides, cordis integritas, sancta et constans aemulatio in decessorum suorum Pontificum servandis constitutis, quin nec ad dexteram pergeret nec ad sinistram. Et haec interim sunt memoratu digna in citatis litteris contra gratuitam obtrectatorum suorum assertionem, in discrimen vocantium rectam suae fidei professionem.

« Quorum, inquit, probabilia constituta sanctae recordationis Hormisda atque Joannes senior, nec non et Agapetus decessores nostri per omnia conservantes, universos nestorianae et eutychianae sequaces haeresis justae mucrone sententiae perculerunt. Quod nos summis viribus sequi, summoque adnixu defendere pietatis vestrae Clementia indubitabiliter agnoscat; sed et beati Leonis epistolas ad sanctae recordationis Flavianum tunc constantinopolitanae civitatis antistitem, nec non et ad clementissimae memoriae Leonem principem destinatas; quibus haereticorum idest Nestorii atque Eutychetis perfidiam, rationabili assertione, Deo sibi inspirante, confudit, omnino amplectimur, et qua oportet, charitate defendimus. Et quamvis nos animi fideique nostrae, Deo custodiente, sinceritas contra ea nullatenus venire permittat; perpendere tamen debet vestrae pietatis prudentia admiranda, quia non digni censentur antistites, qui praefatorum praesulum Sedis Apostolicae inviolabiliter minime constituta servaverint. Haec ergo quae de fide a Patribus sanctarum quatuor Synodorum et a designatis beatae recordationis Papae Leonis epistolis atque a suprascriptorum praedecessorum nostrorum constitutis sunt venerabiliter definita, per omnia nos sequentes et eorum doctrinae contrarios probabili Apostolicae Sedis auctoritate damnantes, anathematizantes eos, quicumque de fidei ejus expositione vel rectitudine, aut dispu-

tare perverse, aut infideliter dubitare tentaverint: et contra ea sentientes, quae de fide in nicaena, constantinopolitana, ephesina prima et chalcedonensi .... continentur....

« In his vero, in quibus Mennam fratrem et coepiscopum nostrum memorem libelli sui, quem praedecessori nostro beatae memoriae Agapeto, ordinationis suae tempore, vestrae Clementiae consensu porrexerat, sequentem revera Sedis Apostolicae disciplinam, haereticis inferius comprehensis, idest Severo eutychiano, Petro apameno, Anthimo, qui etiam ecclesiam constantinopolitanam prava ambitione pervaserat, Xeneae, sed et Theodosio alexandrino, et Constantino laodicensi, atque Antonio versentano eutychianae haeresis, sed et Dioscoro, qui in chalcedonensi Synodo inter alios legitur fuisse damnatus, et defensoribus atque sequacibus anathema dixisse pietas vestra mandavit: in nullo a nobis quidem moleste suscipitur, a praedicto fratre nostro, vel a quolibet alio in haereticos dicta damnatio: sed et libenter amplectimur, et Sedis Apostolicae auctoritate firmamus, complices damnatorum simili anathematis ultione plectentes.....

« Tamen, ut cuncta pietatem vestram informent, et nihil pro callidi insidiatoris astutia ulterius relinquatur ambiguum, beatae recordationis praedecessoris nostri Papae Leonis, quae diversis ad Orientem sunt directa temporibus constituta, quanta de plurimis in praesenti necessaria credidimus, superadjecimus rogantes per ipsum, cujus causam integre agere festinatis, et cupitis christianitatis affectu, ut universa legere pietas vestra dignetur, ne aliquid supersit, quod minime relegatur. Scio enim, quia sicut Deus vobis legem dederit voluntatem, ita cuncta tractantes, sapientia vobis singulariter a Deo concessa disponitis, ut neque de religione, neque de aliquo praejudicio quilibet fidelium sacerdotum possit in qualibet parte vexari. Rationem his igitur (prout christianitatis vestrae meritum postulabat) in quantum valuimus, reddidisse sufficiat; quamvis nos nihil contra synodalia, vel praedecessorum nostrorum praesulum Sedis Apostolicae constituta, aut commisisse aliquid, aut tentasse, quisquam licet astutus et subtilis inveniet. Ea vero, quae fidei catholicae vel animae nostrae expediunt (de qua sicut novit pietas ve-

stra et pro sacerdotali officio et pro multiplicibus praestitis clementiae vestrae, causam plus aliis habeo cogitandi) suggere non omitto. »

Et cuivis has Vigilii testificationes legenti quomodo unquam fieri locus poterit de orthodoxa ipsius fide dubitandi? Sicubi nimirum praedecessorum suorum Pontificum vestigiis inhaerens, inquit Justiniano: *quod nos summis viribus sequi, summoque adnixu defendere pietatis vestrae clementia indubitabiliter agnoscat*. Et quomodo, acceptis testimoniis nuper citatis contra Vigilium, quo animo, dico, is Justinianum certiorem fecerit, dicens: *perpendere tamen debet vestrae pietatis prudentia admirànda, quia non digni censentur antistites, qui praefatorum praesulum Sedis Apostolicae inviolabiliter minime constituta servaverint?* Quae quidem constituta damnationis decreta designabant, a Papa Hormisda et Agapeto subscripta adversus Nestorii et Eutychis et omnium impietates, qui haeresibus illis communicabant; in quibus tunc valde eminebant acephali et eorum patronus Anthimus.

Et qua ratione deinde subdens scripserit: *in nullo a nobis quidem moleste suscipitur a praedicto fratre nostro (Menna), vel a quolibet alio in haereticos dicta damnatio: sed et libenter amplectimur; et Sedis Apostolicae auctoritate firmamus, complices damnatorum simili anathematis ultione plectentes?* Et quali denique ausu Vigilius ad Imperatorem allocutus, obtestatus est: *rationem his igitur (prout christianitatis vestrae meritum postulabat) in quantum valuimus, reddidisse sufficiat; quamvis nos nihil contra synodalia, vel praedecessorum nostrorum praesulum Sedis Apostolicae constituta, aut commisisse aliquid, aut tentasse, quisquam licet astutus et subtilis inveniet?* Hujuscemodi Vigilii testificatio omnem adimit a suis adversariis praetextum, ipsum quovis modo et tempore insimulandi, aut de haeresi, sive cum haereticis conniventia. Neque enim tunc, neque antea inde eruitur, Vigilium lapsum fuisse in errorem, sive de praedecessorum suorum constitutis dubitasse, seu haereticorum indulsisse placitis. Et amplius tam perspicua et ampla Vigilii protestatio coram Justiniano, non solum de fidei suae sincerae professione exponenda est; sed etiam de canonica ipsius as-

sumptione ad Pontificatum, seorsim dico a quovis ambitu et exlegi conamine, sive a quavis usurpationis suspicione. Inquiens enim se nihil admisisse, aut tentasse nec contra synodalia, nec contra Sedis Apostolicae constituta, in hoc fidem suam orthodoxam comprehendit, et praedecessorum suorum observantiam constitutionum in regiminis pontificii assumptione : de qua infra.

Deinde, admissa hypothesi potuisse aliquando errare Vigilium, et posteaquam erravit, retractare in quo erravit, veluti vulgata in his et similibus de eo nunc fama est; contra hanc hypothesim stat quoque ingenua ipsius locutio in praefatis litteris; ubi neque erroris, nec inde resipiscentiae, nec emendationis signum quodvis ullus poterit interpretari. Et quidem; si Vigilius a sui Pontificatus exordio in quibusdam deliquisset; sive quidquam egisset, aut occulta promisisset fidei catholicae injuriosa, opus ei fuisset tunc publicae satisfacere opinioni, nec ideo celare, nec multo minus negare reatum, si reapse deliquisset. Eoque magis si hujus epistolae praecipuus attendatur scopus, qui in suipsius apologia praecipue versatur adversus suae professionis detractores. Quorum si personae cessarunt, infauste scripta illorum manserunt; unde fama ejusdem adhuc obtenebrata manet. Ceterum famae Vigilii studioso valde puto profuturum, quum ejusdem decoris reparandi causa, ad hanc epistolam animum suum intenderit. Et haec modo sufficiant de orthodoxa ac sincera Vigilii fide, quam perpetuo se tenuisse ac vindicasse testatur.

In quo vero culpatur Pontifex schismaticus, alienae sedis invasor, Cathedram contra Cathedram erigens, ac cunctos superans, qui unquam in Ecclesia fuerunt, Antipapas, si (exceptis Facundo et Liberato, qui hoc testantur et quidem valde suspecti) ceterorum velimus sincerae fidei, ejusdemque aetatis, de eo Pontifice quidquid senserint investigare; nisi contrarium absolute statuendum sit, saltem praeterire non licet horum silentium de Vigilii schismate et Pontificatus usurpatione, uti de ipsius retractatione publica (quando deinde legitimus Pontifex comprobatus esset) coram Ecclesia peragenda : quacum, prioribus emendatis excessibus,

novum iniret et canonicum pontificiae auctoritatis exercitium. Attamen nec de hujusmodi usurpatione, ut dixi, neque de emendatione ejusdem, nullum hucusque de his in historia hujus aetatis, sinceroque exarata calamo, reperi vestigium. Quinimmo ex adverso, hujus Pontificis jam ab anno 538. quo, ut fertur, adhuc in exilio vivebat Silverius, duae praeclarae supersunt epistolae, quibus non solum fidei suae lucescit integritas, et pro Apostolica Sede zelus; verum et reverentia et obsequium episcoporum erga ipsum universim manifestantur, ejusque auctoritas accepta, tanquam legitime in Petri Cathedram provecti. Harum epistolarum prima hoc ipso anno, Consule Joanne, Eleuterio, sive Profuturo episcopo data est; qui ad Vigilium Pontificem (etsi vivente Silverio ut dicitur) se contulit de quibusdam consulturus. Ita namque incipit Papa.

« Directas ad nos tuae charitatis epistolas plenas catholicae inquisitionis sollicitudine gratanter accepimus, benedicentes Dei nostri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores; per quos et pascuis valeant salutaribus abundare, et ab antiqui hostis rapacitate servari, ut insidias nequeant ejus subreptionis incurrere. Unde certum est, quia promissae eis beatitudinis gratia subsequatur, quando a vobis coelestium perfectio doctrinarum tam votiva sciscitatione perquiritur.... Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis quid juxta catholicam disciplinam teneat Apostolicae Sedis auctoritas, subjectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum etc. » Porro haec epistola citata reperitur a Patribus Synodi bracarensis an. 563. tanquam Sedis Apostolicae auctoritate firmata.

His expositis, si utriusque consideres, qui consulit, et qui consultationi respondet, sensus tam simplici alacrique animo expressos relate ad Petri successorem in Pontificatu Romano, non est dubitandum de sincera unius devotione erga Vigilium ceu legitimum Ecclesiae Catholicae pastorem, et de alterius simul, idest ipsius Vigilii pura conscientia in supremo Ecclesiae ministerio exercendo, aut jam mortuo Silverio, sive eo vivente in exilio ob hujus absentiam, vica-

ria potestate adaucti, eodem annuente Silverio, et Cleri Romani consensu, ita ut nullimode tunc sit ut Antipapa culpandus Vigilius. Sed de his praesumptionibus inferius.

Item eodem anno eodemque Consule, ceu legitimus Pontifex scribebat Vigilius ad Caesarium arelatensem doctrina et sanctitate eximium episcopum, de nuptiis incestuosis Theodoberti regis. In hac epistola dicitur, ipse rex per Modericum consuluisse Pontificem de poenitentia ideo peragenda: « Hinc est, inquit ad Caesarium Papa, quod gloriosi filii nostri regis Theodoberti interrogationem, qua nos per Modericum virum illustrem legatum suum credidit requirendum, duximus amplectendam : in qua gloriam suam desiderat informari, cujusmodi poenitentia possit illius purgare delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum praesumpsit inire conjugium. » In his litteris omnia ingenue narrata et quoad Theodobertum et quoad Caesarium, et ubi omnia pacifice ulla absque contestatione, mutuo componuntur juxta canonicas leges, indicant pariter Vigilium tunc munus gerere pontificium, episcopatu et imperio plaudentibus, et ubique nemine resistente, ecclesiarum subvenire indigentiis, non ut Petri Cathedrae usurpatorem, non ut schismaticum, sed ut legitimum Petri Apostoli successorem, cujus oraculis totus christianus orbis humiliter praebebat aures.

Et ob hoc in litteris ad Auxentium arelatensem, ei gratulatus quod in electione ejusdem completum esset Apostoli dictum : *nec quisquam sumet sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, superest, ait, ut Deus, qui nos immeritos ineffabili misericordia honorem miserans pontificalem habere pro sua pietate concedit, donet et praemium. Et hoc addit de se locutus Vigilius a Deo constitutus super familiam suam, ut in se complerentur Christi verba : *euge serve bone et fidelis* etc. Insuper tanquam a Deo vocatus ad Ecclesiae regimen, Galliae episcopis anno 545. scribens ajebat : « Quantum nos divina potentia Apostolorum primi Sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suae misericordiae pietate habere constituit; tantum nos de universarum ecclesiarum dispositione et pace et statu curam habere convenit etc. »

Quomodocumque ideo putandum sit de Vigilii conditione ab initio Pontificatus, num scilicet absolute Pontifex renunciatus fuerit, mortuo Silverio, an vicaria potestate munitus, exulante altero; his praeviis testimoniis refellitur omnino praesumptum tam probrosum insimulationis genus Vigilio irrogatae. Et amplius in utriusque epistolae circumstantiis sedulo notatis educitur, jam ab anno praecedenti, quo juxta Catalogum Blanchinianum dicitur Vigilius consecratus summus Pontifex, ipsius ascensionem toti notam fuisse Ecclesiae et acceptam. Ac demum, quod nos quaerimus, cum in praefatis epistolis tam ingenue coram episcopis fateatur, se ex divina misericordia ad Petri Cathedram vocatum tanquam Aaron; quis simoniacam labem, quis intrusionem, quis ambitum, quis haereticorum favorem in eo culpaverit?

Quae autem adversus hucusque pertractata facere videntur, diluit Pagius in Notis Annalibus Baronii insertis sub anno 539. Qui studiose perscrutatus Acta Vigilii a sui Pontificatus initio, ob ea, quae vulgo enarrantur adversus eumdem, tres citat epistolas ad hanc spectantes aetatem; unam scilicet Silverii Papae ad Vigilium, alteram Amatoris ad Silverium, tertiam Silverii ad ipsum Amatorem. De quibus singillatim secundum propositum nostrum scribit dictus Pagius: « Epistola Silverii Papae ad Vigilium, cujus initium: *multis te transgressionibus irretitum* etc. supposititia est, ut ostendunt stili barbaries, falsa nota consularis, et emendicatae ab epistola Felicis II. ad Acacium sententiae. Item nullo historico testimonio confirmantur, quae de Vigilio Silverius narrat, scilicet: *cruentis sanguine manibus leviticum munus affectasse, decessoribus suis subrepsisse, et senatus justitia repressum fuisse.* Tertio incredibile est, Silverium, quem statim a dejectione, sub inimicorum custodia, ac in exilium reportatum (uti velit Liberatus) indicto episcoporum conventu, anathematis sententiam in Sedis suae pervasorem pronunciasse. »

Paulo post addit Pagius. « Supposititia pariter Amatoris episcopi augustodunensis ad Silverium epistola, a Baronio etiam recitata, ut demonstrant Consulatus nota mendax, stili barbaries, phrasis et sententiae ex legibus Honorii et Ar-

cadii imperatorum, ex Leone et Gregorio Romanis Pontificibus, et Bonifacio maguntino archiepiscopo excerptae. Denique hanc epistolam Isidori Mercatoris partum esse ostendunt verba Ennodii et Silverii calamitatum historia; qui statim atque Pataram exilii sui locum deportatus ab Imperatore, patareni Episcopi precibus Romam revocatus est. Quae si vera sint, quo in loco Silverius redux Amatoris munera suscepit? Haec mere fabulosa. Supposititia denique Silverii Papae epistola ad Amatorem, ut ipsemet Baronius fatetur; qui eamdem censuram duabus praecedentibus inurere debuit. Neque enim per haec tempora Augustoduni Amator erat episcopus, sed Agrippinus sedebat ab anno scilicet 525. usque ad praecedentem: quo Concilio Aurelianensi III. interfuit, quove Silverius mense Junio mortuus est. » Ideoque, harum epistolarum explosa auctoritate, et quae in Vigilium injuriosa ibidem conficta sunt crimina, pari jure convelluntur.

Deinde, si praefatae tres epistolae, Pagio teste, Vigilio inscriptae calamo apocrypho committendae sint; eo magis quae sequitur, malignantium revelat animum, ac seriem testatur cunctarum calumniarum adversus ipsum Papam contextarum. Hoc sane Pontificatus Romani hostium opus est: istud pervicaciae et improbitatis artificium quovis tempore in Ecclesia deplorandum. Quod tamen supra omnem modum invaluit in historia Vigilii Pontificatus; cujus initium usque ad finem nefandis contextum est culparum notis. Haec porro epistola ab ipso Liberato ceterarum architecto falsitatum exhibetur in c. XXII. *Breviarii*: ubi dicitur Vigilius Imperatrici spopondisse se acephalorum partes fuisse suscepturum: « Vigilius autem per Antoninam Belisarii conjugem implens professionem suam, quam Augustae fecerat, talem scripsit epistolam: *Dominis et Christis Vigilius.* Quam inscriptionem Victor in Chronico ita tradit: *Dominis et in Christi Dei Salvatoris nostri charitate conjunctis fratribus Theodosio, Anthemio et Severo episcopis, Vigilius episcopus.*

« Scio quidem quia ad sanctitatem vestram antea fidei meae credulitas, Deo adjuvante, pervenit. Sed quia modo gloriosa filia mea patricia Antonina christianissima, desideria

mea fecit implere, quod fraternitati vestrae praesentia scripto transmitterem. Salutans ergo vos gratia mea, qua nos Deo nostro Christo Salvatori jungimur, et eam fidem, quam tenetis, Deo adjuvante, et tenuisse et tenere significo, sciens quia illud inter nos praedicamus et legimus, ut et anima una sit, et cor unum in Deo. Profectus mei, qui vester est, Deo adjuvante, vobis gaudia maturavit, ex meo animo sciens fraternitatem vestram, quae optat, et libenter amplecti. Oportet ergo ut haec quae vobis scribo, nullus agnoscat: sed magis tanquam suspectum hic me sapientia vestra ante alios existimet habere, ut facilius possim haec, quae coepit, operari et perficere. *Subscriptio*: Orate pro nobis Deum, mihi fratres in Christo Domino nostro caritate conjuncti.

« Sub hac epistola, dicit Liberatus, scripsit Papa fidem suam, in qua duas in Christo damnavit naturas: et resolvens Tomum Papae Leonis sic dixit: *non duas Christum naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum unum Filium, unum Christum, unum Dominum* etc. Denique concludit Historicus: « Et ista Vigilius scribens, haereticus occulte permansit. In quo impletum est illud testimonium, quod Salomon in Proverbiis dicit: *edent viae suae fructus, et consiliis suis saturabuntur*. Ab ipsa haeresi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitae terminum suscepit, notum est omnibus. »

Hujus calumniosae imputationis et quidem gravissimae character exprimitur varimode non solum per quasdam dictiones a stilo Pontificis peregrinas, ex. g. *fidei meae credulitas*, sed et in ceteris summatim comprehensis; quae si parumper cum genuinis Vigilii scriptis conferantur, manifestissimae undequaque tam in verborum usu, tam in rebus obsignantur falsitatis notae. Praeterea pro sincera Pontificis fidei professione contra hujusmodi nebulonem faciunt ejusdem Papae obtestationes saepe repetitae praesertim in epistola ad Justinianum nuper citata, ubi has tunc nefaste invalescentes refellit calumnias, et amplius in Constituto novissimo, cui fidem Concilii chalcedonensis praemisit; cuique talia subjecit: « Posteaquam Synodi chalcedonensis expositionem, vel beati Leonis epistolam de sancta et orthodoxa

fide posuimus, quae una eademque est trium praecedentium Synodorum, idest nicaenae, constantinopolitanae, ephesinae primae et, Deo juvante, in ea nos omni sincerae mentis devotione persistere fraternitas vestra et universalis cognoscit Ecclesia etc. » Porro non est mirandum de hac supposititia Vigilii impia epistola, in qua aperte contra suam et orthodoxam incedit fidem : cum schismaticorum tria Capitula defendentium perfidia adeo consummata fuerit, ut omnia acta et scripta gennina Pontificis in contrariam partem, falsando converterent.

Haec autem vidit universim praefatus Severinus Binius; qui in Notis Conciliorum, quibus Liberati Breviarium insertum fuit, inquit: « Breviarium hoc *de causa nestoriana et eutychiana* conscriptum, ab Ecclesiastica Historia e graeco in latinum translata, et ex gestis synodalibus, atque etiam ex epistolis sanctorum Patrum desumptum esse, ipse Liberatus scribit in Praefatione hujus Opusculi. Historiam capitis X. incaute nimis ab aliquo nestoriano nescio quo magna ex parte mutuatus esse videtur, tum quod orthodoxos monachos Armeniae Theodori mopsuesteni scripta insectantes, pro more nestorianorum, apollinaristas nominet; tum etiam quod Theodorum mopsuestenum a s. Cyrillo laudatum, et a sacrosancto chalcedonensi Concilio cum laude receptum esse, scribat. Quae singula non modo non sunt vera; sed etiam ipsis Cyrilli scriptis de expositione nicaeni Symboli, ipsique (quo se vertit Liberatus) relationi synodicae chalcedonensis Concilii ad Marcianum factae, plane sunt contraria. » Istis notis cum alia addidisset Binius pro suspicione imposturae in hoc Breviario conscribendo, concludit: « Haec sunt, lector amice, quae illustrissimi viri Cardinales Baronius et Bellarminus in hoc Breviario caute legenda esse, diversis in locis notarunt et admonuere: quae cum scitu admodum necessaria esse videantur, pergratum fore putavi, si paulo prolixius, quam praestitum est a Possevino in *Apparatu sacro*, haec omnia annotarem. »

Verumtamen inter ea, quae praefati Critici jure de Liberati Breviario arbitrati sunt ad imminuendam erga hoc scriptum fidem, illud praetermisere quod in Prooemio dicitur

de hujus Libelli scopo. Ibi enim ait, se ex Ecclesiastica Historia de graeco in latinum translata, et ex gestis synodalibus vel sanctorum Patrum epistolis hoc Breviarium collegisse, nectens temporum curricula illa, quae in graeco Alexandriae Scripto accepit; vel gravissimorum hominum didicit narratione fideli. Quod facere dicit contra falsiloquos sectatores Nestorii et Eutychis, qui consueto studio aliter loquuntur de suis auctoribus, quam veritas habet, libenter offerens catholicis fratribus ipsarum haeresum acta legere volentibus. In hac vero locutione caveas, quae dicit Liberatus, se a gravissimorum hominum didicisse narratione fideli. Gravissimi enim viri sunt, quos item Auctor *Epistolae legatariis* vocat *fidelissimos,* quique revera erant de eodem schismaticorum grege: et qui una cum Liberato mordicus tria Capitula defendentes, illam falsitatum et calumniarum congeriem instruxerunt adversus Vigilium, Justinianum, aliosque sanctissimos episcopos eorum Capitulorum expugnatores. Similiter caveas in eo, quod ait *falsiloquos sectatores Nestorii et Eutychis.* Ii namque sunt, qui una cum Vigilio tria Capitula damnarunt. Demum caveto ubi scribit, *offerens catholicis fratribus,* quod sibi vult schismaticos ea Capitula defendentes, ac ideo ab Ecclesia Catholica anathematizatos.

His expositis de fidei integritate, quacum initium sui Pontificatus auspicatus est Vigilius, siculi de ejusdem constantia et aemulatione, quibuscum quatuor Synodorum oecumenicarum definitionem professus est, et contra haereticos perpetuo propugnavit; deinde valde proposito conducit, praesertim adversus Liberati criminationes, ejusdem Pontificis disquirere una cum fidei integritate morum sanctitatem, quibus in Ecclesiae Catholicae regimine praefulsit irreprehensibilis; nec ideo putandum ullimode aut superbia, aut avaritia, sive ambitu, aut aliis onustum criminibus Petri Cathedram conscendisse. In qua discussione tamen, cum adversus praefatum Liberatum decertandum sit praecipue, cetera prius diluantur, quae Vigilii Pontificatus suae praemittit historiae.



CAPUT XXI.

Liberati historiae de Agapeti, Silverii et Vigilii Pontificatu ceteris ejusdem aetatis collatae testimoniis, falsitas undique comprobatur: quare amplius illustratur propositum pro legitima ipsius Vigilii assumptione in Petri Cathedram.

Liberatus in citato Libello c. XXII. de Silverio et Vigilio haec narrat: « His peractis, constituens Agapetus Papa apud Imperatorem, apocrisiarium Ecclesiae suae Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit. De cujus decessu audiens Romana Civitas, Silverium subdiaconum Hormisdae quondam Papae filium, elegit ordinandum. Augusta vero vocans Vigilium Agapeti diaconum, profiteri sibi secreto ab eo flagitavit, ut si Papa fieret, tolleret Synodum, et scriberet Theodosio, Anthimo, et Severo: et per epistolam suam eorum firmaret fidem, promittens dare ei praeceptum ad Belisarium, ut Papa ordinaretur, et dari centenaria septem. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum ejus amore episcopatus et auri. Et facta professione, Romam profectus est: ubi veniens invenit Silverium Papam ordinatum. Quin et Ravennae reperit Belisarium in eadem urbe sedentem, eamque obtinentem. Cui tradens praeceptum Augustae, promisit ei duo auri centenaria, si Silverio remoto, ordinaretur ipse pro eo. Belisarius vero Romam reversus, evocans Silverium ad Palatium, intentabat ei calumniam quasi gothis scripsisset, ut Romam introirent.

« Fertur autem Marcum quemdam scholasticum et Julianum quemdam praetorianum fictas de nomine Silverii composuisse litteras regi gothorum scriptas; ex quibus convinceretur Silverius Romanam velle perdere Civitatem. Secreto autem Belisarius et ejus conjux persuadebant Silverio implere praeceptum Augustae ut tolleretur chalcedonensis Synodus, et per epistolam suam haereticorum firmaret fidem. Qui mox de Palatio egressus, quid de eo fieret, consiliariis suis locutus est. Et veniens contulit se in basilicam beatae Mariae Sabinae; ibique manebat, ubi et directus est ad eum

Photis filius Antoninae patriciae, ut praestito sacramento, invitaret eum venire ad palatium. Qui autem Silverio adstabant, persuadebant ei, ne graecorum crederet juramentis. Ille tamen exiit et ad palatium venit. Et illa quidem die pro juramento ad ecclesiam redire permissus est. Ad quem rursus Belisarius mandavit, ut ad palatium veniret. Qui de ecclesia exire nolebat, dolos sibi praeparatos agnoscens. Sed postea orans et causam suam Domino commendans exiit et ad palatium venit. Qui solus ingressus, a suis ulterius non est visus. Et alia die Belisarius, convocatis presbyteris et diaconibus et clericis, mandavit eis, ut alium sibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, et nonnullis ridentibus, favore Belisarii ordinatus est Vigilius.

« Silverius autem in exilium missus est in civitatem provinciae Lyciae, quae Patara dicitur. Post ordinationem ergo suam compellebatur Vigilius a Belisario implere promissionem suam, quam Augustae promiserat, et ut sibi redderet duo auri centenaria promissa. Vigilius autem ob timorem romanorum, et avaritia patrocinante, nolebat sponsiones suas implere. Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis episcopus civitatis venit ad Imperatorem, et judicium Dei contestatus est de tantae Sedis episcopi expulsione; multos esse dicens in hoc mundo reges, sed non esse unum sicut ipse Papa est super Ecclesiam totius mundi, a sua Sede expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium jussit, et de literis illis judicium fieri, ut si probaretur, ab ipso fuisse scriptas, in quacumque civitate episcopus degeret; si autem falsae fuissent probatae, restitueretur Sedi suae. Pelagius vero currens cum voluntate Augustae, volebat irritum facere Imperatoris praeceptum, ne Silverius Romam reverteretur : sed praevalente Imperatoris jussione, Silverius ad Italiam reductus est. Cujus adventu territus Vigilius, ne sede pelleretur, Belisario mandavit : trade mihi Silverium; alioquin non possum facere quod a me exigis. Ita Silverius traditus est duobus defensoribus Vigilii et servis ejus. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia inedia defecit. » Et haec tradit Liberatus.

Deinde Procopium sectati in iis, quae de Silverio et de Vigilio narrat, comperimus in Libro I. c. XI *De Bello Gotthico*, Vitigem Ravennam profecturum, Silverium Urbis Antistitem, Senatum populumque romanum multis commonefecisse. Reductoque in eorum memoriam Theodorico, omnes hortatus est, ut gotthorum genti praestarent benevolentiam, sibi illorum fidem gravissimo sacramento devincens. Paulo post in c. XIV. ait Silverium quam maxime impulisse romanos, ut in urbem copias Imperatoris acciperent. Et paucis interjectis, subdit, Belisarium Romam ingressum esse cum Imperatoris exercitu eadem die, qua gotthi per aliam excesserunt: *atque ita recepta est Roma die IX. Decembris anno postquam capta fuerat, sexagesimo, qui fuit undecimus Imperii Justiniani.*

Porro in c. XXV. ejusdem Libri I. de Vitigis obsidione scribit: « Maximam partem Romae habitantium, uxores, liberos ac servitia, quae minus necessaria putarentur ad murorum custodiam, Belisarius edixit, Neapolim deportandam fore, ne annonae penuria laborarent... Cum esset suspicio, Silverium Urbis Antistitem cum gotthis proditionem moliri, confestim eum relegavit in Graeciam; ἕτερον δὲ ἀρχιερέα ὀλίγῳ ὕστερον βιγίλιον ὄνομα κατεστήσατο alterum autem Pontificem paulo post Vigilium nomine constituit. Quosdam etiam senatores eamdem ob causam in exilium missos, deinde post solutam obsidionem, discessumque hostium, restituit. »

His hucusque praenotatis de Procopii historia et comparatis Liberati narrationi, in Procopii dictis nihil obstat rei veritati: undique enim circumstantiae et aliorum documenta conspirant suis declarationibus. In Liberati vero sermone temeraria, stulta et futilis objicitur praesumptio circa Vigilii personam. Et in primis, ut ait Procopius, non est mirum si, capta Roma a Belisario, ac Vitige deinde obsidente urbem, suspicio quaedam Ducis ingesserit animum de Pontifice et de quibusdam Romae senatoribus, et hinc illos exulare mandarit: cum primus Petri Cathedram ascenderit ex gotthorum potius quam Cleri Romani votis, de quorum arbitratu in Papae electione usque ad Vigilii tempora conqueritur s. Gregorius Magnus. Item dicas de senatoribus ad rem-

publicam gerendam vocatis a Vitige: quos prudenter tunc exulare coegit Belisarius, ut deinde in urbem revocaret. Quod autem dicit de Vigilio ejusdem Silverii successore a Belisario constituto, brevi calamo notatum a Procopio, inferius excutietur.

Secundo, quoad Liberati narrationem, falsissima, dixi, reperitur et Pontifici Vigilio injuriosissima promissio ab ipso facta Augustae de acephalorum haeresi firmanda, ejusque revocandis auctoribus Theodosio, Anthymo et Severo, veluti superius ostendimus. Ceterum quomodo mortuo Agapeto, sub ditione gotthorum Roma et Pontificatu adhuc manentibus, spondere potuerit Augusta Vigilio Petri Cathedram? Belisarius enim nondum Roma potitus fuerat; et Silverius munere pontificio fungebatur, ut scribit Procopius, subdens, Pontificem impulisse Romanos ut in urbem acciperent Imperatoris copias. Fortasse Augusta, etiamsi incertus foret casus belli, admodum de victoria fidebat, ut temere hanc dederit absolutam promissionem?

Tertio, similiter a veritate devius culpatur Liberatus, inquiens Vigilium Constantinopoli reducem reperisse Belisarium Ravennae; cui ipse Vigilius Augustae litteras dedit. Quapropter Belisarius Romam reversus, ad palatium evocat Silverium, ei calumniam intentaturus, quasi gotthis scripsisset ut Romam introirent. Et haec delirus narrat Liberatus. Belisarius enim, teste Procopio in Libro II. c. XXX. qui ad ejus latus quotidie adstitit, cuncta recensens ipsius acta usque ad Ravennam, ait hanc urbem ingressum esse Belisarium quinque annos postquam Romam occupaverat, idest circa an. 542. seu quatuor fere annos ab ipsius Silverii obitu: in quo temporis spatio pontificio munere jam fungebatur Vigilius. Idcirco fallitur Liberatus asserens, Belisarium Ravenna profectum, Romam rediisse; quando ex ipso Procopio constat, ipsum calumniis appetitum, quasi tyrannidem occupaturus foret, Ravenna profectum esse Bizantium, secum allatis captivis Vitige et gotthorum proceribus.

Non defuerunt tamen nonnulli, qui, hujusmodi perspecta falsitate, in Liberati excusationem, existimarunt, ubi *Ravenna* scribitur, legendum esse *Neapoli*: in quam veniens Vi-

gilius, Belisario tradidit Theodorae praeceptum adversus Silverium, quod deinde consummandum erat in Urbis ingressu. Verumtamen ipsi non viderunt, quod postea statim dicit Liberatus, Ravenna scilicet discedentem Belisarium, et Romam reversum ad se evocasse Silverium, quocum egit de praefata insimulatione: quod penitus falsum est.

Huic porro falsitati succedunt cetera ab ipso narrata et maxime de pecunia a Vigilio promissa Belisario ut, Silverio remoto a Sede Pontificia, ipse ordinaretur pro eo, sicuti de Silverio exulante in Patara, qui ex Justiniani jussu in Italiam reductus esset. Quem valde veritus Vigilius, ne Sede pelleretur, rogavit Belisarium, ut sibi traderetur Silverius. A quibus omnibus abfuit Belisarius. Roma namque discessit Ravennam versus, qua deinde expugnata, Constantinopolim profectus est; quin Romam, nisi post septem fere annos, reverteretur; quando scilicet jam obierat Silverius, veluti supra dictum est, et amplius infra patefiet.

Quarto, inter calumnias quoque censenda videtur altera Vigilii criminatio, quasi ipse, in sua potestate accepto Silverio, hujus necem mandasset, sicuti Liberatus et alii cum eo praetenderunt. In hac vero quaestione praemittendum est, Chronistas, Marcellinum, vel ejus Continuatorem, Victorem tununensem, et Facundum, quamvis hos duos novissimos admodum Vigilio Papae infensos in trium Capitulorum causa, eumque varimode incusantes, nihilominus de hujusmodi facinore praeteriisse mentionem. Insuper nobis admodum suspicandum esse de Silverii morte, instante, sive mandante Vigilio, adeo ut hoc numerandum sit inter malignorum artificia adversus hunc Pontificem, plura indicia suppetit celebratus Procopius. Huic quidem occasio non deerat de hoc loquendi infausto eventu, sive in Libris *De Bello Gotthico*, aut praesertim in *Historia Arcana*, ubi Imperatoris, et magnatum et episcoporum vitia revelare et memoriae committere supra modum studuit. Attamen de violenta Silverii morte agens, ceu facti conscias notat quidem Theodoram augustam, et Antoninam Belisarii uxorem et hujus famulum Eugenium homicidii ministrum: de Vigilio vero, quem Liberatus statuit praecipuum ac sollicitum Silverii mortis auctorem, silens transigit.

Reapse in citato testimonio narrat Procopius de Silverii proditione suspicatum Belisarium, hunc cum aliis senatoribus in Graeciam relegasse; et paulo post Vigilium ejus successorem constituisse. In Historiae vero Arcanae capite I. de Antoninae Belisarii uxoris improbitate inquit: « Posteaquam Augustam mitigavit (Antonina) obsequio et opera illi in summi momenti coeptis impensa; primum quidem vita eo modo, de quo postea, erepta Silverio, dein autem Joanni cappadoci illata, ut supra dixi, perniciae, intemperantius, palamque peccare nihil pensi habuit. » Paulo post subdit: « Ille (Belisarius) nihil moratus Theodosium accersit: Macedonium vero famulum ambosque pueros uxori se dedituram pollicetur. Quos Antonina linguis, ut fertur, primum resectis, et membratim concisos, sacculis ad extremum inclusos in altum illico demergit. Fuit illi minister sceleris quidam ex famulis Eugenius nomine, qui et commissi contra Silverium piaculi satelles fuerat. »

Qui sane circumstantias a Procopio obsignatas illis contulerit a Liberato descriptis, aliter atque aliter se habere, aut mutuo sibi adversatas has compererit, adeo ut ceteris huc revocatis Liberati falsitatibus, de quibus supra, haec item videatur narratio ejusdem excludenda, et hinc probabile superesse Procopii testimonium. Qui sane personis et gestis magis propinquus quam Liberatus, sine religionis praejudicio, ac partium studio, res videre potuerit; nec ullum negotium quominus ejusmodi Vigilii crimen enarraret, ipsum prohiberet: quemadmodum non est veritus Pauli alexandrini antistitis perpetratum enarrare homicidium; unde ex ejusdem Vigilii jussu a Sacerdotio fuit dejectus, uti legitur in c. XXVII. Historiae Arcanae.

Quinto, Liberatus et Anastasius Vigilii Papae narrantes assumptionem ex Theodorae studio, ipsum vocant diaconum et apocrisiarium Ecclesiae Romanae, tunc in Urbe regia degentem. Quo ad se vocato ab Augusta, eidem spondet Pontificatum, ac Romam mittit ad Belisarium etc. Nihilominus quando et quomodo, et quis Vigilium diaconum Constantinopolim miserit apocrisiarium, inventu difficile satis est. Duo praefati hoc tantum testantur. Aliunde vero ignoratur,

hanc Vigilium quandoque suscepisse legationem. Genuina enim Constantinopoli acta sub Agapeto Papa, manifeste tradunt tunc Synodo duos adstitisse legatos Theophanem et Pelagium; ac hunc diu perseverasse, teste Procopio, sub Vigilii ipsius Pontificatu. Manente ergo Pelagio diacono apud Justinianum, quid altero opus erat in hujus muneris exercitio? Quapropter et in hac parte a veritate decessisse videtur Liberatus: nisi praesumatur, Vigilium ulla absque juridica missione, clam Constantinopolim advenisse cum Theodora pacturum de Sedis Apostolicae usurpatione; quod tamen superest probandum.

Novissimo, sicubi in hac quaestione studium meum eo vertit, ut Liberati historica auctoritas imminuatur in iis, quae de Vigilio Papa, de Synodo V. et de Origenis damnatione narrat in citato Libro, lectori objiciam ab ipso descriptum Agapeti Papae aditum ad Justinianum in c. XXI.: « Verum mortuo Joanne Mercurio, Agapetus archidiaconus Romanae Ecclesiae Papa ordinatur, in regulis ecclesiasticis apprime eruditus. Quo tempore Theodatus rex gothorum scribens ipsi Papae et Senatui Romano, interminatur non solum senatores sed et uxores et filias eorum, gladio se interempturum, nisi egissent apud Imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoveret. Sed Papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est. Et primum quidem honorifice suscipiens directos sibi ab Imperatore, sprevit tamen animo praesentiam; eumque ad salutandum suscipere noluit. Deinde viso principe, legationis susceptae agebat causam. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum avertere nolens, supplicationes Papae noluit audire. At ille, quod suum fuit, Christi legatione fungebatur. Denique petentibus principibus, ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri, inquit, posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. »

Procopius vero, qui Belli Gotthici initium sedula opera descripsit, animumque Theodati propinquius novit et consilia de eo, quod gerendum esset adversus Belisarii expeditionem in Italiam, aliter a Liberato rem describit; sive potius

circumstantiam ab ipso Liberato notatam transigit omnino, et quidquam huic contrariam indicat. Is enim causas disquirens hujus belli, eisque compertis in caede Amalasunthae reginae Theodati uxoris, cujus ipse rex putabatur reus, in c. III. Libri I. inquit: « Quocirca Petrus (legatus Justiniani) Theodato gotthisque ceteris aperte denuntiavit, quandoquidem hoc facinus admisissent, Imperatoris bellum cum iis fore inexpiabile. Ac stolide ineptus Theodatus, cum Amalasunthae interfectoribus plurimum honoris tribueret, Petro et Imperatori persuadere volebat, se minime approbante, quin potius invitissimo, gotthos hoc piaculum perpetrasse. » Et in capp. sequentibus subditur, Imperatorem, ut certior factus est de Amalasunthae morte, bellum suscepisse adversum Theodatum: unde valde valde iste pavens studuit quavis ratione cum Justiniano convenire, missis Constantinopolim legatis, qui ista componerent, ac supplicibus datis epistolis ad eumdem pro mutua pace servanda.

Hujus porro legationis princeps fuit Agapetus Papa, cujus Cassiodorus in epistolis diversis mentionem agit, sicuti de sensibus mitibus et pacificis, quos Theodatus coram Justiniano expressit ad istius sedandam indignationem ob Amalasunthae necem. In epistola enim, quam ipse Cassiodorus Libro X. inscribit n. 19. Theodatus ita Imperatorem alloquitur: « Praestate igitur mundo vestrae benignitatis exemplum, ut detur intelligi, quantum promoveatur, qui se pura vobis affectione commendat.... Oportet ergo, nostram pacem servari, quae vobis contulit gloriosa exordia vocabuli. Sed ut sacris affatibus ordine respondere videamur, reverentissima salutatione decursa, piis sensibus indicamus, beatissimum Papam urbis Romae, vel amplissimum Senatum nostra praeceptione commonitos, ut vir eloquentissimus Petrus legatus serenitatis vestrae.... competentia responsa reciperet..... quando et pietatem vestram hoc studere cognoscimus, quod nobis per omnia prodesse sentimus. Cui virum venerabilem illum (Agapetum) legatum nostrum adjungendum esse credidimus; ut non per occasionem legationis vestrae, sed propria potius destinatione, nostra possitis vota cognoscere. »

Deinde in altera epistola n. 22. ejusdem Libri X. item dicit Theodatus. « Pacem siquidem sub omni sinceritate petimus, qui causas certaminis non habemus. Talis ergo ad nos veniat sic composita, sic decora, ut eam tantis votis merito quaesiisse videamur. Absit autem, ut quod nobis committitur debeat ingravare: » Paulo post « Atque ideo salutationis honorificentiam praelocuti, illum virum honorabilem (Agapetum) doctrinae laude conspicuum, legationis nostrae ad pietatem vestram fecimus vota deferre. Confidimus enim in virtute divina, quod et suis meritis vobis abunde placeat; et desideria probae petitionis obtineat, sperantes eum cum effectu rerum celerius recipere debeamus. »

In epistola sequenti Gudelina regina pro pace rogans Theodoram augustam, inquit: « Ideo virum illum venerabilem (Agapetum) dignissimum legatum nostrum ad vos specialiter credidimus esse dirigendum, ut vobis annuentibus, serenissimi jugalis nostri pacis gratia solidetur: quatenus generalitas evidenter cognoscat, merito venisse ad suavitatem foederis per tale vinculum charitatis. Et quia bene inita semel, nulla debeat contraria occasione suspendi, siquid est, quod difficultate sui nobis oportet imponi, sapientiae vestrae moderatione mitigetur; ut affectum, quem circa vestrum regnum habere coepimus, jugibus studiis augeamus.... Familiariter vos et frequenter videat harum portitor, quem direxi; quatenus effectum possit celerem promereri, qui ad praesumptam gratiam visus est destinari. » Similiter eadem Gudelina loquitur ad Justinianum: « Et ideo per illum virum venerabilem legatum domni jugalis nostri ad vos specialiter directum salutiferos apices curavimus destinandos.... Quaedam vobis per harum portitorem verbo suggerenda commisimus: quae pro ingenita mansuetudine et libenter accipite, et efficaciter, Deo auxiliante, praestate. »

Praemissa Procopii et Cassiodori documenta si Liberati comparentur narrationi circa Agapeti scopum in legatione ad Justinianum, procul dubio inde eruitur, gratis asseri, quod ipse dicit Liberatus de truculentis Theodati minis adversus senatores romanos, uxores eorum, filios et filias, nisi ipsi cum Papa amoverent ab Italia exercitum Belisarii.

De iis namque minis silet Procopius: et Cassiodorus in suis ac praefatis Theodati et Gudelinae epistolis hanc circumstantiam omittit. Secundo perspicue constat, statim ac hoc in Amalasuntham facinus admissum est, quaesitum fuisse ab Imperatore, num revera Theodatus istud approbasset, aut mandasset. Et si ab investigationibus compertum fuisset tale perpetrasse regem piaculum, bellum, inquit Procopius, foret inexpiabile. Ideoque Petri legatio ex Caesaris mandato ad Theodatum, et altera Theodati ipsius per Agapetum ad Justinianum ante Belisarii expeditionem factae sunt. Tantummodo Theodati metus animum suum valde permovit, ita ut anxie hortaretur Papam ut Caesarem adiret, eique suaderet se ab Amalasunthae reginae nece extraneum omnino fuisse, ac ipso invito, commissam. Et istud per eumdem Agapetum Theodatus studuit persuadere Justiniano, dicens se confidere, ex hac Papae legatione omnes componendas fore simultates, nullaque ratione pacis vincula jam initae dissolvenda, quinimmo magis roboranda.

Hujusmodi porro obsequii, affectionis et mansuetudinis, indicia undique in his, quas praemisi epistolas, nota, Theodati animum non trucem patefaciunt, sed admodum demissum et pavidum, adeo ut excludatur, quod Liberatus narrat de interremptione senatorum, uxorum suarum et filiorum ex Theodati jussu perficienda, nisi Papa et senatores ab Italia amoverent imperiales copias. Ac praeterea ostendunt nondum hanc susceptam esse expeditionem: proindeque falsitate laborare, quod Liberatus supponit de ab Italia amovendo exercitu, cum nondum huc advenerat Belisarius. Agapeti enim legatio annum saltem huic praecesserat expeditioni. Si igitur Agapetus una cum Petro (cui commissa fuit cura necis auctores investigandi, ut ideo certior rei factus Justiniano responderet) Constantinopolim venit, epistolis Theodati et Gudelinae munitus, praesumi nequit, Belisarium jam pervasisse Italiam, adhuc Petri legationis exitus nescio Imperatore.

Similiter in hoc mentiri videtur Liberatus, asserens Papam, ubi Constantinopolim introivit, viros sibi a Caesare directos, honorifice apparenter suscepisse, animoque sprevis-

se: et amplius addens Agapetum suscipere primum noluisse Imperatorem, ac dein suscepisse. Et quomodo hoc fieri potuerit in Agapeto, cujus non tantum animi claruit suavitas, Christi exemplar praeferens, sed et insuper relate ad missionis suae scopum, quare ad Caesarem venit? Qua ratione, inquam, suspicandum erit, ita se gessisse Pontificem Romanum erga Imperatorem, in Theodati jussis explendis, cum et Gudelina scribens ad Theodoram augustam et ad virum suum, precatur: *familiariter vos*, ait, *et frequenter videat harum portitor* (*Agapetus*) *quem direxi*: *quatenus effectum possit celerem promereri*; *qui ad praesumptam gratiam visus est destinari*? Profecto non pro intercedenda gratia, sed pro amittenda (siquid adhuc spei superesset) istud admisisset Papa, et susceptae suae contravenisset legationi. Ceterum a sanctitate viri omnimode absint hujusmodi simulatio et contemptus; ac solum maledico, et mendaci Liberati calamo adscribantur. Cui et illud parum probabile inscribendum est quod ait de Silverio *Hormisdae quondam Papae filio*.

Demum minus historicae veritati consonant postrema ejusdem Liberati dicta ubi ait: « Petentibus principibus ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri, inquit, posse si se libello probaret orthodoxum, et ad Cathedram suam reverteretur. Impossibile enim esse ajebat, translatitium hominem in illa Sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus Papae minas intentante, in hoc Papa perstitit ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns se Sede expulsum, pallium quod habuit, Imperatori reddidit et discessit ubi eum Augusta tueretur. Tunc Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica sanctae Mariae. » Haec autem Liberati verba praesumunt Anthimum, priusquam Agapetus Constantinopolim veniret, fuisse a salutatione et communione Ecclesiae amotum, sive damnatum; ac insuper, quamvis ipse anathemate ictus esset, Principes, nulla ab Anthimo praemissa retractatione, fideique orthodoxae professione, institisse apud Agapetum, ut in communionem reciperetur. Hoc autem si de Theodora quis suspicari velit, non diffitear; de Justiniano vero palam renuam.

Verumtamen quoad primam pericopae partem, si huc revocentur, quae Justinianus dicit in Novella 42. circa annum 536. adversus Anthimum, ceterosque acephalos, contraire ista dignoscentur Liberati assertionibus. Imperator enim ab initio dicit, Anthimum dejectum esse a Sede Urbis regiae ab Agapeto Papa: « eo quod, nullo modo sibi convenienti, contra omnes sacros Canones se intruserit Sedi. » Quod consequenter Synodus sub Menna in Actione III. instaurat dicens, vix Agapetum Urbem regiam ingressum, statim expulisse Anthimum a Sede patriarchali, data venia his, qui talis rei participes, aut communicatores fuerant (in quibus Justinianus et Theodora).

Deinde Imperator de ejusdem Anthimi depositione paulo post subdit: « At quidem nec istorum (Patrum chalcedonensium) dogmata sequi, nec nostram clementiam et condescensum, quem propter ipsius salutem habemus, suscipere voluit. . . . . Nam semel alienus a sanctissima Ecclesia intellectibus mancipatus, et a rectis dogmatibus alienatus, merito ad ipsorum rectitudinem reverti non valuit: etiam ad haec incitatus a nobis et directus, qui omni studio usi sumus ad ipsius salutem. » Ejusmodi Justiniani sensibus una cum Actis Synodi constantinopolitanae sub Menna adunatae statim post Agapeti obitum, studiose animadversis, etsi Principum admittantur petitiones pro Anthimo, videretur Justinianus Agapetum rogasse non ut Anthimus in Sede maneret patriarchali, in qua Mennas collocatus fuerat; sed potius, accepta ab ipso Anthimo Synodo chalcedonensi, priori Sedi trapezuntinae restitueretur. Ad quam professionem a Synodo et a Justiniano saepe invitatus, accedere nolens, ab ea Sede amotus est, damnatus et a quavis prohibitus dignitate. Quae, cum post Agapeti fatum contigerint, Liberatus praemisit, eidem Pontifici inscribens; ac ita omnia confudit et pro more suo interpretatus est aliter quam tradiderunt fideles testes: ut hinc magis ac magis constet nulla fide digna haberi, quae consequenter de Vigilio Papa commentatus est.

Postea, his cumulatus adminiculis adversus Liberati dicta, atque hinc in firma perstans suspicione, ipsum ideo ad Pontificatus Romani et maxime Vigilii probrum, suum

intendisse laborem, non displiceat lectori, si hic aliquantisper immorer, disquisitionem instaurando circa Silverii Papae caedis tempus, causas et personas huic flagitio consortes; et quid consequenter de Vigilii successoris putandum sit electione.

Hoc autem lubentius agam, quo magis ob praefati Liberati dicta aggravata sit a posteris infamia super ejusdem Vigilii caput, et praesertim ab Augustino Oldoino apud Ciaconum de hoc Pontifice : « Hic igitur, ait, finis Vigilii Papae, ut justo judicio Dei, in insula confectus aerumnis, morbo defunctus sit; qui coegerat sanctum praedecessorem suum Silverium deportatum in insula, illic animam exhalare. Qui enim malis artibus ad Pontificatum sibi paravit adscensum, ipsum adeptus, immensis semper agitatus est fluctibus, invisus in primis Imperatori, cujus gratiam tot studiis demereare studuit : orientalibus haud gratus episcopis, adversus quos diu multumque certavit. Sed et occidentalibus trium Capitulorum defensoribus execrabilis redditus, quod in sententia non stetisset, sed impugnatoribus eorumdem, suo Constituto abolito, inhaesisset, quintam Synodum probando, quum antea impugnasset. Ac tandem cum ex procellis in portum visus est appulisse, pedemque alterum in Urbem, a qua diu abfuisset, propemodum intulisse, in via mori cogitur, immensis confectus ex calculi morbi doloribus. » In qua narratione tantummodo verum probatur quod ait Oldoinus, Vigilium execrabilem evasisse tria defendentibus Capitula, et in suo obitu morbo calculi correptum.



CAPUT XXII.

Pergit discussio de Liberati, Facundi et aliorum criminationibus adversus Vigilium Papam, ejusque successorem Pelagium I. cujus memoria ob trium Capitulorum quaestionem pariter convellitur ab adversariis.

Iam in praemissis, teste Procopio, Silverii Papae mortem per Antoninam Belisarii uxorem, instante Theodora augusta, indicavimus. Modo vero investigetur, quid successive in ipso c. I. *Historiae Arcanae* subdat Historicus de tempore, quo haec facta dicuntur, aliis comparatis circumstantiis ab eodem notatis de Antoninae Belisarii uxoris adulteriis cum Theodosio: « Qua re comperta, inquit Historicus, Belisarius quibusdam ex stipatoribus suis necem imperat Theodosii: ille detectis insidiis, Ephesum aufugit. Nam assectatores ingenii Belisarii mobilitate inducti, malebant uxori gratum facere, quam videri benevolentiam mariti aucupari. Quamobrem jussa contra Theodosium eidem prodidere. Constantinus hoc rerum casu vehementer Belisarii moerentis vicem condoluit, atque illud dictitavit: *ego mulieri citius interitum quam adolescenti parassem.*

« Hoc audito, Antonina animo penitus abdito illi succensuit, ut eo gravius in eum acerbitatem evomeret. Nam erat ad indignationem tegendam et animi virus exerendum comparata. Non ita multo post aut veneficiis, aut blandis verborum illecebris falso in se conflatam accusationem persuadet conjugi. Ille nihil moratus Theodosium accersit: Macedoniam vero famulam ambosque pueros uxori se dediturum pollicetur. Quos Antonina linguis, ut fertur, praecisis primum, et membratim concisos, sacculis ad extremum inclusos in altum illico demergit. Fuit illi minister sceleris quidam ex famulis Eugenius nomine; qui et commissi contra Silverium piaculi satelles fuit. Constantinum etiam non multo post suasu conjugis e medio sustulit Belisarius. Nam quae de Sicis, Praesidioque prioribus libris narravimus, eo ferme tempore contigerunt. Ubi enim Constantinus injuria-

rum in Belisarium et Praesidium erat absolvendus, non prius destitit Antonina quam de ejus sententia, cujus paulo ante memini, ab illo poenas exegisset. »

Priusquam vero Arcanae Historiae perscrutemur testimonium, nobis adsit, quod superius ex Libro I. Belli Gothici inquit Procopius de Belisario; qui ex proditionis metu in Graeciam relegavit Silverium, et paulo post ad Pontificatum provexit Vigilium, adjiciens, senatores quosdam ob eamdem causam in exilium missos, deinde in Urbem revocasse, soluta Urbis obsidione. Et ita quidem quoad Belisarii consilium de Silverio ab Urbe amovendo, ex simplici Procopii narratione non nisi Ducis in civitate capta degentis cautio comprehenditur sane, hujuscemodi arduis invalescentibus circumstantiis, communis. Decuisset autem, postquam Belisarius senatores romanos in Urbem restituit, una cum illis etiam Pontificem reduxisse; sicuti eadem de causa Silverius fuerat elongatus. Nihilominus Historicus, illis restitutis in patriam, de Silverii silet reditu.

Tantummodo circumstantiam non spernendam ibi notat, inquiens, Belisarium, relegato in Graeciam Silverio, paulo post ad Pontificatum provexisse Vigilium. Quamvis autem definitu arduum sit, quale temporis intervallum evaserit ab exilio Silverii ad Vigilii electionem, tamen excluditur per illam dictionem *paulo post*, subitus ejusdem Vigilii ad Petri Cathedram ascensus; utpote quoddam subrepserit obstaculum, quominus subiret illico alterius Pontificis electio. Ac ideo, etsi a nobis definiri nequeat intervallum a Silverii exilio ad alterius Pontificatum, satis sit hoc nosse quod libeat temporis spatium inter utrumque cedens.

Et sane circa hoc intervallum si, ut praesumunt Facundus et Liberatus, ex Vigilii ambitu, inita nefanda pactione, et ex mandato Theodorae augustae, per Belisarium vix Romam ingressum amovendus erat Pontificatu Silverius, conjicere licet, non paulo post ejusdem Silverii exilium, Vigilium Petri Cathedram obtinuisse; sed statim, amoto uno, alterum in ejus locum intrusum. Quid enim Belisario necesse erat expectatione, cum Theodorae mandatum urgeret de Silverii exilio, et Vigilii electione? Ceterum, si Procopii di-

ctis standum esset, nisi suspicio in Belisario invaluisset de Pontificis favore erga gotthos, numquam a Roma amotus esset Silverius.

Quo vero haec me ducat oratio ex brevibus Procopii dictis tum circa spatium a Silverii exilio ad Vigilii provectionem elapsum, tum relate ad senatorum reductionem in Urbem post amotam obsidionem, ex hoc patet, idest ut postea senatores una cum Silverio Urbi restitueret, siculi istud illos amovendi susceperat consilium Belisarius. Et hinc facile quis mihi praeveniet dicens, repentinum Silverii obitum consilio Belisarii obstitisse, ne ipsum Romam revocaret; ac inde ut ex unius idest Silverii obitu, alterius nempe Vigilii consuleret provectioni, constitutionibus Ecclesiae Romanae servatis in eligendo Pontifice. Porro inopinata Belisarii circumstantia, quae ipsum prohibuit a restitutione Silverii, siculi senatores Urbi reddidit, praeclare notatur ab eodem Procopio in praefata *Historiae Arcanae* pericope. Ubi adulteria et flagitia recensens Antoninae Belisarii uxoris scribit, hanc, cum vellet Theodorae augustae gratificari, per Eugenium famulum suum occidisse Silverium.

De hoc autem et Antoninae et famuli sui facinore, nisi sit dubitandum, quamvis cetera a Procopio narrata, fuerint alibi censita, ac longiori firmata sermone, ut infra dicetur, investigandum superest quando haec passus sit Silverius, et num ex Procopii Historia aliquid studio nostro proficiat de mediante inter Silverii exilium et mortem, ac Vigilii electionem temporis spatio pro canonica Vigilii ejusdem ad Petri Cathedram evectione a quovis ambitu seorsim, aut usurpationis, aut simoniae, seu haereseos, vel caedis crimine.

Ac interim, nequis me temeritatis arguat tamquam extra communem euntem opinionem, haud ignoret primum, Silverii fatum, et hinc alterius successionem eo intervallo supervenisse, quo in Italia degit Belisarius adversus Theodatum et Vitigem dimicans, et quidem instante Romae obsidione, atque intra decem circiter mensium spatium.

Reapse, Procopius in citata narratione praemisit Antoninam operam suam Theodorae praestitisse in Silverii caedem et dein in Joannis cappadocis perniciem. Et hic ultimus

in Belli Persici initio ea passus est; ideoque ante istud aevum jam ultimum fatum subierat Silverius. Praeterea paulo post Historicus adulteria enarrans Antoninae cum Theodosio, iisque detectis a Belisario cum in Sicilia moraretur ex famulae Macedoniae indiciis, testibus duobus famulis adductis, addit, Antoninam nihilominus Belisario de rei falsitate persuasisse, adeo ut, eisdem testibus per Belisarium detectis Antoninae, ambos interfectos barbare ab ea dicat fuisse per Eugenium famulum, quem adhibuerat ad Silverii occisionem: atque non multo post subdat Constantinum eamdem sortem sustinuisse ex Antoninae suasu ob ea, quae contra ipsam oblocutus fuerat. Nam quae de Sicis, inquit Procopius, et de Praesidio prioribus libris, idest in libro II. *De Bello Gotthico* c. VIII. narravimus, eo fere tempore contigerunt; idest adhuc stante et nondum soluta Romae obsidione.

Hoc idem quoque perspicue notavit Continuator Chronici Marcellini Comitis Indict. I. scribens: « Adhuc Vitige in obsidione Romae morante, Joannes magister militum cum Batza, Conone, Paulo, Remaque illustribus, magnoque apparato exercitu, ad Italiam properant, castraque ad Portum Romanum collocant: laboranti Romae subveniunt. Quorum adventum Vitiges cernens, trium mensium temporis cum Belisario pacta confirmat; suosque legatos ad Imperatorem transmittit. In qua pace Belisarius Campaniam redit, annonae copiam inlaturus. Reversusque Campania, contrarium sibi de medio aufert Constantinum patricium. »

Quapropter, his admissis circumstantiis, comprehenditur, Silverii Pontificis mortem locum habuisse, cum adhuc gotthi Romam obsiderent. Proindeque Vigilius, qui, ut ait Procopius, paulo post elatus fuit ad Pontificatum, non solum insons a caede Silverii manifeste probatur adversus Liberati et Cavaei praesumptionem; sed neque intrusus dici posse videtur. Cum enim, inquam, Procopius intervallum quoddam notet a Silverii exilio ad Vigilii Papae electionem, arbitrari nobis sinitur, hoc legitimum decurrisse tempus, exulante nempe Silverio, donec paulo post ob ferale istius Pontificis fatum, canonica succederet Vigilii Papae electio; nec ideo prius Vigilium munere pontificio esse functum, quam

supremam obiret diem Silverius. Cuncta enim, quae in *Historia Arcana* notavit Procopius, in primis tribus annis Belli gotthici constat fuisse exacta. Ab initio secundi anni Belisarius Romam ingressus est: ubi gotthorum obsidionem sustinuit usque ad exitum tertii anni, quo cessavit obsidio. Porro desinente secundo hujus belli anno, comperitur Roma expulsus Silverius, et ab anni tertii principio Antonina Tarracinam venisse, ut inde peteret Neapolim ibi mansura.

Si ergo, teste chronico Pontificum, Silverius in Pontificatu annum unum vixerit, menses quinque dies undecim; ac sub Theodato electus sit anno primo Belli gotthici, ac desinente anno secundo hujus belli, jam praeteriisse dignoscatur hujus temporis spatium, quo Silverius Pontifex vixit; ideo non ultra hanc aetatem protrahenda est Silverii vita, sed paulo post ejusdem mors subiit; adeo ut firmetur Procopii dictum: *paulo post Vigilius ad Pontificatum provectus est*, idest non vivente, sed defuncto Silverio. Hanc porro aetatem Silverii Pontificatus contestatur Codex Regino-vaticanus 1122. ch. 10. Item Theophanes: « Unum annum, ait, tenuit Agapetus Pontificatum; et in demortui vicem Silvester (Silverius) qui uno anno vixit. » Quod amplius firmatur a Zonara in *Annalibus* et a Cedreno in *Compendio Historiarum*, cum ajunt, uno anno Silverium Pontificatu functum, obiisse.

Et istud sane tempus respicit Procopius in citato capite saevitiem Antoninae recensens adversus Macedoniam ac duos famulos, adversus Silverium Papam et Constantinum. Unde satius comprobatur cur, restitutis in Urbem senatoribus post sublatam obsidionem, de Silverii jam defuncti reditu siluerit Historicus: et amplius quomodo in hoc intervallo Antonina sive Tarracinae, sive Neapoli degens, acceptis a Theodora augusta litteris, per Eugenium Silverii vitam eripuerit, Belisario, Justiniano ac Vigilio potissimum insciis.

Haec porro dixi, accepta veluti sincera Procopii narratione in *Historia Arcana*, et genuina admissa lectione, ubi dicitur Silverius occisus per Eugenium, mandante Antonina. Nam in citato libello, ut inferius patefiet, non videtur Procopius sine partium studio talia enarrasse Anecdota; et cum amplius nonnulli putarint non Silverii Papae nomen i-

bidem legendum esse, sed Liberii, uti videre est in Editione augustana. Huic porro lectioni suffragaretur defectus tituli *Pontificis*, quem alibi inscripsit Procopius in nuncupatione Episcopi Romani. Quibus addendum est Liberati testimonium, qui ait non ex caede, sed inedia mortuum Silverium. Historici graeci Cedrenus et Theophanes de hoc silent execrando flagitio in Silverium Pontificem admisso. Bollandistae sub die 20. Junii scribunt: « Apud Bedam XII. Kalendas Julii Silverii Papae, qui sedit anno uno, qui consentiente Iustiniano imperatore a Belisario depositus, et monachus factus, Confessor moritur. » Ibi item notatur: « In Palmaria insula, vel potius in Pontiarum primaria, quae degisse videtur sub jurisdictione episcopi tarracinensis, ibi mortuus est et sepultus in eadem insula, ut antiqua testatur inscriptio. Andreas Du Chene in Vitis Pontificum gallice scriptis, hoc ei epitaphium addit, nescio unde erutum:

Romanae supremus Apex Silverius Aedis
Ossa sub hoc retinet mortuus extraneo. »

Quapropter, siquis, seposita Procopii narratione de Silverii obitu per Antoninam, huic accedere velit opinioni de ejusdem Pontificis fato, nullimode tamen imminuitur quod statui de Silverii obitu paulo post ipsius exilium; cum universim historici sive latini, sive graeci testentur ad annum et aliquot menses vixisse in Pontificatu, ita ut, sive ex violentia, sive inedia, aut exilii angustiis dicatur mortuus Silverius, non ultra hoc protrahendum sit sui obitus tempus ab eo, quod supra definitum est, paulo post scilicet illius ab Urbe discessum. Nisi quoque dicendum sit, secundum quod scribit Procopius, relegatum Silverium in Graeciam, in itinere defunctum, antequam ad exilii locum perveniret, in praefata insula.

His praemissis notis de Silverio sive violenta morte sive aliter e vivis arrepto, et quidem paulo post quam Urbe exulavit: non est amplius mirum quod ait Procopius de Vigilio Silverii successore, non quidem Silverio vivente, sed jam mortuo. Et ob hoc similiter stuporem imminuit inscriptio latina a cl. Joanne De Rossi edita, et ad hanc se referens aetatem his verbis: *Beatissimo Papa Vigilio.... Post*

consulatum Vuilisarii. Et cessabit amplius admiratio, dum scimus episcopos, vix Petri Cathedram ascendit, e longinquis regionibus ad eumdem scripsisse Vigilium, hunc ceu legitimum Petri successorem consulturos. Quibus respondebat, de se locutus uti *a Deo vocatus ad Catholicam regendam Ecclesiam: quem constituit Dominus super familiam suam.* Quin insuper unquam ullibi in suis epistolis aut decretis quotquot hucusque genuina haberi potuerint, tale hujus generis culpationum (quarum vulgo dicitur reus) proindeque aut confessionis aut retractationis manifestetur indicium. Quod si revera in Pontificatus primordiis tam gravissime offendisset Vigilius, ad octodecim fere annorum spatium non omisisset quavis ratione culpam quippe publicam significare et una resipiscentiam. Eoque magis si considerentur severissimae Ecclesiae censurae, in quas incidisset Vigilius, sive haeresim species, sive homicidium, sive simoniam, sive ejusdem intrusionem: quibus perpetuo a munere pontificali amovendus erat, si reapse talia perpetrasset flagitia.

Item pro Vigilio facit, quod de Actis Bonifacii Papae circa annum 530. ait Binius: « Cum gotthorum reges sibi usurpassent Romani Pontificis electionem, ad ejusmodi praesumptam et usurpatam licentiam ex gotthorum manibus extorquendam, Bonifacius Ecclesiae consultum esse judicavit, ut nullo relicto Sedis Vacantis loco, successorem sibi eligeret. » Ideo congregata Synodo, electio incidit in Vigilium. Quamvis autem paulo post ab ipso Bonifacio irrita declarata fuerit, ceu inconsulta et praeter Ecclesiae canones facta, nihilominus Vigilii persona ad hoc munus ante tempus vocata, ipsius praesignavit egregias animi dotes; quibus Ecclesiae gubernandae par fuisset, et ita ut postea, absente, aut potius mortuo Silverio, Cleri Romani votis, plaudente Belisario, ad Petri Cathedram fuerit elatus. Quamobrem saepius suam ad Sedem Apostolicam elationem repetens Vigilius, haec obtestatus est: *Cui* (*Sedi Apostolicae*) *Deus nos praesidere voluit.* Sicuti eadem cordis integritate professus est, ab Apostolis fidem traditam et a quatuor Synodis *sincera voluntate se tenuisse, tenere, veneratum, et venerari atque defendere etc.*

Cum itaque hucusque amplissimis patefactum sit testimoniis, Vigilium immunem ivisse in sui Pontificatus initio, tum ab haeresi, aut cum haereticis conniventia, et insuper a caede in Silverium patrata; similiter arbitror falsa haberi, quae de ipsius Papae dicuntur simonia, ambitione, aut intrusione in Petri Cathedram. Adversus quae suffragatur Cassiodori, Pelagii I. Pelagii II. et aliorum, quorum haec intererant, silentium. Qui, ut dixi, nec crimina Vigilii, nec poenitentiam notarunt, sive mores ipsius species, sive electionem, sive fidem. Et cum novissime tales et tanti sint reatus huic Pontifici adscripti, ut sanae mentis superent expectationem, ex cunctis praemissis discussionibus concludendum existimo, neque in magnis nec in parvis defecisse Vigilium: ac omnia linguae maledicae remittenda, et praesertim illorum, quibus valde valde displicuit trium Capitulorum damnatio; quique aegerrime tulerunt anathema, cui obnoxii fuere, contemnentes hujus Papae Constitutum. Quamobrem hanc calumniarum congeriem in Papam instruxisse praesumendum est eodem studio, eademque perfidia, quibus sincera corruperunt Synodi quintae Acta, sicuti antea dictum est, unde incauti decepti sunt posteri.

Verum hucusque discussa pro canonica Vigilii electione, ejusdemque ab omni crimine immunitate, praeclarissime roborantur ab Aratore subdiacono romano, qui ei inscripsit *Apostolorum Acta* heroico carmine dictata. In qua inscriptione primordia repetuntur sui Pontificatus. Ita namque Carmen suum auspicatur Arator.

Sanctissimo atque apostolico et in toto orbe primo omnium sacerdotum Papae Vigilio Arator subdiaconus.

Moenibus undisonis bellorum incendia cernens
Pars ego tunc populi tale paventis eram.
Publica libertas, Vigili sanctissime Papa,
Advenit incluso solvere vincla gregi.
De gladiis rapiuntur oves, pastore ministro;
Inque humeris ferimur, te revocante, piis.
Corporeum satis est sic evasisse periclum;
Et mihi plus animae nascitur inde salus.
Ecclesiam subeo, dimissa, naufragus, aula,

Perfida mundani desero vela freti.
Transferor ad niveas Petri sine turbine caulas,
Et fruor optati jam statione soli.
Littoris ille sinus ad carbasa nostra paravit
Fluctibus in mediis, cui via sicca fuit.
Esse reus potero, grates si reddere cessem.
. . . .
Hoc tibi, Magne Pater, cum defero munus amoris,
Respice quod meritis debita solvo tuis.
Te duce, tyro legor, te dogmata disco magistro;
Siquid ab ore placet, laus monitoris erit. »

In praefato Carmine quis non miretur eximias Vigilii virtutes in munere pontificali fungendo; et quidem tunc magnopere, quum religio, publica salus, romanorumque vita in discrimine posita, tanquam ipsius sollicitudini commendata triumpharunt? Interea autem inspice Aratorem non tantum quod hoc Poema compegerit, ac Vigilio inscribens coram eo recitaverit ab initio anni 544. verum etiam et ibi animadvertendum Pontificis encomium; quod praesertim ea pertingit ipsius gesta, cum vix Petri Cathedram conscenderit. Quando scilicet, Urbe a gotthis obsessa, undique pugnis irrumpentibus, et calamitate maxima pressis civibus, omnia Vigilii opere et consilio aut levata, aut superata dicuntur. Et hinc fidenter asserit, salutem et vitam civium ab ipso, sicuti gregis salus a pastore, repetendas esse.

Et quidem cum Arator ait, se partem fuisse populi, qui huic discrimini adstitit, qui ejusdem Papae ope a periculo evasit, quique ideo, dimissa aula, ad Petri caulas se transtulit, Ecclesiae ministerio addictus, tale nobis Pontificatus Vigilii initium objicit, et talem pietatem, fidei integritatem, morum sanctitatem, animi promptitudinem in munere apostolico perficiendo, ut merito dicatur Vigilius ad Petri Cathedram a Deo vocatus, a Deo electus, a Deo constitutus, idest canonice Pontificatum iniisse et inculpabilis, suumque ministerium irreprehensibiliter gessisse. Si enim ambitus, si simonia, si intrusio, si haeresis, si demum homicidium, Pontificis animum ab ipsius exordio polluissent, Arator vir aulicus, et aulae valedicens, ut propius Christo serviret, et

rerum sane peritus, quae tunc Romae ob oculos suos de Silverii exilio, deque Vigilii electione supervenerant, nec ignorasset, nec multo minus comprobare potuisset. Et qua ceterum temeritate, vel quali audacia Arator in publica concione, coram Clero Romano, coram populo potuerit initium celebrare Pontificatus Vigilii, et encomiis hujusmodi adornare virum, intrusum, usurpatorem, simoniacum, versatilem, haereticum, homicidam, sacrilegum?

Praeterea quanto jure istud Vigilio Papae contexuerit Arator elogium, et quam Clero et populo romano fuerit acceptum et probatum, testis est Ciaconius in *Vitis Pontificum* Tomo I. altare designans s. Silvestri Papae in Basilica Vaticana; ponens quod Pontificum Vigilii et Adriani IV. sepulchra sita erant; et amplius eidem Vigilii sepulchro inscripta praefata verba: *Moenibus undisonis bellorum incendia cernens etc.* Et hoc firmavit Ciaconius auctoritate abbatis Pauli De Angelis. Hujusmodi inscriptio valde nostro conducit proposito circa initium et finem Pontificatus Vigilii, ut agnoscatur ex publica nec fallaci Aratoris testificatione tum Vigilii pietas, tum dogmatis rectitudo, et quam optime in munere pontificali meritus sit de Ecclesia Catholica.

Denique cunctis his sedulo consideratis, sive simul collatis tum Facundi et Liberati assertionibus, tum Pontificis contestationibus per epistolas suas genuinas expressis, et aliorum ditatis testimonio, cum in contradictione versentur, facillime duorum schismaticorum revelantur insidiae adversus Petri successorem.

Jam ad finem contenderam harum disquisitionum, quando incidi in Tomum 128. Patrologiae per P. Migne editae p. 590. ubi in Notis historicis ad vitam Vigilii Papae n. 103. legitur: « Unicum additamentum judicabimus tot cogitatis illustrium Scriptorum accessurum ex domno Constantio in nova Editione epistolarum Summorum Pontificum: de quo in epistola illius prodroma haec pollicetur domnus Moupinet n. 13: Dum in singulis Pontificibus immoror, sentio me epistolae modum ac limites egredi. Itaque ceteris praetermissis, in Vigilio desinam. Quam multaque pro fide molestias devoravit Vigilius, quanto animi robore steterit adver-

sus eutychianos ignorat nemo. Et tamen tot aerumnarum, tot egregie factorum praeludium, si veteres recentioresque scriptores audimus, luctuosa fidei proditio fuit. Vexatur Pontifex; traduciturque tanquam sacrilegae nundinationis reus, qui pudore omni postposito, inita cum haereticis nefaria societate, proculcatis Ecclesiae legibus, ejurata Synodi chalcedonensis fide, Romanam Sedem invaserit. Atque haec macula jam in ejus nomine sic insedit inveteravitque, ut qui de ejus Pontificatus initiis aliter sentiat, neminem hodie unum esse putem. Res est, fateor, invidiosa contra omnes niti, sententiaeque communi reclamare. Verum id, si postulet veritatis amor, agaturque praesertim magnorum virorum fama, nemo cordatus reprehendat. Itaque impactam sanctissimo Papae calumniam propulsare suscepit Constantius, qua ratione paucis indicabo.

« Parum habet vir doctus Isidori litteris et Pseudo-damasi, sive Libri Pontificalis narrationi fidem derogare. Expendit praeterea africanorum scriptorum Facundi hermianensis, Victoris tununensis episcoporum, et Liberati carthaginensis diaconi de Vigilio dicta. Hoc enim cardine tota fabula vertitur. Eorum, dico, criminationes rimatur penitus, easque tum inter se, tum etiam et cum aliis historiae monumentis collatas, funditus evertit. Ad haec investigat, quae Silverii in exilium pellendi causa : quae Vigilii in ejus locum promovendi ratio; quae Pontificatus initia : quibus auctoribus, et quo tempore moveri coeperit de tribus Capitulis controversia; quid in his primo defendendis, deinde damnandis idem Pontifex sibi proposuerit. Ejus denique gesta omnia sedulo excutit, suam singulis chronologicam notam assignat; certa ab incertis, vera a falsis accurate secernit; atque haec varia criticae rei argumenta sic ad examen vocat, nullum ut sit, unde non aliquid ad calumniae confutationem extundat. Quarum calumniarum auctores acephalos et trium Capitulorum defensores accusat : quosque insuper reprehendit tanquam nec idoneis illius aevi monimentis, immo nec secum ipsis Facundus in primis et Liberatus conciliari possunt. »

Verba porro Monpinet circa Vigilii Papae gesta ex ipsius Constantii Chartis in Bibliotheca Vaticana sitis Volumine V.

firmantur: ubi ab initio inquit: « Sed ad propulsandas calumnias, quibus olim Vigilii fama obscurata est et etiam nunc apud omnes pene laborat, aggrediamur: falsa Vigilio imposita esse crimina plura, ut mos est famae in deterius creditae, non admodum obstupesco. Cum et falsos criminatores, et homines falsis criminationibus credulos omnis semper tulerit, et latura sit aetas. Verum satis mirari nequeo tantum et tamdiu et apud tam multos valuisse calumniam. Miror, inquam, tot annorum lapsu, nondum deletam maculam, nec detersas criminationes, quae mihi, vel hac una consideratione deleri prorsus et dilui debere videntur: idest non esse credibile, virum flagitiosissimum immo vere monstrum a romanis summo omnium consensu in Petri Cathedra collocatum etc. » Et haec dicit Coustantius. Ceterum, quae ipse putat de Actis in trium Capitulorum damnatione, vix eidem convenio.

Quae vero pro Vigilio hucusque discussa sunt, eadem statuenda duco pro suo successore Pelagio I. qui cum ipso valde elaboravit in hac quaestione. Is enim pietate et doctrina praestantissimus, dogmatis catholici zelator studiosissimus, et cum esset apocrisiarius apud Justinianum, et cum munere Pontificio fungeretur, easdem passus est calumnias, tanquam instabilis, ambitiosus et quasi contra sensum suum anathemati subscripsisset trium Capitulorum, Caesari plusquam Deo placens, et suae missionis, uti Vigilius, praevaricator: et hoc scribit Facundus. Nihilominus, sicuti de Vigilio, illius accusatores non una in suis conveniunt criminationibus.

Victor tunnunensis, vel quisque postremam Chronici partem vel conflavit, vel emendavit, scribit: « Pelagius Romanus archidiaconus trium praefatorum defensor Capitulorum, Justiniani principis persuasione de exilio redit; et condemnans ea, quae dudum constantissime defendebat, Romanae Ecclesiae episcopus a praevaricatoribus ordinatur: qui fuit annis V. » Verum contra hoc testimonium stat Liberatus ejusdem factionis vir, in capite novissimo inquiens: « Illud liquere omnibus credo per Pelagium diaconum et Theodorum Caesareae Cappadociae episcopum, hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. »

Istud porro testificans Liberatus de Pelagio diacono, qui cum Theodoro Caesareae adversus tria Capitula primus insurrexisset, et praefata Victoris dicta destruit, et nobis suffragatur, qui ab initio quaestionis probabimus, revera Pelagium ea refutasse Capitula veluti ex Ferrandi epistola ostenditur. Ac insuper ex litteris Vigilii ad Rusticum et Sebastianum, colligitur circa annum 550. adhuc Pelagium in eadem perstitisse sententia, lubenter accepto Vigilii Judicato. Quapropter cadit, quod Chronici Auctor praesumit de Pelagio, ipsum nempe dudum constantissime, priusquam eligeretur Pontifex, ea defendisse Capitula.

Quod reliquum est, Procopius in Libro III. c. VI. *De Bello Gotthico,* eo tempore, quo agitabatur quaestio de tribus Capitulis, inquit, Pelagium tunc apocrisiarium Byzantio recessisse; ubi diu moratus in Justiniani amicitiam se se insinuaverat penitus. Deinde in c. XXI. addit Totilam Pelagium misisse ad Imperatorem pro pace impetranda; ac denuo Romam reversum ineunte anno XIII. hujus belli. Nec amplius legitur ad Justinianum venisse Pelagius, instante Synodo V. nec ullam tunc egisse partem. Nihilominus Victor hoc ait in Chronico, uti vidimus. Verum non effugiet quempiam, citatam Victoris pericopem, quae vertitur de Pelagii exilio et reditu ubi damnavit, quae antea probaverat, fuisse ibi insertam contra Auctoris mentem. Paulo post enim in eodem Chronico legitur: « Anno 33. imperii praefati principis Justiniani, Pelagius Romanus Episcopus ordinatur. Praefuit annis XI. » Ob hanc sane repetitionem de eadem persona clare statuitur textus interpolatio, aliunde decerpta nota de Pelagii exilio et reditu. Nec hoc est mirum, quando ex sequentibus id amplius firmatur: ubi interpolator Evagrium et Didymum monachos citat, horum laudes inquiens se ex auctoritate illustrium virorum antea retulisse; cum nullibi in praecedentibus horum virorum geratur mentio a praefato Victore.

Denique quod vulgo et falso Capitulorum defensores, et quod Marcellini Chronici Continuator de Vigilii et Pelagii exilio et horum regressu referunt ex Justiniani mandato, postquam Capitulorum subscripserint damnationi, luculen-

tissime confutatur ab Eustathio tunc Constantinopoli ad Eutychii latus degenti. Qui Synodi gesta ob oculos habens in ejusdem Eutychii vita n. 28. 31. scribit, quatuor patriarchas, in quibus Vigilium, *dissolutis controversiis, nec per violentiam, nec partium studium tria Capitula damnasse concorditer: ac deinde magno cum gaudio singulos discessisse ad suas civitates et populos.*

Quamvis autem, ut infra dicetur, Eustathius in hoc Scripto Eutychii extollat doctrinam et pietatem; et disputationem de resurrectione carnis cum s. Gregorio Papa duodecim fere annis post eelet (in qua revera non ex animo erravit Eutychius); attamen haec quaestio de tribus notis Capitulis nullum eidem Eustathio facessebat negotium occultandi, vel pervertendi sinceram Synodi V. historiam sive in iis, quae ad Justinianum pertinebant, sive ad Vigilium Papam: cum omnia testis ipse vidit, commendavitque posteritati. Ideoque ex his pro Vigilio, et aliorum documentorum auctoritate adauctis, perspicue lucet, falsitate quoque laborare, quae adversus Pelagium commentati sunt trium Capitulorum patroni.

Praeterea in cunctis Pelagii epistolis, quas in Petri Cathedra assidens, scripsit, saepius de hac agit quaestione; in qua firmissime tenet, etsi admissa trium Capitulorum damnatione, inconcussam permanere Patrum chalcedonensium fidem: nec ullum profert indicium, se quandoque cum esset apocrisiarius, aut ea defendisse Capitula, aut dubitasse, proindeque retractasse, quae antea admiserat. In epistola VI. ad episcopos Tusciae ait: « Satis mirati sumus ita vos apostolicae auctoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia meo etiam volueritis (quod absit) consensu firmari. . . . . Nos enim secundum apostolicam sententiam parati sumus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est, fide: quia in nullo nos a sanctis Patribus, custodiente nos divina gratia, cognovimus deviasse etc. » Cum igitur tam alacriter haec obtestetur Pelagius, non tantum a se quamcumque amovet suspicionem de sua in hac quaestione inconstantia; verum etiam perfidorum in vulgo artificium contundit adversus seipsum, quasi ipse Capitulo-

rum defensoribus sociatus, ac una a definitione synodali devius, ea Capitula praedicasset orthodoxa.

Ex his itaque praemissis, non erit amplius, videtur, dubitandum de Liberati sicuti de Facundi perfidia in suis scriptis occultata adversus Vigilium et episcopos, qui tria Capitula anathematizarunt. Notas enim hujus improbitatis undique revelatas hucusque studiose exhibui et confutavi. Eoque lubentius id egi, cum Vigilius ipse et Pelagius coram Ecclesia fuerint contra hujusmodi obtestati calumniatores: « Propter quod, inquit Vigilius in Constituto, nulli venit in dubium, quod ea, quae adversus nos false dici asserimus, neque a nobis dicta, neque a nobis facta esse, omnino diffateamur. » Et Pelagius in epistola VI. ad Tusciae episcopos pari illusione et pervicacia in defensione trium Capitulorum detentos increpat, eorumque audaciam refellit, *quod divisionem suam ab universali Ecclesia etiam consensu suo*, idest Pontificis (*quod absit*) *firmari voluerint*: quasi ipse aliquando ea Capitula probasset.

Insuper in Liberati obtrectatoris impudentiam clamat Papa in epistola ad Childebertum: « Nam et huc in Italiam, quamdiu nos in Constantinopoli fuimus de nomine nostro chartas mittebant, dicendo, quasi nos dixerimus fidem catholicam esse corruptam. » Et sane hujus fabulosi commenti Liberatus pro tribus Capitulis zelo exardescens se testem profitetur in c. XXIV. *Breviarii*, inquiens: « Illud liquere omnibus credo per Pelagium diaconum, et Theodorum Caesareae Cappadociae episcopum, hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publice ipse Theodorus clamitavit, *se et Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.* » Nonne hic viri delirantis sermo tibi videbitur, cum Liberatus Theodorum Caesareae et Pelagium tunc apocrisiarium apud Justinianum et deinde Papam inducit lamentabili desperatione clamantes se vivos incendendos propter scandalum, idest ob damnationem trium Capitulorum? Nonne ab hoc falsissimo Liberati testimonio, quocum suum explevit famosum libellum, luculentius patefiet in quanta auctoritate habenda sint, quae in praecedentibus discussit de Vigilio et de trium Capitulorum expugnatoribus?

Ceterum, quod in trium Capitulorum causa facit adversus has et hujusmodi Liberati et aliorum praesumptiones, si duo Pontifices Vigilius et Pelagius ea Capitula damnassent, non quod jure anathemati subjicienda forent, non quod Ibae inscripta Epistola reapse in Christum Dei blasphemias contineret easdem a Nestorio et Eutyche propugnatas; sed ad hanc accessissent damnationem, aut ambitione, sive metu, vel violentia superati, potiusquam ex intima conscientia, et plena rei cognitione; quare Pelagius deinde in suis epistolis quam maxime et incessanter instat apud Narsam patricium et Italiae ducem ut venetos, istrios et ligures episcopos Synodo V. et novissimo Vigilii Constituto refractarios cohibeat, nec ultra patiatur schismaticos trium Capitulorum defensores turbare Ecclesiam, in quo et ipse Narsas dubius videbatur? « De liguribus (ait eidem Pelagius in epistola III.) atque veneticis et istriis episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra et ratione et potestate reprimere; et dimittitis eos in contemptum apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari: cum, siquid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possent, dirigere debuerunt: et non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare hujusmodi homines principali vel judiciali auctoritate comprimere . . . Ecce domine, quod animus vester forte timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate haec breviter dirigenda curavi etc. »

Et quid indicant hujusmodi Pelagii alacritas et zelus tam fervens adversus trium Capitulorum defensores? Si ex Justiniani violentia, aut metu, vel adhuc anxius in incertitudine versatus Pontifex Capitulorum anathemati subscripsisset, cur tam fidenter deinde Narsae mandat, ut Sedi Apostolicae et Vigilii Constituto rebellantes comprimat? Videretur potius, ut praesumpsere Victor et Liberatus, in Pelagio admissa incertitudine, sive longa resistentia subscriptioni adversus tria Capitula, ac deinde resipiscentia, videretur hu-

jus Pontificis digna venia et indulgentia erga illorum Capitulorum defensores, potius quam per se et per Narsam ducem opprimere schismaticorum audaciam adversus Synodum V. Cum et ipse dudum non solum restitisset damnationi; sed post subscriptionem resipuisset; et e contra Narsas ex mandato Justiniani, qui a Victore auctor putatur anathematis, durius agere debuisset in episcopos reluctantes. In quo tamen res se aliter habuit; cum Pelagius in Narsa exprobret indulgentiam, se vero ostendat ita firmum, ut ab eo excludatur perpetuo, seu ab initio quaestionis ad obitum usque, quodvis sive perplexitatis, aut resipiscentiae indicium de iis Capitulis anathematizatis.

Quae cum ita sint, non est mirum, historicos huic nostrae aetati proximos Vigilii gesta perscrutatos, cum minus cauti in praefatis documentis dijudicandis incesserint, se se pelago commisisse quaestionum: ac quaquaversus in scopulos irrumpentes, nullimode portum valuisse pertingere quin, etsi inviti, quamdam Vigilio Papae et hinc Pontificatui Romano inurerent labem. Cum enim, ut saepe diximus, de Synodo V. documenta ab ipso tempore fuerint interpolata, uti vehementer conquesti sunt celebrati Pontifices, cautissime ergo percurrenda erant ea scripta, speciatim quorum auctores, aut tria Capitula defenderunt, sive defendentium parti obsecuti sunt, aut alia inficiebantur haeresi. Ideo, qui his successere scriptores, ad illos revocandi sunt fontes, unde hauserint: et quorum auctoritas sane tanti facienda est, quantum suorum praestat documentorum origo.

Denique concludam schisma, quod maxime in quibusdam Occidentis regionibus ad diuturnum tempus invaluit ob trium Capitulorum quaestionem, nullimode inscribendum esse Vigilio et Pelagio Pontificibus: quasi ipsi horum anathemati subscripsissent vel ambitione, aut pravis Justiniani consiliis, vel minis, aut pusillanimitate superati. Sed absit tam indecora, tam calumniosa insimulatio a beati Petri successoribus, pietate et doctrina eximiis, a Deo electis, a Deo constitutis super familiam suam, sedulis in Ecclesiae regimine, et quotidie super gregem Christi vigilantibus. Et absit tantumdem a piissimo principe Justiniano quaevis sacrilega

violentia adversus Pontifices Romanos, ut eos ad iniquum decretum adigeret. Et quis alioquin nesciat ex Pontificatus Romani vigilantia Justiniani religioni sociata, tum Orientis tum Occidentis in fidei concordia tunc gestire Ecclesiam ob haeresum extinctionem, vel saltem cohibitionem, ut ajunt Pelagius II. et s. Germanus; ac dumtaxat quorumdam episcoporum in regione Istriae, Venetiarum, Liguriae et Africae (veluti scribit Pelagius I. in suis epistolis) tunc lamentari *ignorantiam*, *vaniloquentiam*, *pervicaciam et perfidiam* in trium Capitulorum defensione? « Quia enim, ait Pelagius II. in epistola ad Eliam aquilejensem, n. 1. quia enim quietem concordiae in vestro corde, non invenio, fessae menti lacrymas sterno. Quae enim mei spiritus requies esse potest, si ab occulto hoste inflictum vulnus mederi non potest? Ecce in cunctis mundi partibus sancta et universalis Ecclesia unitatis suae radiis fulget; sed tamen adhuc umbram vestrae divisionis sustinet. Ubique in fidei statu perdurat; sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat. »



CAPUT XXIII.

Evagrii Scholastici et Cyrilli Monachi narrationes diluuntur circa Actorum Synodi V. interpolationem, et Origenis nomen eisdem Actis intrusum in odium Theodori Caesareae Cappadociae episcopi praecipui trium Capitulorum hostis et doctrinae origenianae orthodoxae propugnatoris.

Hucusque, Origenis causa relicta aliquantisper, gestorum in Synodo V. seriem perscrutati, tum Vigilii Papae historiam, tum trium Capitulorum causam illustrare studuimus. Ac per hoc studium Vigilii Pontificatum e calumniosis eruimus insimulationibus, Patrum synodalium simplicem et veracem exponentes mentem, de tribus Capitulis disceptantium, seorsim a quacumque et praesertim ab Origenis quaestione, tum in primo episcoporum coetu, absente Vigilio, tum in secundo, cui Papa interfuit, tum demum in oecumenica Synodo, adeo ut indubie et amplissime constet ab anno 544, nisi antea, usque ad annum 555. inter episcopos Constantinopoli degentes, quievisse de Origene et de origenistis contentionem. Plura namque et Vigilii et Justiniani et Mennae et Eutychii scripta et omnium antistitum colloquia in Synodo V. habita, suffragantibus deinde Pelagio I. Pelagio II. et beato Gregorio Magno per suas epistolas, ad hanc necessariam nos conduxerunt conclusionem. Quibus addendi sunt Facundus et Liberatus (dummodo horum probetur testimonium) qui trium Capitulorum causam confessi sunt, viam alteri de Origenis erroribus reserasse: « Hi vero, inquit Facundus in Libro IV. c. IV. qui proposuerant hujusmodi dogma (Origenis) defendere, id implere nullo modo voluerunt: sed talem relinquentes conflictum, conversi sunt ut moverent adversus Theodorum mopsuestenum. »

Post haec ad majorem argumenti pro Origene illustrationem, scripta adeamus illorum, qui post Synodi V. aevum viventes, quaestionem ejusdem in hoc Concilio existimarunt fuisse definitam, et ibi damnatum: in quibus potissimum elucent Evagrius Scholasticus et Cyrillus monachus. Ita enim

ni, ut apostolicorum dogmatum simplicitatem gentilium et manichaeorum lolio repleret. Missa est igitur relatio a praedicta Synodo ad Justinianum post acclamationes, quas contra Origenem et ejusdem cum illo erroris sectatores congesserant, cujus pars sic habet: *Cum animum possideas coelestis nobilitatis participem, christianissime Imperator*. Et paulo post: *fugimus itaque, fugimus istam doctrinam: neque enim novimus alienorum vocem. Et illum ceu furem ac latronem anathematis laqueis firme constrictum, procul a sacris septis ejecimus*. Et post aliquanta: *Eorum vero quae a nobis gesta sunt, vim, et virtutem ex eorumdem lectione cognoscetis*. His adjunxerunt etiam capita quaecumque Origenis sectatores profiteri a magistris suis didicerunt; ex quibus tum consensus eorum tum dissensio, ac multiplex ac multifidus error deprehenditur. In his quintum caput erat, continens blasphemias, quas privati quidam ex Nova Laura protulerant, quod sic habet. Theodorus Ascidas dixit: *Si nunc Apostoli et martyres miracula efficiunt, et in tanto honore sunt, nisi in resurrectione aequales fuerint Christo; qualis tandem eorum resurrectio erit futura?* Retulerunt etiam iidem Patres multas alias Didymi, Evagrii et Theodori blasphemias, quas studiose admodum ex eorum libris excerpserunt. » Et haec dicit Evagrius.

Cyrillus porro in Vita s. Sabbae nn. 36. 72. 74. quibusdam citatis monachis palaestinensibus, in quibus Nonnus, qui occulte Origenis dogmata profitebantur in n. 83. subdit: « Postquam optimus pastor migravit hinc, ovile ejus ad angustiam redactum est, quod ab imperito duceretur pastore. Nonnus enim et sectatores ipsius obitu patris nostri Sabbae in occasionem arrepto, errores, quos in imo corde occultabant, divulgarunt, nec non propinabant proximo subversionem turbidam: neque solum cunctos Novae Laurae peritiores ad impuram suam haeresim attraxere, sed etiam eos, qui Martyrii monasterium, et Firmini Lauram incolebant, jam eorum patribus mortuis Firmino ac Sozomeno beatis, qui divini Senis discipuli et concertatores fuerant. Neque hoc tantum, verum etiam brevi tempore in Maximam Lauram, ceteraque solitudinis monasteria pravam valuerunt spargere

doctrinam Origenis. Domitianus porro eodem tempore monasterio Martyrii praefectus, et Theodorus cognomento Ascidas Neotauritarum dux et princeps uterque Origenis lue affatim infecti ad Constantinopolim navigarunt; ubi simulantes pugnare se pro Synodo chalcedonensi, ex commendatione supra memorati Leontii byzantini Eusebio papae adjunguntur, ac per eum piissimo nostro Imperatori. Atque dum hypocrisi plurima malam sententiam obtegunt, et prima intimaque libertate in palatio fruuntur, Domitianus quidem galatarum regionis episcopatu donatus est: Theodorus vero Caesareae Cappadociae praesulatum suscepit. Inde Nonnus et nonnani majori potentia accepta, studiose ac vigilanter origenica semina per totam Palaestinam dispersere. »

Deinde in 85. pergit Cyrillus: « Eodem tempore adfuerunt in Palaestina patriarcha Antiochiae Ephraemius, et una papa Eusebius propter Pauli Alexandriae episcopi ejectionem: ad quem papam Eusebium Hierosolymam profectum post solutam Synodum, Leontius adducit eos, qui e Maxima Laura pulsi fuerant, accusatores Gelasii, quod nempe in duas partes conventum discidisset, et ipsos quidem expulisset, ipsorum vero adversarios adscivisset. Eusebius vero papa verbis Leontii deceptus, nihilque de haeresi sciens, arcessit abbatem Gelasium, eumque in necessitatem adducit, vel ejectos admittendi, vel eorum adversarios, qui haeresim dirimere conabantur, propellendi. Qua necessitate imposita, patres ex communi deliberatione emiserunt e Laura Stephanum, Timotheum, aliosque fratres quatuor: qui voluntariam persecutionem passi, Antiochiam profecti sunt: quaeque contigerunt, indicarunt Ephraemio patriarchae, cui beati Antipatri libros ostenderunt. At patriarcha per traditos libros, compertis Origenis blasphemiis, ac per librorum traditores agnitis quae Hierosolymae ab origenistis perpetrata fuerant, strenue assurgit, ac publico Synodico Origenis dogmata anathemati subjicit.

« Quae res Hierosolymis postquam agnita fuit, indignati sunt Nonni asseclae, fultique patrocinio Leontii byzantini, qui ad Constantinopolim navigaverat, et Domitiani Galatiae, atque Theodori Cappadociae, vim archiepiscopo Petro infe-

rebant, ut Ephraemii nomen e sacris diptychis tolleret. Cumque ingens excitata fuisset seditio, clam ad se vocat archiepiscopus Sophronium et Gelasium, demandatque uti libellum facerent in origenistas, quocum adjurarent ne Epraemii patriarchae nomen e sacris diptychis deleretur. Itaque patres fecerunt libellum ac tradiderunt. Quem archiepiscopus ubi accepit, misit ad Imperatorem cum litteris suis, quibus innovationes origenistarum referebat. Eo libello accepto, piissimus noster Imperator edictum adversus Origenis dogmata fecit: cui edicto subscripsit Mennas patriarcha constantinopolitanus una cum Synodo sua. Coacti sunt quoque subscribere Domitianus et Theodorus, quorum tamen simulatio cunctis patuit.

« Ubi ergo edictum adversus Origenem latum Hierosolymis evulgatum fuit, cunctique Palaestinae episcopi et solitudinis hegumeni eidem edicto subscripsere, (uno excepto Alexandro episcopo Abilae) succensentes Petrus, Nonnus et reliqui haereseos principes, a catholica communione abscesserunt; et Nova Laura relicta, in planicie manserunt. Atque hoc Constantinopoli audito, jam post obitum papae Eusebii, mortuoque pariter Leontio, Theodorus Cappadociae, qui in palatio dominatum habebat, sanctae Resurrectionis apocrisiariis, quos advocaverat, multa cum ira dixit: Nisi patriarcha Petrus satisfecerit patribus, eosque ad propriam reduxerit Lauram, ab episcopatu eum hisce diebus deturbabo. Tunc Nonni asseclae per suggestionem Theodori Ascidae scribunt archiepiscopo hunc in modum: Obsecramus sanctitatem vestram, ut modica satisfactione animabus nostris remedium adhibeat, catholice affirmando cum omni alacritate, ac dicendo: Solutum sit, et fuit nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti omne prolatum anathema, quod Deo non placet. Hujusmodi enim satisfactionem admittimus, tametsi rigorem juris minutatim non obtineat. Hanc epistolam, postquam accepit archiepiscopus, initio quidem nolebat, quae petebatur, satisfactionem facere, tanquam tumultus effectricem, nec legitimam; verum qui insidias Ascidae reformidaret, cogitaretque redimere tempus suum, arcessit e planitie Nonni asseclas, iisque seorsim assumptis, postulatam satis-

factionem ad eos fecit: Qua comprobata, reversi sunt in Novam Lauram; manserunt tamen valde infensi Magnae Laurae patribus. Tunc Ascidas Constantinopolim profectum archiepiscopum Petrum coegit habere pro syncellis Petrum alexandrinum et Joannem Strongylum.

« Hinc majorem licentiam ceperunt, qui Nonno adhaerebant; et impietatem quidem suam publico et per domos praedicabant; diversas vero persecutiones in patres Maximae Laurae excogitabant; atque, si quemdam in sancta civitate conspexissent monachum orthodoxum, hunc per nonnullos saeculi homines vapulare procurabant et sabaitem vocantes a sacra Urbe pellebant. Proinde quibusdam orthodoxis patribus verberatis, belloque adversus pios exorto, bessi Jordanis divino zelo ducti ascenderunt in sanctam Urbem, ut bello appetitis orthodoxis suppetias ferrent. Tum publico praelio contra bessos aliosque recte sentientes commisso, postquam ipsi ad Maximae Laurae xenodochium confugissent, adorti sunt subito cum plurimo furore inimici ut qui vellent patribus mortem inferre. Cumque hospitale munitum reperissent, fores seu fenestras lapidibus perfregerunt, eosque, qui intus erant, enixe lapidibus petebant. Igitur dum patres obsidentur, Theodulus quidam bessus, invento ventilabro, seu batillo in manus sumpto, prodiens e xenodochio, trecentos fere, quot erant, hostes solus dissipavit; cavit tamen ne quemquam omnino feriret: ipse vero ab illis lapide percussus, cecidit, paucisque post diebus mortuus est. Atque inde bellum, quod contra pios susceptum fuerat, desiit.

« Tunc Maximae Laurae patres Gelasium abbatem obsecrant, ut Constantinopolim adeat, haecque piissimo nostro Imperatori nota faciat. Qui abbas Gelasius iter ingressurus, patribus, qui in Maximae Laurae ecclesia convenerant salutatis, praedicavit dicens: Ecce patres juxta petitionem vestram proficiscor Constantinopolim, nec quae in itinere mihi eventura sunt, scio. Vos itaque obtestor, ut neminem eorum, qui Theodoro mopsuesteno adhaerent, sinatis vobiscum manere, cum sit haereticus. Quandoquidem sanctus quoque pater noster Sabbas hunc cum Origene abominabatur. Me vero maxime poenitet, quod libello subscripserim, qui a mo-

nachis Eremi juxta patriarchae mandatum ideo factus est, ut is nequaquam anathematizaretur. Veruntamen Deus, qui Ecclesiae suae curam gerit, libellum non admitti providit, ipsum vero Theodorum anathemate percuti voluit. His ad patres prolatis et valedicens, beatus Gelasius discessit.

« Ubi autem Byzantium appulisset, indicatur Ascidae adventus ejus. Hinc praeceptum datum est tam orphanotrophii seu pupillorum nutricis domus, quam patriarchae et palatii hominibus, ne ullum e Hierosolymis monachum admitterent. Quocirca Gelasius abbas, quod nullatenus introduci valeret, ac Ascidae insidiosas molitiones vereretur, e Byzantio in Palaestinam egreditur pedestri usus itinere. Cumque ad Amorium pervenisset, obiit menses Octobris Indictione nona. Reque cognita, Maximae Laurae patres uno animo in sanctam civitatem ascenderunt, quo praepositum peterent. Et cum significassent patriarchae, ab episcopio eum contumeliis et pulsationibus de mandato syncellorum ejecti sunt; multisque aerumnis dehinc in illos ingruentibus, ad Lauram, negotio infecto, redierunt. Tunc certe cuncti ad origenistas adjunxerunt se, aut necessitati servientes, aut adulationibus inescati, aut ignorantia furtim abrepti, aut qui impietatis potentiam metuerent. Atque ita heterodoxi, omnibus occupatis, contra solam Maximam Lauram, quae obluctabatur, aciem instruebant, vehemensque illius obtinendae adhibebant studium.

« Multis (n. 88.) ergo usi illecebris, praepositum origenistam creaverunt Georgium nomine, eumque in Lauram cum satellitio inferunt; atque in Sede patris nostri Sabbae collocant. Tunc magna persecutio accidit et sanctorum patrum nostrorum dispersio ad lupi praesentiam. Ac divinus pater noster Joannes episcopus et Solitarius post multos annos egressus e loco, in quo se concluserat, in montem venit unaque cum eo omnes pietatis alumni; ex quibus multi per regiones dispersi sunt. »

Et hinc, notatis Nonni origenistae morte repentina, et Georgii ejectione e Nova Laura, ejusque successore Cassiano orthodoxo, qui decem mensibus in praefectura vixit, subdit n. 89. « Nam post Nonni excessum, Firmini Laurae mo-

nachi cum Neolauritis dissidendo de suis scitis dogmatibus, in mutua impugnatione occupati sunt. Atque utrorumque quidem mutiplex impietas, hoc tempore per quosdam e grege nostro viros Deo caros accurationi fusiorique sermone confutatur et convenienter evertitur. Facile vero est cuique volenti, eorum impietatem animadvertere ex ipsis appellationibus, quibus ipsi se se mutuo nuncupent. Scilicet Neolauritae eos, qui Firmini sunt, protoctistas sive tetroditas vocant; rursusque firminiotae Neolauritas nominant Isochristos. Utrique enim ex propriis impietatis suae decretis nomina sortiti sunt.

« Cum ergo Theodorus Cappadociae reipublicae negotia administraret, ac staret a partibus Isochristorum, eosque tueretur; multosque ipsorum episcopos Palaestinae ac hegumenos constitui fecisset, nec non Theodorum Novae Laurae praepositum procurasset, fieri Crucis custodem, et scythopolitanorum metropolitam, procellae atque tempestates comprehenderunt non solum nostrum gregem, sed etiam eum, qui impiissimo Protoctisto dogmati adhaerebat, quique praefectum habebat Isidorum. Hic Isidorus, quia non valebat Ascidae et Neolauritis resistere, ad abbatem Cononem nostri gregis pastorem transiit et confluxit; atque pollicitus ei in sancta Sione, se nunquam defensurum *Praeexistentiae* sententiam, sed omnibus viribus una certaturum adversus impietatem, cum ipso Constantinopolim profectus est.

« N. 90. Abbas ergo Conon ejusque comites Constantinopoli diversis per Ascidam subjecti aerumnis, patientia victoriam reportarunt. Aliquot enim interjectis diebus, cum e vita discessisset Petrus archiepiscopus, et Macarius temeritate Neolauritarum esset ordinatus, bellumque sanctam civitatem teneret, piissimus quidem Imperator valde indignatus contra Ascidam et origenistas, Macarium jussit ab episcopatu expelli. Conon vero abbas et socii, opportunitate temporis arrepta, quae ad ipsos pertinebant, Imperatori nota fecerunt, libellum ei tradiderunt, universam origenistarum impietatem manifestarunt, Isidoro jam mortuo. Atque inde cum multa fiducia, Eustochium Alexandriae oeconomum, qui Constantinopoli tunc degebat, episcopum Hierosolymo-

rum promovent. Piissimus autem noster Imperator tum Eustochium patriarcham fieri sanxit, tum oecumenicam Synodum agi mandavit. Atque citatus abbas Conon Eustochium Hierosolymam mittendo, hortatus est ut Eulogium monasterii beati Theodosii praepositum mitteret, quo is etiam in Synodo, quae congregabatur adesset. Is Eustochius in patriarchatu constitutus, tres episcopos misit, qui locum ipsius in Concilio tenerent, praetereaque abbatem Eulogium cum aliis duobus monasteriorum praepositis.

« Itaque cum sancta et universalis quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi et generali anathemati submissi sunt Origenes et Theodorus mopsuestenus cum iis, quae de *Praeexistentia et Restitutione* dicta sunt ab Evagrio et Didymo, praesentibus quatuor patriarchis atque decreta comprobantibus. Porro postquam noster a Deo protectus Imperator Acta Synodi Hierosolymam misisset, omnesque per Palaestinam episcopi manu et ore confirmassent atque roborassent, praeter Alexandrum Abylae, qui ideo ab episcopatu dejectus est, ac Byzantii a terrae motu obrutus fuit, Neolauritae a catholica communione separaverunt se. At patriarcha Eustochius diversis modis eos aggressus, et per octo menses admonitione et adhortatione erga illos usus, ubi non persuasit, ut cum Catholica communicarent Ecclesia, Imperatoris adhibitis jussionibus, per Anastasium ducem eosdem e Nova Laura expulit, totamque provinciam ab ipsorum peste liberavit.

« Quod vero nollent locum absque habitatoribus relinquere, centum viginti monachos collectos, illic transplantavit; sexaginta nimirum e Maxima Laura, ex quibus Joannem quemdam, qui scolarius fuerat, praepositum ordinavit et constituit; alios vero sexaginta e reliquis Eremi orthodoxis monasteriis. Quorum unus ipse sum, per Maximae Laurae patres e monasterio sancti Euthymii de sententia et permissione divini Joannis episcopi ac Solitarii evocatus. Itaque in sancta civitate congregati, egressi sumus cum patriarcha novoque praeposito in Thecoam vicum; atque post origenistas ab Anastasio duce pulsos, Novam Lauram recepimus vigesimo tertio a mortis beati Sabbae anno. Et in his quidem

finem habuit bellum, quod contra pietatem excitatum fuerat. »

Hujusmodi sunt tam Evagrii, tam Cyrilli monachi enarrationes de origenistarum secta tunc invalescente; quae summatim huc regestae cum admodum nostris praeactis officiant discussionibus, studiose ac seorsim pertractandae sunt, diversis earum notis ac circumstantiis descriptis et censitis, ut rite pateat, quanti ipsae faciendae sint et quousque admittendae.

Et primum, ubi Evagrius et Cyrillus inquiunt in Synodo oecumenica V. actum esse de Origene et de monachis Evagrio et Didymo, eosque damnatos, undique hujusmodi assertionis falsitas revelatur. Ab exordio namque trium Capitulorum quaestionis usque ad novissimum Vigilii Papae Constitutum sive in peculiaribus conciliis, sive in oecumenica Synodo, seu privatis aut publicis scriptis hoc unum quaesitum est, de hoc uno disputatum, et hoc unum definitum fuit. Ideoque extra Synodum V. amandata quaestione origeniana, falsissimum quoque probatur, Didymum alexandrinum et Evagrium eamdem subiisse damnationem; quasi uterque eadem profiteretur peregrina et absurda dogmata, quae Origenes professus frustra putatur. In qua sane insimulatione praeter manifestam Origeni inlatam injuriam, valde quoque praefatis sanctis viris injuriosum est asserendo, eos absurdis communicasse Origeni adscriptis, idest de reproborum poenis aliquando desituris, deque angelorum et daemonum et animarum conversionibus et similibus; ita ut indubie fatear, et audentius asseram, non solum Evagrium et Didymum nullum praesumptorum absurdorum tenuisse, verum nec multo minus eos arbitratos esse talia quandoque docuisse Origenem.

In praecedenti Parte satis actum est de utriusque doctrina, eorumque scriptis, et speciatim intenta Patrum coaevorum sincera traditione erga illorum orthodoxïam. Quam traditionem usque ad saeculum VI. servarunt accurati Historiae Ecclesiasticae scriptores. Ideoque nugatur Evagrius Scholasticus in Libro IV. c. 38. scribens, Patres in Synodo V. praeter tria Capitula, *retulisse damnandas multas alias Di-*

dymi et Evagrii et Theodori (Caesareae) blasphemias, quas studiose ex eorum libris excerpserunt. Item nugatur Cyrillus inquiens, Didymum et Evagrium et Origenem morbo gentilium et manichaeorum de praeexistentia laborasse. Quorum sectatores addit inventos in Novae Laurae monasterio, hos cunctos cum Theodoro mopsuesteno in Synodo V. damnatos.

Secundo, ex ipsius Cyrilli testimonio in Vita s. Sabbae, et Surii et aliorum, qui ei successere, modicae fidei scriptorum, praesumitur jam ab initio imperii Justiniani usque ad obitum illius, tunc invalescentibus origenistis in Palaestina, magnam factam esse orthodoxis perturbationem. Incipiens, ajunt, a monachis ejusmodi conflagratio, inde longe lateque serpente incendio, magnam universae Catholicae Ecclesiae intulit cladem, et universum orbem dissensionibus involvit. Verumtamen, qui sic existimarunt recentiores veterum monumentorum collectores et interpretes, tantam scilicet cladem Ecclesiae supervenisse ob origenistarum factiones, Facundi, Liberati et Cyrilli usi testimonio et quidem valde suspecto ob malitiam, aut ob ignorantiam, minus cauti probantur in citanda horum dubiae fidei virorum auctoritate. Ceterum veterum monumentorum scrutatoribus utilius fuisset, si adversus istos cetera contemporanea testimonia probata consuluissent: in quibus praecipuum locum tenent Pontificum Romanorum epistolae, Conciliorum decreta, Principum christianorum edicta. Qui simul contra haereses quotidie dimicantes, undequaque Ecclesiae Catholicae usque ad dissitas regiones prospexere triumpho, immaculatum servare studentes fidei depositum. Attamen in horum scriptis omnino desideratur quaestio origeniana.

Et sane rebus sic stantibus, cur ab Hormisdae aetate usque ad s. Gregorium, quo tempore plurimae patent Pontificum Romanorum epistolae, multa in synodis proposita decreta, plura Principum fidelium mandata adversus tunc varii generis irrumpentes errores, et in quibus decretis plurimae notantur circumstantiae, cur isti Origenis errores et origenistarum conflagrationem ultro praeterierunt? Nihil, dixi, in praefatis decretis aut epistolis nec ex professo, nec obiter Origenem et origenistas nominatos fuisse comperimus.

Etenim circa annum 533. vel 534. Justinianus de statu ecclesiarum in Oriente scribens ad Joannem Papam, ait non nisi quosdam tunc monachos Nestorii perfidiam sectari: « Omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam Apostolicae Sedis vestrae, ita credunt et confitentur et praedicant; unde properavimus hoc ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis per Hypatium et Demetrium beatissimos episcopos, ut nec vestram Sanctitatem lateant, quae a quibusdam paucis monachis male et judaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt. » Ex Joannis porro responso monachi, qui a Justiniano citantur, de acaemetensi monasterio erant, negantes confitendum beatam Virginem vere et proprie Dei Genitricem esse, atque unum de Trinitate incarnatum et passum esse. Similiter Justinianus circa annum 536. 540. et 558. in epistolis tum priscos tum recentes nominans damnansque haereticos, Origenem et origenistarum sectam transigit.

Tertio, illud praesertim mirandum, quod dicit Cyrillus, s. Sabbam Justinianum rogasse, ut Arii, Nestorii et Origenis dogmata Ecclesiae paci hostilia de medio tolleret. Attamen circa istud tempus, ut putat Baronius, decretum edidit Imperator adversus omnes haereses et haereticos nominatim: ubi nulla Origenis mentio, nec origenistarum haereseos. Item valde mirum quod deinde legitur in Actis Concilii constantinopolitani sub Menna adversus Anthymum, Severum antiochenum, Petrum apamensem, Zoaram monachum, ceterosque sub acephalorum sive semieutychianorum nomine venientes. Quorum damnationi subscripsere una cum episcopis monachi orientales, ac praesertim de Eremo Hierosolymorum, de secunda Syria et de tribus Palaestinis archimandritae cuncti orthodoxi.

Et amplius inter eos, qui Synodo adstantes monachi, in praefatos haereticos sub nova forma Nestorii, Eutychis et Manetis instauratores haereseos, anathema inclamarunt, nominantur Agapetus, Paulus romanus, Leontius, Domitianus, Joannes, Cassianus, Cyricus, Mamas, aliique: quorum aetate, uti putat Cyrillus, origenistae fervebant in Palaestina, eorumque nomina citantur ab ipso et Evagrio Scholastico inter eos valde Origenis studiosos. Attamen in libello, quem

Mennae constantinopolitano gregatim obtulere adversus acephalos, quantumvis in una fidei professione consonarent, vicibusque ideo iteratis anathema acclamarent acephalis, anathema Nestorio, Eutychi, Maneti suisque fautoribus, attamen, dico, Origenis haeresim et origenistas haereticos praetermiserunt. Quod quidem origenistas insectantibus non videbatur praetereundum, pravis intentis opinionibus, quibus Origenis haeresis repraesentabatur imbuta, valdeque affinis praedictorum haereticorum impietatibus. Adeo ut ob tantum silentium nobis dubitare liceat (nisi de quaestione Origenis generatim) saltem de multitudine contendentium, multoque magis de sensu, quo ab his Origenis doctrina comprehendebatur aut defendebatur.

Porro circa multitudinem huic sectae adhaerentium, quam recentiores potissimum tam latam et dissite erumpentem tunc existimarunt, quasi totum pervasisset orbem christianum: horum in hac re illusio aequiparatur latitudini, quam arbitrati sunt inscribendam hominum multitudini, praesumptos complectentium Origenis errores. Facundus, Liberatus, et Auctor epistolae Justiniano inscriptae tunc viventes, quosdam notant monachos palaestinos talia profitentes absurda *de animarum praeexistentia, de restitutione in pristinum* ceterisque. Evagrius paulo post scribens idem notat; intraque Palaestinam collocat hujus haeresis instaurationem. Cyrillus vero, de iis unum esse se inquiens, qui plura passus est ab origenistis, turbas quidem memorat, commotiones, factiones fuisse in Palaestinae monasteriis excitatas, monachis ad invicem aliis expugnantibus, propugnantibus aliis Origenem, perspicue tamen innuit, nec extra regionem Syriae Palaestinae disputatum fuisse de eodem; neque extra *asceteria* erupisse quaestionem. Nisi quod, veluti in praecedentibus Tomis discussum fuit, dicendum est, eos, qui Origeni adversabantur ob praefatam opinionem *de praeexistentia animarum et de restitutione, sive regeneratione in pristinum,* in errore versari, aliter interpretatos Auctoris mentem ab eo, quod ipse sensit orthodoxe de regeneratione et de resurrectione. Quod vero postea citata haeresis crevisse putatur, orbem pervadens christianum, inter fabulosa commenta indubie committendum est.

Quarto, et illud attendendum antilogiae genus, quod de Theodoro Caesareae Cappadociae episcopo Liberatus et Cyrillus ostentant. Liberatus enim in c. XXIV. *Breviarii*, inquit: « Theodorus Caesareae Cappadociae Origenis defensor et Pelagio aemulus cognoscens ipsum Origenem fuisse damnatum, dolore damnationis ejus ad Ecclesiae conturbationem, damnationem molitus est in Theodorum mopsuestenum etc. » Cyrillus vero dicit n. 85. Vitae beati Sabbae: « Coacti sunt quoque subscribere decreto anathematis in origenistas Domitianus et Theodorus, quorum tamen simulatio cunctis patuit. » Ex Liberato ergo apparet Origenem, inscio Theodoro, fuisse damnatum, et hinc valde doluisse; ac ideo ad hanc ulciscendam damnationem, adversus Theodorum mopsuestenum arma vertisse. Cyrillus vero dicit Theodorum Ascidam cognovisse et subscripsisse anathemati Mopsuesteni. Cum ergo cernas Cyrillum Liberato contraire, haec narranti de Domitiano et Theodoro Ascida Caesareae episcopo, scias quoque in decreto apocrypho sub Vigilii nomine adversus hunc Theodorum circa annum 551. ubi cuncta memorantur praesumpta mala, quae iste, invito Pontifice, molitus esset in trium Capitulorum causa, scandali et seditionis in Ecclesia provocator, et ubi cetera exponuntur ab episcopatus initio eo usque perpetrata contra canones, in eo decreto scias, de Origenismo insimulationem omitti, quae sane non videbatur omittenda, si reapse Theodorus Ascida talia Origenis admisisset absurda.

Quinto, item observatione dignum est, quod ipse Cyrillus n. 74. inquit, instante Justiniano, in Concilio quinto Nestorii damnatas et Origenis haereses. Quod superius falsum haberi satis demonstratum est. Verum et illud mirum, quod in vita Euthymii n. 161. scribit: « Tempore vero consequenti oecumenica sancta Synodus congregata est; et per eam Origenis et Nestorii dogmatibus anathemate percussis etc. » Insuper in praefata Sabbae Vita n. 90. subdit: « Itaque cum sancta et universalis quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi et generali anathemati submissi sunt Origenes et Theodorus mopsuestenus cum iis, quae de praeexistentia et restitutione dicta sunt ab Evagrio et Didymo,

praesentibus quatuor patriarchis etc. « Quae omnia et singula falsa sunt. Distinguens enim Cyrillus *de praeexistentia et restitutione* Evagrii et Didymi placita, videtur ab his opinionibus excludere Origenem: cum aliter ex fabulis fabulando, Origenes nominandus foret auctor *praeexistentiae et restitutionis*. Cujus tamen quaestionis ignarum se praebet Cyrillus, sicuti qui cum eo contenderunt adversus praesumptos Origenis errores.

Similiter, Theodorus mopsuestenus, quem hic citavit Cyrillus in Synodo V. damnatum, non ille intenditur priscus Theodorus Nestorii magister revera in eo Concilio damnatus una cum Epistola ad Marim Persam, et Theodoreti Scriptis. Sed Theodorum mopsuestenum confudit cum Theodoro Ascida Caesareae Cappadociae tunc episcopo, quem origenistam fecit, ac ideo in ipsa Synodo anathematizatum somniavit. Et quidem Cyrilli illusio patet, si conferantur quae antea in n. 88. scribit de Gelasio Constantinopolim profecturo: quum valedicens patribus Maximae Laurae, ad eos ait: « Ecce patres juxta petitionem vestram proficiscor Constantinopolim; nec quae in itinere mihi eventura sunt, scio. Vos itaque obtestor, ut neminem eorum, qui Theodoro mopsuesteno adhaerent, sinatis vobiscum manere cum sit haereticus. Quandoquidem sanctus quoque pater noster Sabbas hunc cum Origene abominabatur. Me vero maxime poenitet, quod libello subscripserim, qui a monachis Eremi juxta patriarchae mandatum, ideo factus est, ut is, nequaquam anathematizaretur. Verumtamen Deus, qui Ecclesiae suae curam gerit, libellum non admitti providit: ipsum vero Theodorum anathemate percuti voluit etc. »

Ex qua allocutione, ubi dictus Gelasius appellat ad satisfactionem, quam origenistae submiserunt patriarchae hierosolymitano, ut solveretur anathema in ipsos jactum, in quisub Theodorum Ascidam, consequitur Cyrillum, una cum Gelasio Theodorum mopsuestenum confudisse cum Theodoro episcopo Caesareae, aut cum altero ejusdem nominis et tunc vivente. Et hoc vidit quoque Canisius. Stupor autem in nobis augescit, quando Cyrillus n. 74. memorat Leontium et Theodorum mopsuestenum in eadem origenistarum haeresi

socios et defensores. Cum aliter infensissimum ubique Leontius se praestet Theodoro mopsuesteno, ut infra dicetur: et Theodorus mopsuestenus in suis libris Origenis Commentaria refutarit.

Sexto, Evagrii et Cyrilli narrationes de Synodi V. Actis, praeter quod dissentiant ab ea, quam praemisimus, genuina Concilii historia, ab invicem quoque discordant. Ibi ait Evagrius in Synodo generali damnatam fuisse origenistarum haeresim ac simul tria Capitula, contra Origenem instantibus Eustochii patriarchae Hierosolymae legatis ac Palaestinae monachis. Cyrillus porro fere eadem scribit de Eustochio ac de monachis adversus Origenem, Evagrium et Didymum instantibus in Synodo, ut damnarentur. Attamen horum sancita a Patribus damnatione, de tribus Capitulis praeterit omnino discussionem, nec ulla mentio reperitur in omni Sabbae historia.

Praeterea Evagrius quaedam notat de Eutychio: qui cum adhuc esset apocrisiarius episcopi amasenorum, proposita in Synodo quaestione, num mortuis infligendum esset anathema, quippe in sacris Scripturis exercitatus, cum contemptu episcoporum adstantium, aperte statuit: « Quaestionem illam deliberatione non egere; quandoquidem Josias rex sacerdotes daemonum non modo vivos interfecisset, sed eorum, qui diu antea mortui fuerant, sepulchra effodisset. Atque hoc ab Eutychio aptissime dictum esse cuncti, qui aderant censuerunt. » Haec autem redacta ab Evagrio ex Eutychii vita per Eustathium presbyterum, gesta sunt in privatis discussionibus de tribus Capitulis, vivente adhuc Menna, ac duos fere annos ante Concilii V. adunationem.


Septimo, Cyrillus n. 85. narrat, Petrum archiepiscopum Hierosolymorum Sophronio et Gelasio mandasse, ut libellum facerent in origenistas, Justiniano remittendum, quo accepto, edictum publicasse, cui subscripsit Mennas cum Synodo sua, ac deinde episcopi Palaestinae et abbates monasteriorum. Liberatus vero (quod omisit Cyrillus) adjecit damnationis decretum Vigilio Episcopo Romano, Zoilo alexandrino, Ephraemio antiocheno directum fuisse ac ab ipsis subscriptum. Praeterea Cyrillus inquit Ephraemium et Eusebium

Palaestinae adfuisse propter Pauli alexandrini episcopi ejectionem. Liberatus addit Pelagium diaconum Ecclesiae Romanae Antiochiam profectum, et cum Ephraemio et Petro hierosolymitano et Hypatio ephesino venisse Gazam, ut Paulo episcopo alexandrino auferrent Pallium et deponerent, uti homicidii reum. Deinde (quod silet Cyrillus) subdit, monachos ab Hierosolymis cum Pelagio venisse Constantinopolim, volentes agere apud Imperatorem ut Origenes damnaretur cum capitulis ab ejusdem libris excerptis.

Procopius porro in c. 27. Historiae Arcanae, enarrans Psois necem ex Pauli episcopi alexandrini mandato, inquit Vigilium Papam Alexandriam misisse Pelagium archidiaconum cum episcopis viris probatis de hac causa cogniturum. Ubi Paulus homicidio convictus statim sacerdotio dejicitur. In his tribus testibus videas discrepantiam. Cyrillus Pelagii nomen omittit in causa Origenis. Liberatus ex adverso illum valde sollicitum repraesentat de hac re coram Justiniano. Item ambo Pauli processum ob Psois mortem actum esse statuunt in Gaza Palaestinae : quo episcopi citati convenerant ad ejusdem Pauli depositionem. Procopius vero ait antistites eosdem Alexandriam profectos, ubi Paulus a sacerdotio dejectus est.

Demum Cyrillus n. 85. inquit, Justinianum circa an. 544. accepto libello a Petro episcopo Hierosolymorum, Origenis dogmata damnasse ; cui anathemati subscripsit Mennas cum Synodo sua : ac deinde in Palaestinam missum subscriptum fuisse ab hujus regionis episcopis et monasteriorum archimandritis, excepto Abilae episcopo. Paulo post n. 90. iterum narrat, sequente aetate Cononem abbatem et socios Imperatori tradidisse libellum, ubi tota origenistarum impietas continebatur : quare a Justiniano congregata Synodo, ac propositis Origenis et Evagrii et Didymi erroribus, generali anathemati subjecti sunt. Cujus Synodi Acta Hierosolymam missa, ab episcopis Palaestinae accepta comprobata sunt, excepto Alexandro Abilae episcopo. Et quid sibi vult hujusmodi repetitio, praesertim ex episcoporum parte in Palaestina degentium, qui Synodo generali convocatae non interfuerunt ? Nonne haec indicant Historici confusionem, quam

undique in sua narratione inspersit, utpote rerum nescius, quae in Synodo V. oecumenica reapse tractatae sunt, vagosque rumores colligens de ipsa Synodo, quibus plures scriptores et coaevi et sinceri resistunt, et praecipue Romanorum Pontificum epistolae, ita ut suspicandum sit hos fuisse praesertim a Capitulorum defensoribus satos? Reapse Cyrillus in n. 83. Domitianum, et Theodorum Ascidam Constantinopolim ait navigasse simulantes se pugnare pro Synodo chalcedonensi. Et de hac eadem simulatione istos uti tria Capitula expugnantium principes Facundus culpat in Libro II. c. I. sub obtentu defensionis dicens expugnare molitos esse Synodum chalcedonensem. Quae quidem singulari discussione in sequentibus diluenda manent.



CAPUT XXIV.

Evagrii Scholastici et Cyrilli Monachi narratio adversus nonnullos tanquam Origenis haeresi infectos convellitur ab aliis historicis, qui synchroni sine partium studio haec eadem memorarunt: unde concluditur eos, qui ut Origenis sectatores et hinc haeretici insimulati fuerunt, orthodoxos fuisse, una cum orthodoxo Origene orthodoxam professos doctrinam.

Postquam has obsignavi de Cyrilli narratione animadversiones, unde potissimum haud recte ipsum de Theodoro Caesareae sensisse probatur, nec sensum comprehendisse Synodi V. ac una tanto inspecto opinionum discrimine in iis, quae inter Palaestinae monachos de Origene exortae sunt contentiones: et istud lectori commendandum puto, quod Cyrillus de nonnullis sibi adversariis judicium suae contexuit historiae, ac varium penitus ab eo quod alii de eisdem arbitrati sunt. Ipse enim Cyrillus in n. 36. de Nonno (a quo nonnani) inquit, ipsum videri christianum, et pietatis praeferre speciem, sed vere laborare morbo gentilium et manichaeorum, ac per totam Palaestinam sparsisse semina origenica. Timotheus autem etsi philoponiacos et cononitas ait se invicem nuncupare origenistas, gentiles et manichaeos ob quaestionem de resurrectione et de mundi fine, nihilominus inter hos nec Nonnum, nec nonnanos citavit. Verum ob hujuscemodi contradictiones inter historicos nobis scire benevertit quae ipse Cyrillus de Nonno et Leontio notat ex litteris Joannis Silentiarii ad s. Quiriacum anachoretam; in quibus rogabat Deum impensius ut origenistae nimirum, *qui erant in Nova Laura cum Nonno et Leontio vincerentur, et summam illam amitterent arrogantiam*. Illum autem respondisse ait: *ne animo angamur, o pater. Cito enim videbimus Nonnum quidem et Leontium e vita excessisse miserrime: lupos autem, qui versati sunt in Laura, turpissime illinc expelli.*

His porro de Nonno ex Cyrillo recitatis omnino contraria exhibentur dicta Joannis Moschi in *Prato Spirituali*

n. 73. « Narravit nobis in coenobio sancti patris nostri Theodosii abbas Theodosius, qui fuit episcopus Capituliadis de abbate Nonno, dicens: aliquando, antequam pulsaret nocturnum lignum, jacens ego in lectulo meo, audivi quemdam dicentem quieta voce *Kyrie eleison* quinquaginta. Et volui scire quis esset, qui pronunciavit. Ac per fenestram cellulae meae aspiciens in ecclesiam, video senem incumbentem in genua sua et stellam praelucidam super caput ejus: quae luce sua ostendebat mihi quis esset senex. Et in n. 74. Alius autem quaedam de senibus ipsius coenobii narravit nobis de eodem abbate Nonno, dixitque: quodam tempore antequam pulsaret lignum, egressus de cella mea ibam ad ecclesiam, et aspicio senem stantem ante ecclesiam, et habentem ambas manus in coelum extensas atque orantem. Lucebant autem manus ejus quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi. » Leontius byzantinus monachus, de quo infra, Nonnum vocat virum religiosum et divinum, Nestorio et Eutycheti infensissimum. His itaque comparatis narrationibus ex Cyrillo et Prato Spirituali circa abbatis Nonni religiosos sensus, lector judex esto: et judicando noverit, quibus se vicissim lacessivere conviciis monachi palaestinenses ob quaestiones inter ipsos exortas, postquam plures ex iis a fide chalcedonensi defecerant.

Item quoad scriptorum discrepantiam in quaestione origeniana, notentur quoque Cyrilli dicta de Macario Hierosolymorum episcopo. Is enim in n. 90. ait, Petro defuncto, cum Macarius temeritate neolauritarum sive origenistarum fuisset ordinatus, tumultu ideo excitato in Hierosolymis, Justinianum jussisse Macarium expelli ab episcopatu; et Eustochium in ejus locum ordinari. Victor vero tununensis anno 37. imperii Justiniani subdit « Eustochius hierosolymitanus episcopus, qui fuerat, Macario superstite, ordinatus, ejicitur, et rursus Macarius reformatur. » Quinimmo Theophanes scribit Macarium legitime ordinatum, per fraudem et calumniam a Sede sua expulsum. Alibi addit: « Eustochius veniens Hierosolymam prae odio, quo adversus Apollinarium, Agathonem et Macarium flagrabat, Novae Laurae monachos expulit tanquam origenistas. Quamobrem et ipse ejectus est, et Macarius in suam Sedem restitutus. »

Hinc arguas quantum Cyrilli narratio discordet a Victoris et Theophanis dictis. Unus idest Cyrillus ceu origenistarum fautorem condemnat Macarium, ac ideo ab episcopatu expulsum ait, in cujus locum suffectus est Eustochius. Theophanes vero per fraudem asserit expulsum Macarium, ac ideo postea hunc revocatum, semoto Eustochio. Quod sibi vult, Macarium non fuisse haereticum, neque praesumptos professum Origenis errores, sed Origeni orthodoxo patrocinatum esse. Baronius porro sub an. 546. n. 71. ex auctoritate Surii die 23. IXbris in vita s. Gregorii agrigentini, Macarium vocat virum sanctum dono prophetiae ditatum: et ait quae adversus eum dicta sunt, ex levitate potius quam ex veritate processisse. Insuper addas adversus Cyrilli narrationem: cum in postremo loco ait, finem habuisse bellum adversus pietatem ob origenistarum expulsionem, citati Scriptores contra asserunt, Eustochio amoto ab episcopatu, Macarium praesumptum origenistam restitutum fuisse in propriam Sedem.

Similiter Cyrillus Theodorum Caesareae lue Origenismi infectum ac origenistarum protectorem repraesentat. Ex adverso hujus Theodori mentio recitatur in Synodo Hierosolymis adunata adversus acephalos: quorum ipse adhuc diaconus damnationi subscripsit per libellum ad Mennam datum, his verbis: *Theodorus diaconus et monachus Novae Laurae faciens sermonem pro omnibus monachis Eremi Hierosolymorum subscripsi et obtuli.* Deinde in dogmate catholico perseverans eadem sancta aemulatione munere episcopali functus, ac trium Capitulorum acerrimus hostis, oecumenico Concilio quinto subscripsit: *Theodorus religiosissimus Caesareae primae Cappadociae episcopus.*

Nihilominus corripitur Theodorus Caesareae ut origenista et hinc haereticus ab Evagrio in praefato testimonio cum dixerit: *Si nunc Apostoli et martyres miracula efficiunt, et in tanto honore sunt, ἐν τῇ ἀποκατάστασι in restitutione in pristinum, seu in regeneratione, nisi aequales sint Christo, qualis regeneratio sive resurrectio eis est?* Haec verba etsi tam breviter dictata, ut non pateant luculenter, quae praemisit Theodorus de resurrectione, sive melius de regeneratione in

futuro seculo, attamen mihi videntur explananda juxta docrinam priscorum Patrum jam in Parte I. diuturna discussione expositam, et quidem secundum catholicum sensum: quamvis posteri et praesertim a Concilii V. aetate, in monasteriis Palaestinae Barsanuphius aliique cum eo monachi ac deinde Evagrius in pravum sensum converterint.

Et sane Theodori mens in eo sermone fere verbotenus eruta videtur et insuper explanata a s. Gregorio nysseno in Oratione *De mortuis* prope finem: « Unum, ait, fore omnium genus, unumque Christi corpus futuros omnes; atque unam omnibus formam imprimendam, divina in cunctis imagine aequaliter elucescente, non ambigimus. » Quae verba Apostoli sententiam intendunt, ubi ad Corinthios I. c. XV. 22. 49. docet: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* Ideo, quae Barsanuphius, ceterique cum eo monachi ac deinde Evagrius Scholasticus corripienda putarunt in Theodoro Ascida sicuti et in Origene de regenerationis aut resurrectionis dogmate, non nisi ab illorum ignorantia repetenda sunt in veterum Patrum exponendis dictis juxta apostolicam sententiam de resurrectione mortuorum. Quorum dicta aut non intellexerunt, aut falsarunt, sicuti antea factum esse probavi ab Origenis adversariis in ejusdem refutanda doctrina et praesertim a Theophili alexandrini aetate.

De reliquo, cum deinde in novissima discussione Justiniani imperatoris sincera et orthodoxa asserta fuerit fides, in qua pie defunctus est, Theodori quoque monachi ac postea Caesareae Cappadociae episcopi, qui in omnibus ad Principis latus adstitit consiliarius, revelabitur quoque fides orthodoxa una cum eximia priscorum Ecclesiae Patrum eruditione, qua tunc valde excelluit: quamvis vehementi studio impetitus fuerit a trium Capitulorum defensoribus, et ab Origenis hostibus calumniis undequaque exagitatus.

Item de Domitiano monasterii Martyrii praefecto, quem Cyrillus pravo Origenismi dogmate imbutum dicit, eumque per hypocrisim ad episcopatum regionis Galatiae ascendisse circa hoc idem tempus, de eo mentio legitur in Concilio hie-

rosolymitano contra acephalos veluti chalcedonensis fidei studioso, hac subscriptione : *Domitianus presbyter et archimandrita monasterii beati Martyrii, faciens sermonem pro omnibus monachis de Eremo sub sancta Civitate subscripsi et dedi*. S. Ephraemius Domitianum vocat virum orthodoxum. Illud dein mirum est de praefatis viris Domitiano et Theodoro Caesareae Cappadociae episcopo, quod Timotheus presbyter hanc circa aetatem vivens, in Libro *De receptione haereticorum*, brevi collata narratione de sectis, in quibus tunc acephalorum schola dividebatur, idest qui repudiabant Synodum chalcedonensem, plures quidem memoret eosdem a Cyrillo notatos : attamen nomina Theodori et Domitiani ex primoribus, qui tunc schismata fovere a Cyrillo dicuntur in Ecclesia, silentio omnino praeterivit.

Similiter de Leontio dicendum nobis est, quem Cyrillus, n. 72. inter haereticos origenistas collocat, et simulantes tuitionem Synodi chalcedonensis : « Quidam byzantinus genere, nomine Leontius, ait, unus eorum, qui cum Nonno in Novam Lauram post Agapeti hegumeni mortem suscepti fuere, inventus est Origenis dogmata defendere. Nam simulando Concilii chalcedonensis tuitionem, cum Origene sentire agnitus est..» Hic Leontius byzantinus monachus, de quo agimus (alter penitus et aetate et fidei professione a Leontio scholastico sive causidico primum, deinde monacho Synodi quintae adversario, qui vixit circa tempora s. Gregorii Magni et scripsit de Sectis) opus contexuit adversus Nestorium et Eutychetem. Iste, inquam, Leontius, quem Cyrillus vellicat, ut Origenis erroribus imbutum, citatur inter monachos orthodoxos per istud tempus an. 536. adstantes Synodo hierosolymitanae contra acephalos; quorum subscripsit damnationi his verbis: *Leontius Dei miseratione monachus et prior proprii monasterii faciens sermonem pro his, qui in Eremo sunt, sanctis patribus supplex subscripsi*. Leontium istum celebrat s. Germanus in Spicilegio car. Angeli Maji Tomo VII. n. 33. « Sed Leontius, inquit, Eremi monachus acceptissimum librum composuit, Synodi (chalcedonensis) patrocinio suscepto; multaque in eo recitavit testimonia pro vocabulo *dualitatis* : cui libro titulus *Leontia* adhaesit. »

Et in hoc sane libro Leontius studiosissime Synodi chalcedonensis decreta adversus ejus expugnatores vindicat, non simulate, uti injuriose supponit Cyrillus, sed sincerissime ac firmissime. Et ob hanc animi sui alacritatem adversariorum hypocrisim patefecit, quam isti ei exprobrabant et speciatim ob Theodorum mopsuestenum; cujus inter primos confutavit impietatem et perfidiam. Quamobrem in Prologo scribebat: « Tertius liber continet confutationem eorum, qui simulant se tenere magnam et oecumenicam Synodum chalcedonensem, et sunt nestoriani. Hi, sicut reliqui haereseos sectatores, videntur divinas Scripturas et superiores Synodos recipere, non quidem quod secundum eas sentiant; sed ut impietatem suam ad decipiendos simpliciores hac simulatione tegant . . . . . Sic etiam simulant sanctam Synodum chalcedonensem, tum ut gravi auctoritate personarum ejus impietatem suam celent, tum ut viam sibi muniant ad oppugnandam veritatem. Quorum versutiam cum impietate implicatam, cum detegere ac prodere vellemus, ad primos Patres ejus impietatis confutationem revocavimus. » Hinc videas Leontium traditionis apostolicae sectatorem ejusque orthodoxum sensum.

Et in Libro III. adversus defensores Mopsuesteni Leontius n. 41. ait: « Solius enim impietatis Pauli, Marcelli, Photini, Nestorii et Theodori erat sic sentire; quia per te Christum hominem tantum esse definierunt. Quod quidem unusquisque private et in commune omnes divini Ecclesiae magistri concordi sententia accusarunt et exploserunt: ac maxime postrema omnium Synodus chalcedonensis, quae sanctarum Synodorum antegressarum sigillum et obsignatio est. Ea vestrum propugnaculum impietatis funditus evertit; symbolum fidei roboravit. » Alibi ex ipsius Theodori libris plura collegit testimonia Leontius, ut ostenderet, se nihil contra Theodorum finxisse, aut contra eos, qui cum ipso sentiebant. Et sic de illius erroribus omnino se conscium facit, uti eisdem se penitus aversatum ostendit.

Cum itaque tam luculenta testimonia pro Leontii integra fide et sanctitate praeluceant, non nisi temere primo arguendum est, Cyrillum corripuisse eumdem, et exprobras-

se. Deinde nec est mirum, Cyrillum, aut alios, unde ea dicta iste decerpsit, praefatum virum sicuti et ceteros monachos conviciis ita contudisse; cum neminem lateat ex citatis Leontii libris, ipsum Theodoro mopsuesteno admodum esse adversatum, suasque perpetuo impias confutasse doctrinas, ejusque patronos: et cum insuper in Libro III. n. 40. haud minus putet, sicuti et sui adversarii, falsa dogmata in sua scripta introduxisse Origenem, quamvis infinitis laudibus ipsum prosecutus fuisset Thaumaturgus.

Ita sane, postea quam Cyrilli dicta qui speciatim hujus temporis historiam discurrit, ac simul ea, quae Synodo quintae praecesserunt, vel in ipsa discussa, aut sunt subsecuta, exposui, nemo non videt, quantum ipsius narratio absit a ceteris praeclarissimorum et sanctissimorum virorum testimoniis, aut satius inquam, a sincera Ecclesiae traditione circa hanc Synodum: ubi de tribus Capitulis, praeviis disputationibus ad decem fere annos persistentibus magno fidelium scandalo, actum est a quavis seorsim quaestione. Dixi sanctissimorum virorum testimoniis, et quidem jure: Vigilius namque Papa, Pelagius I. Pelagius II. s. Gregorius Magnus, singuli de Synodi V. adunationis causa locuti, unanimiter limpide ac firmiter testati sunt, tria Capitula hunc provocasse episcoporum coetum, et per eosdem damnata. Justinianus imperator, Eutychius patriarcha haud secus dicunt; et praesertim Illyrici et Africae antistites eorumdem Capitulorum defensores antea et postea, etsi vehementer conquesti sint, praefata tantum tria Capitula fuisse in Synodo damnata asseverarunt.

His positis luculentissimis testimoniis, quis unquam Cyrilli placitis obsequetur, suisque sermonibus credet? qui, dum se illius aevi gestorum testem vocat, Synodi V. scopum attingens inquit, in ea Synodo damnatos fuisse Origenem, Evagrium, Didymum, eorumque sectatores; ac omnino transigendo silet praecipuam atque unicam quaestionem susceptam, summopere discussam ac definitam? Et quis umquam arbitretur, Cyrillum tunc viventem, aut oblitum, aut nescium fuisse hujus quaestionis, cum et Patres ad hanc convocatos Synodum citet nonnullos, quibuscum se versatum esse ait?

Ideoque concludendum est, Cyrillum Vitae s. Sabbae auctorem, fortasse ex iis trium Capitulorum patronis malitiose Synodi V. commutasse scopum in posterorum illusionem: aut longe post hujus Concilii aetatem, quemdam Cyrilli nomen usurpantem, quae sibi videbantur, scripsisse de hujus Synodi gestis, genuinam illius contemnentem historiam. Quomodocumque sit, sicuti nullimode est acceptanda hujus Cyrilli fides de Synodi V. Actis: pari jure dubitandum esse duco de omnibus ab ipso recensitis circa Origenis et origenistarum damnationem eo tempore exactam sub Menna, vel deinde in urbe constantinopolitana.

Denique circa Cyrilli auctoritatem in hac s. Sabbae sicuti et Euthymii conscribenda historia, duo supersunt notanda, quae lubenter lectoris sagacitati submitto. Et primum, Cyrillus in vita s. Euthymii n. 161. inquit: « Itaque cum incidissem in multos ex hujus Eremi patribus, qui partim recte audierant res Euthymii, partim et cum ipso beato Sabba conversati fuerant, quaecumque eorum unusquisque mihi de utrovis illorum narravit, omnia quidem accurate conscripsi, attamen confuse et inordinate. Tempore vero consequente, oecumenica quinta Synodus Constantinopoli congregata, et per eam Origenis et Nestorii dogmatibus anathemate percussis; cumque qui Novam Lauram tenuerant origenistae, illinc essent expulsi, rursusque in eam migrassent fideles et orthodoxi patres, ego permissu admirabilis Solitarii Joannis episcopi discedo a coenobio; et ipse etiam versor in hac Laura. Porro postquam ad eam transiissem, paternas litteras secutus, quae hortabantur me ut componerem historiam beatorum Euthymii et Sabbae, duos quidem annos deinceps continuos quievi in Laura et operi conscribendo incubui. »

Postea in n. 162. visionem narrat Cyrillus dicens seipsum, cum non posset orationis principium facere, quippe eruditione expers, et hinc perplexus et cogitabundus manu tenens chartam, in somno vidisse sanctos Euthymium et Sabbam inter se colloquentes, ac sollicitos auxilium praestare Cyrillo, Et ob hoc subdit, s. Euthymium, manu immissa in sinum, argenteum quemdam alabastrum illinc sumpsisse. In quo cum

specillum intinxisset, ter in os immisisse Cyrilli; et ita expletus hac divina suavitate, opus se inchoasse dicit. Et revera, ut ipse fatetur Cyrillus, in somno somniando non tantum confuse et inordinate haec omnia scripsisse, sed et falsitatibus conserta, ac ideo ignominia et calumniis eum affecisse probatur sanctos monachos et episcopos orthodoxos, qui in Ecclesia fide sincera et pietate excelluerunt, de quibus infra.

Ac interea cum Cyrillus s. Euthymium et Sabbam olim defunctos encomiis celebret, utriusque sanctitatem ego ipse valde miror et colo, sicut honorat Ecclesia Catholica. Narrationes vero de Origenismo, quibus hanc suam inspersit historiam Cyrillus, valde suspectas habeo propter errores ibi admissos. Haec porro suspicio (quod in secundo loco considerandum est) roboratur ac invalescit, ex quo de se ait Cyrillus Cononis parti communicare. Cujus virtutes celebrat, asserens Maximae Laurae rectorem ex divina inspiratione electum, a Deo illuc deductum, ac divina certamina strenue gerentem, et ob hoc praesumptos origenistas per viros gregis sui fuisse confutatos; ac paulo post de Isidoro scribit ipsum ad abbatem Cononem gregis nostri pastorem transiisse. Ac demum n. 90. subdit origenistarum impietatem per libellum Justiniano patefactam, Cononis abbatis studio a monasterio Novae Laurae pulsos fuisse origenistas, et ipsum ibi cum aliis eo translatis, habitasse.

Ceterum nemo non viderit quanti sit faciendum Cyrilli testimonium, dummodo consideretur quali temeritate ipse pios sinceros et orthodoxos viros Nonnum, Leontium, Theodorum Caesareae Cappadociae, et Domitianum conviciis exagitet, quasi impietatum adsertores. Ac praeterea non est omittendum, illum Cononem, cui ipse adhaerebat, inter eos ab Evagrio censeri Constantinopolim ad Justinianum profectos una cum aliis monachis, ut agerent pro Eustochio Hierosolymorum episcopo. Contra quos stetit Theodorus asserens inique expulsos Macarium ab episcopatu, ceterosque monachos tanquam origenistas. Et in hoc nobis suffragatur Theophanes per fraudem inquiens expulsum Macarium, ac ideo paulo post, dimisso Eustochio, ipsum ad suam Sedem resti-

tutum. Quando enim ait Theophanes per fraudem fuisse expulsum Macarium, ac denuo ideo vocatum ad episcopatum, abjecto Eustochio, dubitandum est, num Macarius et qui cum eo, de Origenismo insimulati, reapse tales errores tenuerint, et an potius fuerint ab his immunes.

Dubium vero in nobis augetur, ita ut innocui habeantur, si consideretur, praeter ea, quae superius expensa sunt de praesumptis monachis origenistis, et haereseos principibus Nonno, Leontio, Theodoro, et Domitiano, quod Cyrillus addiderit de Eusebio papa origenistarum patrono. De hoc presbytero veluti lucerna ardenti in Ecclesia Dei loquitur Justinianus, ipsum vocans virum Deo amantissimum. Ac praesertim Mennas in epistola ad Petrum hierosolymitanum de Severi, Zoarae et aliorum acephalorum damnatione circa annum 536: « Maxime, inquit, communis frater immo communis benefactor Deo amantissimus presbyter Eusebius (veritatem dico et non mentior) magnus generaliter; et continuus de vobis sermo est, maxime ob ipsius sanctitatem etc. »

Cum itaque eo ipso tempore Mennas et Justinianus Eusebii sanctitatem virtutemque celebrent, vix ille existimandus videtur homo simplex, et nihil de haeresi origenistarum sciens, ita ut partes susceperit coram Justiniano monachorum, quos Cyrillus haereticos habuit. Quapropter, si partes praefatorum monachorum susceperit Eusebius, indicat sane ipsos una cum Eusebio acephalorum erroribus adversatos, recta sensisse; ac simul quae de et pro Origene arbitrati sunt Nonnus, Leontius ceterique (si reapse de eo viro quaedam animadverterint) diversimode acceptanda esse ab impietatibus; quas nec ipse Origenes scripsit unquam, nec ipsius defensores professi sunt. Demum quando Cyrillus, cunctis huc redactis animadversionibus de ipsius scriptis historiae sincerae collatis, quando, inquam, Cyrillus se omnia confuse ait, et inordinate scripsisse, consequitur tantum egisse, quantum necesse erat, ut ostenderet, nullius auctoritatis facienda esse, quae ex superna visione finxit se scripto mandasse. Et, cum amplius in Prologo ad Vitam s. Euthymii rogat, ut omnes, qui ea lecturi essent, sive lecta audierint, fidem lectis adhiberent, nobis solidius praebetur argumentum de suis ambigendi narrationibus.

Haec porro non ipse solus vidi sed et Cotelerius, qui hanc Cyrilli historiam vertit recensuitque in Tomo III. *Monumentorum Ecclesiae Graecae* p. 574 : « Neque vero necesse est, ut quidquam dicamus de Cyrillo scytopolita; cum ipse tam in hac Vita, quam in illa Euthymii, et illa Joannis hesychastae de se locutus fuerit, cum notissimus sit ex doctorum hominum elogiis, qui certatim in laudes illius tanquam accurati et diligentis scriptoris, optimique historici efferuntur. Quare merebatur pro virtutibus suis, ut minus a Simeone Metaphraste contaminaretur. Poterat quidem, si ita videbatur, minus graeca mutare, licet graeco-barbara non careant sua utilitate; nec desint auctores, unde purior graecitas petatur. Sed cur (nihil dico de additionibus et mutationibus) quam plurima historica magnique momenti et scitu dignissima detraxerit, rationem et excusationem nequaquam video. Et tamen, ut solet fortuna deterioribus favere, metaphrasteam Sabbae Vitam multi codices hujus Urbis continent. Cyrillianam autem in unico nactus sum, eo quidem bonae notae, sed proh dolor per mucorem corrupto et exeso. Unde coactus sum ex sensu et conjectura, ex vestigiis scripturae, et metaphrasi, et citationibus supplere, quando licuit ac inter uncos pro more supplementa collocare : quae tunc fixam sedem habitura sunt, ubi per aliud quodquam exemplar firmabuntur. »

Quoad vero hanc, quam tenent opinionem Evagrius historicus et Cyrillus monachus ceterique posteriores, Origenem nimirum et Evagrium ac Didymum in Synodo V. damnatos fuisse (quam sententiam ab initio confutavi) cl. vir Le Quien in Opere inscripto *Oriens Christianus* Tomo III. p. 211. disserens de Origenis intrusione in istius Synodi Canone XI. haec scribit : « Non igitur sine causa suspicari possumus haec, quae Evagrius, Theophanes, et Cedrenus gesta esse dicunt in quinta Synodo adversus Origenem, diu post illam Synodum adjecta esse ob argumenti similitudinem ; non tamen in ea Synodo acta fuisse. Sic etiam gesta Synodi constantinopolitanae sub Menna adversus Anthimum et Zoaram annum 536. huic Synodo V. subjici solebant, ut testatur Photius in Bibliotheca. » Et hinc similiter non est mirum si insu-

per de isochristorum secta et damnatione actum esse praesumit idem Evagrius in eodem Concilio V. cui sectae participare putavit Theodorum Ascidam: in qua re bis fallitur Evagrius.

Porro excutiendum superest, quare, uti ex Evagrii loco citato et ex Cyrillo patet, tam acriter inter se contenderent praesertim monachi palaestinenses circa Origenem ejusque scripta, alii hunc defendentes, expugnantes alii: et quare inter hos viri pietate censeantur conspicui et fide, Origenis partes suscipientes, aut saltem videantur erga ipsum studiosi. Et ita quidem Evagrius inquit, expulsos monachos tanquam origenistas a monasteriis, susceptos fuisse a Theodoro Caesareae, et coram Justiniano ab ipso defensos; qui ideo *injustitiam et impietatem vocavit, quod gestum erat adversus monachos.* Hoc idem notavit Cyrillus, contradictiones inter monachos et mutuas inde vexationes indicans, sicuti et alios sanctos et doctos citavit viros in eadem quaestione contendentes.

Verumtamen cum ex citatis scriptoribus haud satis clarescat, quid tunc explicite actum sit inter monachos, quippe uterque admodum Origeni adversaretur, necesse est aliunde realem quaestionis statum repetere, ut sic obscuritati consulamus. Timotheus circa illud tempus libellum edidit *De receptione haereticorum*, in quo speciatim notat *haesitantium* haeresim Synodi chalcedonensis hostium, qui postea in duodecim sectas divisi sunt. Porro in n. XI. haec de severitis scribit.

« Iidem in sermonibus, qui ad Trinitatem pertinent, concinunt cum cononitis; ac tritheitae ab angelitis et paulianistis nominantur: quos ipsi modo nuncupant sabellianos modo tetraditas. Verum in his, quae spectant ad consummationem visibilis mundi hujus et ad resurrectionem mortuorum, contraria ac cononitae tenentur sententia. Et cononitae quidem hos philoponiacos appellant sadducaeos, simonianos, gentiles, valentinianos, marcionistas, manichaeos. Rursus et philoponiaci eisdem nominibus haereticorum et paganorum cononitas donant, eosque nominant graecos, manichaeos, simonianos, valentinianos, marcionistas, et hermo-

genistas. Quae quidem nomina philoponiaci imponunt cononitis, objicientes illis similiter materiam sensibilis hujus mundi carere interitu. Quaeque eadem nomina cononitae praedicant de philoponiacis, quod non confiteantur horum corporum resurrectionem. Ad haec utrique philoponiaci et cononitae se invicem origenistas vocant. Nam cum invenerint philoponiaci in libris Origenis eamdem materiam in futuro reformari, ideoque eorumdem corporum resurrectionem fore, cononitas appellarunt origenistas. Contra vero cononitae nacti in eodem Origene aliorum corporum resurrectionem (est enim in sententiis inconstans vir) philoponiacis origenistarum nomen indiderunt. »

De his conferatur, quem Gallandius in Tomo XI. *Bibliothecae Patrum* edidit Dialogum Barsanuphii inter haereticos severitas nuncupati ab Anastasio antiocheno. In quo Dialogo inani argumentatione Origenis, Evagrii ac Didymi dogmata de resurrectione et de restitutione confutare praesumpsit. Similiter cum ait Timotheus, Origenem inconstantem fuisse in sententia de resurrectione, nec ipsum probe mentem Auctoris assecutum esse patet, uti in prima et secunda Parte satisfecimus, genuinis expeditis ipsius dictis de hoc dogmate.

Ex his interim accipito quomodo origeniana quaestio instaurata sit inter haereticos post Synodum chalcedonensem. Qui quidem cum haud satis Origenis sensum ex ejusdem libris comprehendissent, mutuis se lacessivere probrosis increpationibus: quemadmodum Cyrillus n. 89. actum esse ait in monasteriis Palaestinae. Quas tamen quaestiones Timotheus haereticorum relinquens disputationibus, orthodoxis commendavit Synodum chalcedonensem sicuti alteram V. constantinopolitanam. *Quae robore et firmitate,* ait, *auxit sanctas et generales quatuor Synodos ipsam praecedentes earumque dogmata*: ac ita inde quodcumque excludens judicium adversus origenistas.

Hoc autem patentius eruitur e Libro Stephani cognomento Gobari, quem citat Photius in Cod. 232: « Hoc Opus, inquit, magni videbatur laboris; fructum vero non aequalem operae tulit. Ipsa capita, quae tractat, quaeque in communes et ecclesiasticas quaestiones retulit, nimirum quinqua-

ginta duo erant, paucis his adjectis particularibus. Haec duplices sententias includunt; et non solum duplices, sed etiam repugnantes. Sententias vero has non argumentis nec verbis Sacrae Scripturae confirmavit; *sed testimoniis tantum*, ut scriptor putavit, *variorum Patrum*, *quorum alia sententiam Ecclesiae*, *alia contrariam continebant*. Contrarium quidem antiqua testimonia et antiquorum hominum non multum de certa sententia laborantium asseruerunt, quorum aliqua non amplexi sunt: sed tamen ei, qui haec collegit, amplecti visi sunt. Ecclesiasticam vero opinionem confirmant testimonia virorum, qui vera senserunt. Haec autem sunt capita, de quibus per testimonia duplex et contraria sententia proponitur.» In his porro capitibus plura sunt, de quibus contendebant tunc sensisse Origenem, juxta alios affirmative, juxta alios negative. Ex. g. de resurrectione, de animae humanae creatione, de reproborum poenis, de angelis rebellibus in animas hominum conversis etc. Deinde in aliis 18. capitibus recenset priscorum patrum sententias, in quibus notat plures valde celebrare Origenem, ac nonnullos adversari.

Ab hac Gobari tritheitae expositione patet quid ab aevo Justiniani et ante Synodum V. praesertim inter haereticos haesitantes disputatum sit de Origenis doctrina. Ubi scilicet sicuti varios et oppositos sensus e genuinis et spuriis ejusdem scriptis deduxerunt contendentes; ita pro et contra Origenem mutua certamina sustinuerunt: quemadmodum dicit Cyrillus de nonnullis monachis palaestinensibus; qui a defensoribus Origenis expulsi a monasteriis, ad Ephraemium antiochenum episcopum confugerunt. Qui, cum ipsum antea errores Origenis vel libri eos capientes laterent, Antipatri libello eidem porrecto, publico Synodico anathemati subjecit. Et quid vel quales Origenis libros monachi porrexerunt Ephraemio damnandos? Non omnia profecto, quae scripsit volumina Origenes pene infinita, obtulerunt Episcopo antiocheno: verum illud syntagma blasphemiarum et fabularum a malevolis congestum in Origenis odium; de quo s. Pamphilus in Apologetico loquitur. Quodque ab ipsius aevo ecclesias pervadens Orientis ad manus devenit s. Methodii; qui non satis providus, talium impietatum revera adsertorem

putavit Origenem. Quamvis deinde in se factum Methodium palinodiam cecinisse comperimus, uti superius in Parte III. dictum est.

Attamen si Methodius resipuit, non ideo cessarunt nec ipsi libelli, nec obtrectantium linguae, nec illusores, nec illusi. Et sane ab his libellis Epiphanius, Theophilus, et Hieronymus improvidi easdem colligentes criminationes, Origenem ejusque scripta anathemati subjecerunt. Item ab eisdem libellis, ineunte seculo V. ut dixi, Antipater malitiae nescius ibi occultatae, eadem putavit de Origene. Cujus opus monachi palaestinenses obtulerunt Ephraemio; qui pariter dicitur, adunata Synodo Antiochiae, innovasse anathema; et super illud opus calamo furtivo instructa fuit famosa Justiniano inscripta Epistola in Origenis odium ejusque defensorum; ubi, cum omnes explicite praesumpti errores resumantur et confutentur, manifestissime indicatur, praefatam Epistolam ex Antipatri Commentario regestam fuisse.

Hoc autem perspicue indicavit s. Germanus, quippe et ipse illusus, in Libro *De haeresibus et Synodis*, de Origene disputans, scribit, Methodium adversus eum insurrexisse, deinde Petrum alexandrinum, nec non Heraclam et Demetrium, aliosque nonnullos: « Sed enim doctissimus (nam quo alio titulo appellem nescio) Eusebius Pamphili patronus consurrexit, nugas ejus confirmans, aliosque errores, quos inter Arianismum et paganicarum fabularum futilitatem sub Apologiae specie defendens; quod intelligere possumus ex Commentario Antipatri bostrensis ea perspicue narrantis. » Heu quantas (reveritus, qui haec scripsit, viri sanctitatem) heu quantas commentus est falsitates Antipater in hoc libro! non solum ob eos, quos Origeni adjudicavit errores; sed et amplius nomina virorum repetens, ut ejusdem blasphemi fautorum: cum nec Origenes unquam blasphemarit; nec ceteros comperimus talia blasphemantes, Pamphilum martyrem et Eusebium. Nec item probatur Heraclam aliquando restitisse Origeni erranti; cum nec hic erravit, nec alter non errantem corripere potuerit.

Ex his igitur quisque sibi abundantius suaserit, quanti facienda sint tum Antipatri opus, tum Justiniani Epistola

super hoc opus, instructa; et praesertim anathema ideo in Origenem sancitum a Synodo dioecesana sub Ephraemio episcopo Antiochiae. Quod tamen anathema cum jure in hujusmodi errores jactum fuerit, quoad autem Origenis personam, cui inscribuntur, revocandum est Gelasii Papae decretum *De anathematis vinculo. Non erranti autem nec poena potest esse, quae non erranti non debetur inferri*: quemadmodum in praefatis discussionibus ample satisfecimus.

Novissime, ex his discussionibus circa Origenis errores in Palaestinae monasteriis innovatos, ac pluribus intentis testificationibus inter monachos ob eamdem causam exactis, et praesertim quae ait Evagrius historicus de Theodoro Caesareae damnationi resistente eorum, qui jure pro Origene pugnabant, mihi videretur, hujusmodi haeresis origeniana tunc invalescens, ad eamdem conditionem revocanda; in qua a Theophili alexandrini aetate statuimus, scilicet ad calumniosam insimulationem adversus eos, qui Origenem orthodoxum vindicarunt. Monachos nitrienses dico, s. Joannem Chrysostomum, s. Theotimum, Joannem hierosolymitanum, Ruffinum, et alios pios viros. Quam insimulationem et quidem iniquam passi sunt postea, instante Synodo V. praefatus Theodorus antea monachus deinde episcopus Caesareae Cappadociae, Domitianus ancyranus, Macarius, Leontius, Nonnus, Eusebius, aliique; quorum omnium fidem orthodoxam ostendimus.

Et ideo, quemadmodum ab obitu seculi IV. patefecimus, tum Origenis haeresim et monachorum nitriensium instructam fuisse super perfidiam et illusionem: ita et, mediante seculo sexto, sub eisdem infaustis auspiciis renovatam fuisse tenendum est. Super perfidiam insto, ex eorum sane parte, qui, interpolatis Origenis libris, vel impiis scriptis sub ejusdem nomine vulgatis, pravorum dogmatum magistrum propalarunt fidelem virum. Item super illusionem dixi, ex illorum parte, qui putarunt, reapse Origenem impiae doctrinae fuisse auctorem, et qui ipsum defendebant, pari impietatis crimine reos: cum tamen nec Origenes erraverit, nec qui eum orthodoxum vindicarunt, hujusmodi communicarent erroribus. Quod similiter de praefatis viris Theodoro Caesareae,

Domitiano, Leontio, Nonno, Eusebio et sociis dicendum est, qui eamdem causam integra conscientia susceperunt.

Id quam maxime probatur ab eisdem adversariis: qui, cum non haberent, neque ex dictis, nec ex operibus patentibus, quomodo haereticos nuncuparent praedictos viros, se se receperunt ad hypocriseos criminationem. Facundus hermianensis in Libro I. c. II. quosdam ait tunc sub nomine christiano *latenter* in Ecclesia gentile Origenis dogma sectari. Cyrillus in praefata Vita s. Sabbae n. 36. et 72. scribit: « quosdam, vel quatuor quaedam Origenis tanquam virus sub labiis occultare, quorum unum Leontium. Item Nonnum pietatis simulatorem origenica dicit spargere semina. Similiter n. 83. inquit: « Theodorus Ascida Caesareae Cappadociae episcopus, Domitianus, Nonnus lue Origenis infecti, tamen hypocriseos malam sententiam obtexerunt. » Et hi sane sunt, quos uti Origenis haeretici patronos insectati sunt praesertim Facundus et Liberatus trium Capitulorum defensores anathematizati a Concilio V. Iidemque sunt, a quibus ait Cyrillus commotos esse Palaestinae monachos, alios adversus alios insurgentes: et ob hanc quaestionem amotum fuisse Macarium a Sede Hierosolymorum; et amplius Synodum congregatam esse Antiochiae sub Ephraemio contra praesumptos errores, exposito famoso Antipatri libello.

Nisi quod interea circumstantia instat et quidem non spernenda descripta a Theophane in Chronographia, ubi ait Macarium episcopum Hierosolymorum per fraudem et calumniam a sua sede expulsum fuisse, et cum eo alios monachos a Novae Laurae monasterio pariter ejectos. Attamen subdit postea Eustochium expulsum esse ab episcopatu Hierosolymorum, et Macarium in suam Sedem restitutum. In quo facto amplissime comprobatur calumnia, qua Macarius ipse et Theodorus Ascida, Domitianus, ceterique monachi cum eo sanctissimi viri impetiti fuerant, de Origenis haeresi insimulati. Quam tamen haeresim nec Origenes ipse, nec praefati monachi, neque tunc, nec alii unquam in Ecclesia professi fuerant. Quod luculentissime eruitur ad eisdem accusatoribus, qui etsi valde animose irruperint contra praedictos monachos, nihilominus in aperto haud ausi fuerunt

illos nuncupare haereticos. Quinimmo confessi, hos palam orthodoxam tenere doctrinam, tantummodo praesumpserunt hos incusare *occultos* et *latentes* haereseos propugnatores. Ex qua ingenua adversariorum confessione invalescit propositum nostrum pro orthodoxïa monachorum contra incusantium illusionem: ita ut in horum faciem obtestari cogamur, Deum solum occulta et latentia perscrutari, cui penetralia cordis hominum aperta sunt, ac secretae cogitationes: ideoque neque nobis, neque ipsis licere, quod in corde hominis latet, judicare, sed Deo hoc relinqui judicium.

Quibus omnibus firmatur conclusio in fine Partis tertiae obsignata, idest imaginarios fuisse Origenis errores, imaginariam origenistarum haeresim, et imaginarios quoque haereticos sensus, quos Facundus, Liberatus et Cyrillus confinxere in mente Theodori Caesareae, Domitiani, Leontii, Eusebii, Nonni, Macarii et aliorum sanctorum virorum. Insuper concludendum est, Cyrillum monachum, vel quisquis ille fuerit, ignarum penitus fuisse historiae Synodi V. quae nimirum a Patribus in ipsa discussa sunt et anathemati submissa, sive scripta, sive personae: ac demum cuncta, quae ait de quaestione origeniana, redigi in fabulosum commentum priscis superstructum calumniosis imputationibus adversus Origenem. Quapropter iste Homilia XXV. *in Lucam* valde conquerebatur, scribens: *Alii vero tractatus nostros calumniantes, ea sentire nos criminantur, quae nunquam sensisse nos novimus.*



CAPUT XXV.

Quid sentiendum sit de iis, quae post Synodum V. acta sunt adversus Eutychium episcopum constantinopolitanum in quaestione De Incorruptibili, *instantibus praecipue Theodoro Ascida Caesareae Cappadociae episcopo et Justiniano imperatore : unde hic ultimus culpatur haereticus, et in haeresi defunctus dicitur.*

Novissime circa Evagrii Scholastici et Cyrilli testimonia de Synodi V. Actis, ubi ipsi ajunt praeter tria Capitula, damnatos quoque Origenem, Evagrium monachum et Didymum, et amplius Theodorum Ascidam ob ea, quae scripsit de resurrectione, et ubi patentissime constat duos scriptores genuinum confudisse de tribus Capitulis scopum in ea Synodo intentum, addentes quae extra hoc Concilium permota sunt a monachis palaestinensibus, quaedam animadvertere placet, unde et quare praefati scriptores tanto studio insurrexerint adversus praefatum Theodorum Caesareae veluti cum Origene errantem.

Hoc autem non tantum ob Theodorum disceptandum duco ; sed praecipue ob Justinianum : qui quidem sicuti in quaestione trium Capitulorum, ita in hac haud orthodoxum nec probum videretur sese praestitisse virum. Hujusmodi porro insimulatio discutitur ab Eustathio in Vita s. Eutychii, cujus superius memini. Is enim explanatis, quae in Synodo cum aliis episcopis decreta sunt de tribus Capitulis, transit narraturus, quae duodecim circiter annos post Justiniano supervenere, inquiens ipsum lapsum in errorem *Incorruptibilium*, asserentium Christi corpus ante resurrectionem fuisse incorruptibile : « Cujus quidem, ait, improbae opinionis magistri execranda nugacis Origenis et Evagrii et Didymi dogmata defendebant ; quorum nomina libens praetereo... Isti igitur, ut dictum est, execrabilium et impiorum dogmatum studio simplicitatem Imperatoris perverterunt. Et sub *Incorrupti* occasione inique, ut monstrabitur, beatum virum (Eutychium) oppugnarunt. Hi autem, qui haec machinati

sunt, erant non solum ex eorum numero, qui plurimum valebant apud Imperatorem; verum etiam ex sacerdotibus, qui erant insignes, quique magnas gubernabant ecclesias. Qui Deo execrabiles ad supplicia detrusi sunt sempiterna. » Contra hos studiose dimicavit Eutychius, infausto tamen exitu.

Evagrius Scholasticus in Libro IV. Historiae Ecclesiasticae c. XXXIX. ait: « Justinianus scripsit id, quod romani *edictum* vocant: in quo corpus Domini incorruptibile appellat; et naturalium atque inculpabilium affectionum capax fuisse negat; Dominum ante passionem eodem modo comedisse dicens, quo post passionem comedit, cum sacrosanctum ejus corpus jam inde ex quo in utero formatum est, nullam conversionem aut mutationem nec in voluntariis et naturalibus perpessionibus, nec post resurrectionem acceperit. Porro Justinianus omnes ubique episcopos per vim cogere instituit ut huic opinioni assentirentur. » Deinde in c. I. Libri V. ob ea, quae adversus sacerdotes egit in hac quaestione Justinianus, dicit eum congruam mercedem referentem, ad parata apud inferos supplicia migrasse.

Illud autem singulare est, quod subjungit Historicus in c. IV. de edicto Justini Junioris, quod videtur subsecutum alteri Justiniani: « Huic, ait, edicto omnes quidem consensum suum accommodarunt, rectam in eo fidem ac doctrinam promulgatam esse dicentes; nullum tamen ex membris Ecclesiae, quae discissa fuerant, ad pristinam rediit unitatem: propterea quod disertis verbis edixerat Imperator, ut firmus atque immotus ecclesiarum status in posterum servaretur, sicut antea servatus fuerat. »

Qui vero Justiniani edicto summopere restiterunt, numerantur praefatus Eutychius constantinopolitanus et Anastasius antiochenus ambo ideo ab episcopatu semoti. Ac primo successit Joannes, secundo Gregorius. Joanne vero postea defuncto, Eutychius restituitur ad Sedem episcopalem, quem infra videbimus cum s. Gregorio Magno contendentem, de resurrectione. Victor in Chronico circa annum 39. Imperii Justiniani notat, tunc in Ecclesia excitatam quaestionem de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem, et Eutychium ideo exulasse. Item in Libello synodico sub

titulo *Synodus constantinopolitana haeretica*: « Sed o insidias diaboli: ad quae et quanta quotidie contra nos homines insurgit? Post aliquantum enim temporis ii, qui Juliani halicarnassei haeresim tuebantur, Imperatori seducto persuadent e coelo et omnino corruptionis expers esse Christi Jesu Domini nostri corpus. Convocata igitur haeretica Synodo, celebrem illum Eutychium, qui ipsis non assentiebatur in Amasiam exulatum ablegat; et Joannem antiochenum scholasticum, qui impietati illi adstipulabatur, in solium ecclesiae byzantinae collocat. »

Interim, priusquam discussionem ineamus, num Justinianus et cum eo episcopi revera haeresi *aphthardocetarum incorruptibilium* adhaeserint, praemittendus est edicti sensus; cujus etiamsi hucusque desideretur integritas ad planam rei notionem, attamen ingenue fatear nec Evagrium, neque Eustathium, nec qui Libellum synodicum compegit, edicti tenorem comprehendisse, quinimmo falsasse, ad haereticam consequentiam Justiniani mentem retorquentes. Summa edicti hanc praeferebat doctrinam, *Christi corpus ante resurrectionem ob unionem cum Verbo divino fuisse incorruptibile: tamen, ipso Verbo Dei permittente, subiisse corruptionem, proprias nimirum naturae humanae affectiones sive passiones tulisse absque peccato*. Alii ex adverso, Eutychius, Anastasius antiochenus, Leontius cum suis absolute asserebant, *Christum ante resurrectionem corruptibilem sive passibilem fuisse, non tamen secundum divinitatem; et eumdem pariter fuisse impassibilem, verum non secundum humanitatem*; ut concluderent secundum ipsum Anastasium, in Christo Deo et homine fuisse *passionem naturalem et impassibilitatem*.

Et haec est opinionis discrepantia, unde valde disputatum est et conclamatum contra Justinianum suosque consiliarios primores ecclesiarum Orientis episcopos uti haereticos, et in haeresi defunctos suppliciis multatos aeternis: quae postrema verba non nisi ab ignobili praesumptione repetenda sunt. Quamobrem antea contendentium scripta colligantur et conferantur, ut inde pateat, quo sensu dictatum fuerit et acceptum imperiale edictum *de incorruptibili Christi corpore ante resurrectionem*.

Et in primis, quod valde mirum est, nullibi hucusque apparet, Romanos Pontifices corripuisse Justiniani decretum, nec ipsum habuisse haereticum, nec episcopos esse damnatos eidem edicto communicantes: nec consequenter legitur uti haereticus ante obitum resipuisse Imperator. Nec multo minus constat, Joannem Scholasticum patriarcham constantinopolitanum, qui successit Eutychio ab episcopatu expulso, nec Gregorium antiochenum Anastasii exulis successorem, ut haereticos ab Ecclesia habitos et condemnatos, morem gerentes edicto imperiali. Sed e contra ab historiae monimentis eruitur, tres nuncupatos viros fidem professos orthodoxam, pro Ecclesia Catholica admodum elaborasse ac in eadem pie esse defunctos.

Et quoad Justinianum, hujus sicuti superius orthodoxiam et zelum pro fidei unitate perspeximus, atque animi integritatem in quaestione trium Capitulorum: ita et in hac similiter cum eodem fervore perrexit ac sincera fide, ita ut in Ecclesia Catholica pie ipsum supremam obiissé diem adversus insimulatores suos concludendum sit. In hac re vero satis nobis primum suffragantur Romanorum Pontificum testimonia in tanti Imperatoris commemoratione, et quidem eorumdem, qui ea ipsa Justiniani aetate vixerunt, Ecclesiae negotia tunc pertractata callentes apprime (in quibus Justiniani nomen et fides conserta fuerant) ejusque sensus religioses usque ad obitum propius agnovere. Et ex his primus Pelagius II. in epistola ad Eliam aquilejensem circa an. 586. inquit: « Per ea quae *piae memoriae* Justiniani principis temporibus acta sunt etc. » Deinde s. Gregorius Magnus in epistola 4. Libri III. scribit: « Dicunt enim *piae memoriae* Justiniani temporibus aliqua etc. » In hac epistola s. Pontifex valde extollit Justiniani fidem ejusque gesta in quaestione trium Capitulorum, sicuti antea patefecimus. Item in aliis epistolis hoc repetit Gregorius. Insuper s. Papam, uti ex suis epistolis ejusque historia eruitur, non latuit nec latere potuit, quod adversus Eutychium et Anastasium decretum est, praesertim cum apocrisiarii munus Constantinopoli obierit: attamen nec de ejusdem Justiniani in haeresim lapsu, nec de poenitentia animadvertit quidquam s. Pontifex.

Haec vero luculentissime firmantur ab epistola I. Agathonis ad Imperatores Heraclium et Tiberium an. 680. ubi ad eos sic loquitur: « Ut autem vestrae divinitus instructae pietati, quod apostolicae nostrae fidei vigor contineat, breviter intimemus, quam percepimus per apostolicam et apostolicorum Pontificum traditionem, et sanctarum quinque generalium Synodorum, per quas fundamenta Catholicae Christi Ecclesiae firmata ac stabilita sunt. Hic igitur status est evangelicae et apostolicae fidei et regularis traditio. » Deinde omnes et singulos recensens Ecclesiae Patres et Pontifices Romanos, qui duas manifeste dixerunt naturales operationes in Christo subdit: « Et prae omnibus aemulator verae et apostolicae fidei piae memoriae Justinianus augustus, cujus fidei rectitudo ὁπόσον ὑπὲρ τῆς εἰλικρινοῦς ὁμολογίας τῷ Θεῷ ἤρεσε, τοσοῦτον τὴν χριστιανικωτάτην πολιτείαν ὕψωσε quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum rempublicam christianam magnificavit. Et utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur; cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur: quorum unum, quod ad Zoilum alexandrinum praesulem adversus acephalorum haeresim missum est, pro apostolica rectitudine satisfacere sufficiens; cum hac nostrae humilitatis suggestione vestrae tranquillissimae christianitati dirigentes per praesentium latores offerimus etc. »

Similiter alia ejusdem Papae epistola, subscripta a 125. episcopis, ad ipsos Imperatores, Justiniani pietatem et zelum celebrat, quippe, uti Constantinus, Theodosius et Marcianus, orthodoxam propugnavit fidem: « Siculi, inquit, et novissimi quidem praestantissimi magni illius Justiniani, cujus ut virtus, ita et pietas omnia in meliorem ordinem instauravit. » Et hoc statuit Odilbertus archiepiscopus mediolanensis in litteris ad Carolum Magnum: ubi christianos imperatores, qui ei praecessere, orthodoxae doctrinae aemulatores, divinoque zelo commotos memorat Constantinum, Theodosium Majorem, Marcianum et Justinianum: « Hi omnes, ait, ut Christianum populum ab omni erroris macula liberarent, divinitus inspirati, quia meritis et scientia praecellentes David sanctum imitantes etc. »

Ex his sane testificationibus, quibus episcopatus catholicus adhaesit, tam pro Justiniani orthodoxïa faciunt, ut cunctas videantur amovere in ipsum criminationes, non tantum de iis, quae superius egimus in trium Capitulorum historia, sed etiam quod refertur ad *Incorruptibilium* haeresim, ejusque in eadem usque ad mortem pervicaciam. Eoque magis quod ipse Papa Agatho absolute, nullo adposito discrimine, asseruerit, *Justiniani rectitudinem per augustissima ejus edicta toto orbe diffusam laudari.*

Istud porro sensit et Nicephorus in Libro XVII. c. XXXI. de praesumpta haeresi locutus: « Nonnulli, asserit, quidem illi (Justiniano) veniam concedunt; neque eum et talem opinionem itidem, ut haereses alias ab Ecclesia proscribendum esse dicunt. Id ex praefatione sextae Synodi liquet: quae Justinianum beata quiete dignatur verbis hujusmodi: Quandoquidem sanctae et oecumenicae duae Synodi, quae in imperante hac et religiosa Urbe coactae sunt, altera quidem Justiniani divinae memoriae temporibus, altera vero sub piae recordationis imperatoris nostri Constantini temporibus clementiae tuae parentis . . . . . Sed enim acta quoque ejus Concilii, quum mentio ejus facienda est, semper *eum, qui in sanctis est*, Justinianum dicunt. In quibus et scholium sive brevem annotationem inveni; quod Joannes Chalcedonis filius, quum Constantinopoli praeesset ecclesiae, Alexii Comneni aetate, in ipso s. Sophiae templo quotannis magnifice memoriam ejus celebraret, populi universi concione ad rem divinam coacta. Memoria ejus Ephesi quoque in delubro discipuli ejus, qui supra pectus Salvatoris recubuit, colitur: quod delubrum ipse Justinianus construxerat. Ceterum moriturus, sicuti divus Constantinus Athanasii, ita et hic Eutychii restitutionem in testamento Justino successori suo mandavit. » Quapropter cardinalis Baronius subdit, Justinianum in Ecclesia Catholica mortuum, tam apud graecos tam apud latinos ferri; ejusque memoriam die 2. Augusti in Menaeis graecorum haberi. Nec aliter putare licet, cum iste, quamdiu imperavit, admodum studiosus fuerit de fidei unitate in Ecclesia servanda; et ad christianorum schismata tollenda sollertissimam impenderit operam, ut idem fatetur Procopius. Et haec modo pro Justiniano sufficiant.

Nunc quaerendum est de Joanne Scholastico qui, semoto ab episcopatu constantinopolitano Eutychio ex Justiniani mandato, huic successit. Qui ideo Joannes ut haereticus et intrusus videretur nuncupandus, quippe assensum praebuit imperiali edicto *de Christi corporis incorruptibilitate ante resurrectionem*. Qui tamen, etsi mortuis Justiniano et Justino, in episcopatu perseveravit ad mortem usque: quo tempore Eutychius in suam sedem revocatus est.

Adversus hunc Joannem nullum hucusque reperitur reprehensionis indicium ex parte Romanorum Pontificum Joannis III. et Benedicti I. Christi Ecclesiam tunc regentium, tum quoad ipsius fidem, tum quoad ejusdem intrusionem in Sedem Constantinopoleos. Sed et amplius ab ipsius scriptis diversimode putandum foret, talem nempe virum haberi et catholicae fidei zelatorem, ac intentissimum in ecclesiastica disciplina custodienda. Cui propterea hoc perhibet Photius testimonium in Cod. 75. ubi ait: « Legi Joannis Philoponi libellum adversus ea, quae pro certo dogmate de sancta et consubstantiali Trinitate divine tradita sunt ab eo, qui inter sanctos est, Joanne Scholastico archiepiscopo constantinopolitano in Oratione sua catechetica, quam, Justino minore imperante, habuit Indictione prima. »

De reliquo nemo ignorat Joannis studium in colligendo a vetustis archiviis Synodorum generalium et peculiarium constituta, veluti fundamenta, ait, super quae Ecclesia eminebat, ac una pergebat in toto orbe diffusa. Et ob hoc in Praefatione Nomocanonis Tituli I. inquit: « Ad gloriam magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi ea, quae cum sanctorum et beatorum Apostolorum, et qui in singulis eorum Synodis vestigia sunt secuti, sanctorum Patrum, sacris canonibus juncta sunt e divinis novis constitutionibus, quae secundum Codicem a divinae sortis Justiniano promulgatae passim dispersae sunt, transcripsi. Quae quidem non solum orthodoxorum Patrum nostrorum canonibus consentaneae sunt; verum etiam ex imperiali potestate auctoritatem tribuunt, cum adjectione legitima atque Deo grata id, quod omni humanae creaturae conducit Deum imitando, undique circumspiciente. »

Item in Nomocanone Constitutionem 32. de moribus eorum qui ordinantur, interpretatus, inquit Joannes: « Sciendum est hanc Constitutionem apostolicis canonibus et sanctis Synodis adversari. Quod sicuti Apostoli et, qui post illos fuerunt, sancti Patres, sacerdotum mores ab avaritia alienos esse debere censuerunt: nosque omnes oportet Christi et ipsorum discipulos omnia, quae nobis praeclare tradiderunt, diligenter et sincere custodire. Verum si placet, hoc consideremus, hanc Imperatoris esse Constitutionem: qui cum omnes mundi res in sua potestate habeat, munera episcopis providit..... Deinde ait episcopum ordinantem non debere respicere ad munera; sed ad Deum respicientem accurate considerare eum, qui vere dignus est, eumque ordinare. Christi enim discipulus cum totum mundum abnegaverit ob praeclarum ipsius nomen, nihil habet, quod offerat praeter gratiam Sancti Spiritus, quem a dilecto Christo accepit. » Et haec docet Joannes, qui tam in Collectione Conciliorum, tam in Nomocanone summopere studuit Ecclesiae servare disciplinam ab Apostolis traditam, et eorumdem Apostolorum vitae vitam suam assimilare et aliorum, qui ad regimen ecclesiarum vocarentur. Hic est Joannes, qui coronavit Justinum; ac deinde consecravit Joannem alexandrinum episcopum, quin adversus eum permoveretur sollicitudo Romani Pontificis: et iste est, quem demum Photius collocat inter sanctos.

Similiter eadem animadversio cadit super Gregorium, qui ob eamdem causam, expulso Anastasio, cathedram antiochenam ascendit. De ipso tamen cl. Baronius sub an. 572. n. 19. citato Evagrii testimonio, inquit: « Sed et de eodem Gregorio laude dignissima tradunt: quibus appareat, eum minime fuisse violenter in Sedem Antiochiae intrusum, sed legitime electum; cum Anastasius fuisset in Synodo ab episcopis etsi non juste, aliqua tamen specie praetensa justitiae, legitime condemnatus. Alioquin quam meruisse potuit laudem intrusus? An non potius insectandus probris, qui ut fur et latro aliunde quam per ostium in ovile ovium ascendisset? Porro eumdem Gregorium etiam postea ex aliis rebus probe gestis summam gloriam esse assecutum infra dicetur. »

S. Gregorius Magnus in epistola 38. Libri IV. adversus Joannem episcopum constantinopolitanum (alterum ab eo, de quo supra) qui oecumenici nomen sibi vindicavit, inquit: « Et quid de hac re sanctae memoriae decessoris mei Pelagii gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus, quae apud vos de fratris quondam et consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissolvit etc. » Et in epistola 69. Libri VII. addit: « Quod beatae recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta ejusdem Synodi (praeter illa, quae illic de causa venerandae memoriae Gregorii episcopi antiocheni sunt habita) valida omnino districtione cassavit. »

Annos 24. Anastasius exul ab episcopatu vixit, ecclesiam antiochenam gubernante Gregorio. Hunc sane Gregorium, qui aut intrusi, aut saltem haeretici suspicione immunis vix videretur ob ea, quae Justinianus minus orthodoxa praesumitur edixisse de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem, hunc Gregorium fratrem suum et venerandum episcopum nominat s. Gregorius Magnus. Item ab Andrea cretensi et in Menaeis graecorum inter sanctos inscribitur Gregorius antiochenus. Igitur, quae praemisi testimonia circa Justiniani orthodoxïam et patriarcharum Joannis Scholastici et Gregorii antiocheni, insimulationem quodammodo excludunt eisdem inflictam, quasi gajanitis, sive julianistis communicarent in haeresi *aphthardocetarum* sive *incorruptibilium*, ita ut valde valde dubitandum sit de eo, quod adversus istos ajunt Eustathius presbyter et Evagrius.

Ceterum, dum haec in trium nuncupatorum gratiam loquor, nolo tamen ceteros, qui ab episcopatu semoti sunt, Eutychium et Anastasium redarguere haereticos. Hoc sane non asseram, eo magis quod ambos ex s. Gregorii Papae testimonio discimus in Ecclesia Catholica defunctos. De Eutychio Joannes diaconus in Vita beati Gregorii luculenter dicit, illum ab ipso Pontifice confutatum ob ea, quae asserebat de corpore nostro impalpabili resurrecturo, ut infra notabitur, hac publice emendata opinione, pie obiisse. De Anastasio vero antiocheno patriarcha idem s. Gregorius lo-

quitur, eum pium, fratrem suum, ac veneratione dignum vocans, praesertim in epistola VII. Libri I.

Dum autem haec expendimus de Eustathii narratione circa haeresim Justiniani et aliorum, idest Joannis Scholastici et Gregorii antiocheni, qui subscripsere edicto *de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem*, et cum Eustathius, ut vidimus, aliter sensit et scripsit de praefatis viris, quam ab historia, et a s. Gregorio speciatim statuitur; nec istud praetereundum est, ipsius Eustathii testimonium valde suspectum esse; quum in suo sermone penitus manifestetur hostis auctoritati s. Gregorii Papae, ut Eutychium defendat. Ac ideo alia omittit, alia contradicit, quae sincere a diacono Joanne recitantur circa disceptationem ejusdem Eutychii cum s. Pontifice, tunc Constantinopoli apocrisiario; nihilque subjicit de ipsius Eutychii retractatione ante obitum ob illusionem, quam passus est de Christi corpore et hinc nostro impalpabili post resurrectionem.

Ita namque hujus quaestionis historiam texit Joannes diaconus in Libro I. Vitae s. Gregorii Papae n. 28: « Praeterea venerabilis levita Gregorius in eadem Urbe regia constitutus, nascentem novam haeresim de statu nostrae resurrectionis cum ipso, quo orta est, initio, juvante gratia nostri Salvatoris attrivit. Siquidem Eutychius ejusdem civitatis episcopus, libro *De resurrectione mortuorum* confecto, dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria fore impalpabile, ventis aereque subtilius esse futurum. Quod Gregorius audiens, et ratione veritatis et exemplo dominicae resurrectionis probavit hoc dogma orthodoxae fidei omnimode esse contrarium. Catholica enim fides habet, quod corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae juxta exemplum dominici corporis; de quo a mortuis resuscitato dicit ipse discipulis: *palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere.*

« Cumque hoc evangelicae veritatis testimonium Gregorius protulisset, Eutychius ait: Idcirco hoc Dominus fecit ut dubitationem resurrectionis suae de discipulorum cordibus

amoveret. Cui Gregorius dixit: Mira res est valde quam adstruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda fuerunt a dubietate sanata. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni dubietate sunt reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit: unde fides discipulorum ejus est confirmata, inde nostra destruitur?

« Eutychius ait: Corpus palpabile habuit quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari poterit, in subtilitatem est aliquam redactum.

« Ad haec Gregorius respondit: Scriptum est: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Siquid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit mutari contra veridicam Pauli sententiam, Dominus rediit in mortem post resurrectionem. Quod quis dicere vel stultus praesumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem denegat?

« Tunc Eutychius objecit dicens: Cum scriptum sit: *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui Gregorius respondit: In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe dicitur juxta naturam, sicut scriptum est: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*. Et: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sunt caro*. Et sicut Psalmista ait: *memoratus est, quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens*. Unde et discipulis Paulus dicebat: *vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat: sed, quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: *quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, carnem secundum culpam intelligi voluit, non carnem secundum naturam etc.

«Tunc itaque Gregorius diaconus et Eutychius constantinopolitanus episcopus, hac de re in longam contentionem perducti, gravissima coeperunt ab invicem simultatione resilire. Tum piae memoriae Tiberius imperator secreto utrumque suscipiens, quid inter eos discordiae versaretur, agnovit: et utriusque partis allegationem subtiliter pensans, eumdem librum, quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo, videlicet piissimo Imperatore, ut simul egressi sunt, post longissimae disputationis conflictum, pariter aegrotantes in lectulum deciderunt etc.»

Haec autem, quae narrantur a Joanne diacono, acciderunt paulo post mortem Joannis Scholastici, cum Eutychius ab exilio revocatus, in Sedem constantinopolitanam restitutus est, imperante Tiberio. In qua narratione notat Joannes diaconus, ipsum Eutychium librum *De resurrectione* confecisse. Qui quidem alteri connectebatur quodammodo quaestioni de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem; quare, ut diximus, Eutychius restitit edicto imperiali, arbitratus in eo edicto contineri haeresim; proindeque eidem noluit subscribere. Ideoque videretur Eutychius in utraque quaestione, licet cum integritate cordis, ex nimio zelo veritatis terminos praetergressus; de quo inferius. Quod reliquum est, patet in hac cum s. Gregorio disputatione, Eutychium catholico adversatum esse dogmati et sic errasse, donec per s. Pontificem tunc apocrisiarium in se factus, librum, quem *De resurrectione* conscripserat, flammis tradidit comburendum.

Si vero quae putavit et scripsit Eutychius de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem et in libro *De resurrectione*, ignorantiae potius quam malitiae inscribenda sint: nihilominus, quae ipsius vitae auctor Eustáthius dicit, Justinianum et episcopos eidem consentientes, execranda propugnare dogmata nugacis Origenis, Evagrii et Didymi, ea prorsus falsitate laborant. Nemo enim ex his erravit, ut superius ostendimus. Sed in his erravit Eustathius sicuti tantumdem valde illusus est, disceptationem enarrans ejusdem Eutychii cum s. Gregorio de resurrectione carnis:

ubi Eutychium defendens, ceteros adversus eum dimicantes corripit, mente imperfectos nuncupans, hominesque stultos, non intelligentes, nec de quibus loquebatur Eutychius, nec quae affirmaret. Unde constat per hunc sermonem Eustathium, quamvis occultato nomine, vellicare s. Gregorium ceterosque pro ipso Gregorio stantes.

Sic namque Eustathius quaestionem de resurrectione a Gregorio habitam cum Eutychio notat, argumento sumpto de obitu ejusdem Eutychii, quem valde capiebat propinquum ut esset cum Christo, n. 88: « Qua quidem de re, ait, quotidie philosophabatur, et eadem, quae Basilius et Gregorius, sentiebat et loquebatur. Quorum unus: *carnem,* inquit, *despice, quae praeterit*: *animum cura*, *qui est immortalis.* Alter autem: *utinam,* inquit, *gravem hanc exuar tunicam, ut accipiam leviorem.* In his ille versatus, et semper haec meditans: et cum magnis Patribus ita vivens, ut non minus Basilii et Gregorium et magni Dionysii, et reliquorum sanctorum Patrum, Apostolorum et Prophetarum sermones et dogmata, quam aerem hunc, spiraret: tamen quibusdam mente imperfectis suspectus erat: quasi ab eis in resurrectionis ratione dissentiret; cum tamen homines stulti non intelligerent, nec de quibus loqueretur, nec quae affirmaret.

« Quid mirum est, si puerili mente praediti, sic de ipso sentirent, cum Dominus et Deus noster in digito Dei daemonia ejiciens, in principe daemoniorum ea ejicere putaretur? Quid de divo Paulo? Cum in Areopago de Jesu deque resurrectione loqueretur, nonne dictum est: quid vult nugator hic dicere? Quid, quod Basilius virtutum fundamentum, et Sancti Spiritus propugnator, ab imperfectis existimatus est, Deum esse Spiritum Sanctum non confiteri? Quae cum ita sint, non est mirum, si et de hoc sacro capite, magno divinoque viro Eutychio, qui fuit Ecclesiae columna et lumen, et venerandis Patribus similis omnino, tale quidquam suspicati sunt isti, qui resurrectionis rationem non capiunt. Absit enim ut rectis Ecclesiae sanctae et apostolicae dogmatibus contraria unquam senserit. Plenae sunt ejus orationes sententiis hac de re sanctorum Patrum: qualis est illa divi Gregorii. Inquit enim: siquis dicit Christum ita nunc depo-

suisse carnem, ut ab ea nudam divinitatem et esse et venturam asserat; is adventus ejus gloriam ne videat.

« Qui igitur fieri potest, ut cum hanc suis in sermonibus sententiam posuerit, ab illis discreparit? Neque enim aliter loquebatur et sentiebat. Absit: cor illi pravum nunquam fuit nec animus duplex. Non ignorabat, cum ex animo et corpore ita constemus, ut corporis ministerio et opera animus utatur, fore ut, si recte simul se gesserint, simul etiam bonis immortalibus perfruantur: et corpus, si afflictum fuerit et in servitutem redactum, supplicia simul cum anima vitet sempiterna. Utrumque enim simul aut coronatur, aut condemnatur. Oportet enim omnes sisti ante tribunal Christi, ut quisque recipiat quae per corpus gessit sive bonum sive malum. Nam utrumque in hac vita simul operatur: et utrumque ante Christi tribunal sistendum est etc. »

Collatis igitur et Joannis diaconi et Eustathii expositionibus, manifestum est primo illudi Evagrium Scholasticum, qui putavit discussam ac reprobatam fuisse in Concilio V. Theodori Ascidae Caesareae Cappadociae episcopi opinionem de resurrectione. In qua Synodo, ut vidimus, introducitur Theodorus ipse cum aliis defensor Origenis, Evagrii, et Didymi et hinc errorum, qui eisdem inscribuntur de resurrectione; quod sane falsum est, veluti in praemissis ostendimus. Item manifestum est, contra Evagrii narrationem, duodecim circiter annis post Concilium V. disputatum esse de resurrectione, in qua haud Theodorus erravit; sed Eutychius et qui cum eo Evagrius ceterique illusi sunt, veterum Ecclesiae patrum ignorantes, vel pervertentes doctrinam circa regenerationis ordinem in mundi fine.

Deinde pariter constat, quomodo Eustathius sensum perverterit quaestionis Eutychii cum s. Gregorio; ubi nec errores, nec palinodiam memoravit ejusdem Eutychii, quam publice ante obitum emisit, teste praedicto Diacono viro fideli. Quapropter non videbor illusus, si quodammodo putarem, ipsum Eustathium nec sincere quidem interpretatum esse Justiniani edictum de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem: atque si amplius auderem, cunctis expensis quae ait Eustathius, asserere, nec Justinianum,

nec praefatos patriarchas Joannem Scholasticum, et Gregorium antiochenum, nec ceteros episcopos, qui edicto subscripserunt, in errore versatos, nec ideo de haeresi arguendos esse: sed si potius horum adversarios inte rerrantes aut illusos collocandos fore existimarem.

Demum quod Evagrius Scholasticus praesumpsit de Justiniani haeretici obitu, poenisque ideo apud inferos multati aeternis, in utroque patefactis illusione et audacia Historici, Eichelius n. 47. adversus Procopii *Anecdota* sive Historiam, Arcanam, scribit: « Non crediderunt igitur eorum temporum Romani Pontifices, nec episcopi orientales, nec occidentales, ut verbis utar theologi Georgii Calixti *in Responsione ad Moguntinos*, Justiniani errorem, qui utique eis non poterat esse incognitus, fuisse capitalem, aut ipsum propterea ad supplicia justo Dei judicio apud inferos luenda profectum esse. Ex his itaque de virulentia, qua Evagrius adversus Justinianum usus est, judicium fieri non potest: qua adeo fuit abreptus, ut vel verum non cognoverit, vel quae ab aliis prodita, speciem saltem veri habebant, in immensum iverit exaggeratum. Testimonio itaque hujus scriptoris stare non possumus. » Quod quidem magis in sequentibus patefiet.



CAPUT XXVI.

Justini Junioris programmatis expenditur sensus, quocum luculenter explanatur quid sibi voluit Justinianus in edicto de incorruptibilitate, sive impassibilitate corporis Christi Jesu ante resurrectionem, veterum patrum de hac quaestione repetitis expeditisque testimoniis.

Cum haec in animo meo versarentur, undequaque circumspiciendo, quomodo assertum meum roborarem, primum studium meum verti ad Justiniani edictum, causas ejusdem rimatus, vel quibus argumentis usus sit; et adversus quos praecipue illud intenderit. Verum nil hucusque reperi, nisi quod ab Eustathio et ab Evagrio indicatum fuit, thema edicti *De incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem.* Cujus ob brevitatem etsi arduum sit comprehendere genuinam auctoris mentem, et quare inde via reserata sit contentionibus inter episcopos, pluresque illuderentur; attamen ejusdem conceptum in altero putavi investigari posse edicto Justini Junioris, quod primo subsecutum est annum circiter post Justiniani decessum, inquit Baronius: in quo nihil reprehendendum repererint scriptores ecclesiastici. Istud porro edictum Evagrius ad litteram inseruit Libro V. c. IV. Ecclesiasticae Historiae; cujus praecipuas partes hic transcribam nostro proposito accommodatas.

« Scribit Justinus ad omnes, qui ubique sunt, christianos πρόγραμμα edictum in haec verba: In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri, imperator Caesar Flavius Justinus etc. *Pacem meam do vobis*, ait Dominus Christus verus Deus noster *Pacem meam relinquo vobis*, idem Christus cunctis hominibus praedicat. Et istud nihil sane aliud sibi vult, quam ut omnes, qui in ipsum credunt, in unam eamdemque Ecclesiam conveniant, et in recta quidem christianorum fide inter se consentiant; aversentur autem eos, qui contraria dicunt, aut sentiant. Prima enim salus cunctis hominibus est constituta, rectae fidei confessio. Quocirca nos quoque evangelica praecepta et sacrum Symbolum, sive doctrinam sanctorum Patrum

sectantes, cunctos hortamur et ad unam eamdemque Ecclesiam ac sententiam se conferant, credentes in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem consubstantialem. »

Paucis interjectis de Trinitate, sequitur disserens de Incarnatione Filii Dei, qui est Dominus noster Jesus Christus: « Consubstantialis quidem Deo Patri quantum ad divinitatem, consubstantialis autem nobis quantum ad humanitatem; patibilis quidem carne, deitate vero impatibilis. Neque enim alium Deum Verbum, qui miracula perpetravit, et alium, qui passus est, agnoscimus; sed unum eumdemque confitemur Dominum nostrum Jesum Christum Dei Verbum incarnatum, et perfecte hominem factum, et unius ejusdemque esse tum miracula tum passiones, quas salutis nostrae causa, sua sponte sustinuit. Non enim homo aliquis seipsum tradidit pro nobis, sed ipsemet Deus Verbum, sine ulla conversione homo factus, spontaneam passionem ac mortem in carne pro nobis subiit.

« Unde dum unum eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum ex utraque natura, deitate scilicet atque humanitate compositum profitemur, confusionem non superinducimus unitioni. Non enim eo quod perinde ac nos, homo factus est, Deus esse desinet: nec rursus eo quod natura Deus est, et similitudinis nostrae haudquaquam capax, homo esse recusabit. Quippe, ut in humanitate Deus, sic in majestate divinitatis constitutus, manet nihilominus homo, utrumque simul existens unus, Deus scilicet atque homo Emmanuel . . . . . Deinde subdit : « Deum Verbum hoc est unam personam ex tribus divinitatis personis, non homini praeexistenti unitam esse, sed in utero dominae nostrae sanctae gloriosae Deiparae et semper Virginis Mariae sibi ipsi ex ea condidisse in propria persona carnem nobis consubstantialem, et eisdem omnino passionibus obnoxiam, praeterquam peccato, eamque anima rationali et intelligenti animatam. . . . . . .

« Quamobrem unum eumdem confitemur Christum, unam personam, unam subsistentiam, Deum simul et hominem. Omnes vero, qui aliter sentiunt, anathematizamus, et a sancta Catholica et Apostolica Dei Ecclesia alienos judicamus. Cum igitur recta dogmata, quae a sanctis Patribus tradita

sunt nobis, praedicentur, hortamur vos omnes ut in unam eamdemque Catholicam et Apostolicam Ecclesiam conveniatis: imo potius rogamus. Neque enim piget, tametsi in regali fastigio collocati simus, hujusmodi verbis uti pro consensu et adunatione omnium christianorum, ut una ab omnibus glorificatio tribuatur Deo optimo maximo, et Servatori nostro Jesu Christo; ac nemo deinceps inanem praetextum arripiens, circa personas aut syllabas rixetur. Siquidem syllabae ad unam eamdemque fidem et intelligentiam perducunt, eo, qui hactenus in sancta Catholica et Apostolica Dei Ecclesia obtinuit, more atque statu firmo et inconcusso in posterum perpetuo manente. »

« Huic edicto, subdit Evagrius, omnes quidem consensum suum accommodarunt, rectam in eo fidem ac doctrinam promulgatam esse dicentes. Nullum tamen ex membris Ecclesiae, quae discissa fuerant, ad pristinam rediit unitatem; propterea quod disertis verbis edixerat Imperator, ut firmus atque immotus ecclesiarum status servaretur in posterum, sicut antea servatus fuerat. »

Ab his interim subjectis huic edicto Evagrii assertionibus, Justinum arguitur alterum repetere a Justiniano paulo ante subscriptum; et hinc etiam causas in hoc ipso licet interpretari, quare hanc fidei professionem emiserit Justinus in assumptione imperii, mandavitque promulgari in ecclesiis; ut schismata nimirum tollerentur excitata propter ejusdem Justiniani decretum *de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem*. Et hoc amplius probatur ab his quae praemisit Evagrius initio Libri V. inquiens: « Primum vero edictum Justinus promulgavit: quo universi qui ubique erant congregati (*relegati* legit Nicephorus) sacerdotes ad suas sedes dimitterentur, ut consueto more divino cultui inservirent, nulla re circa fidem innovata. »

Cum itaque mandaret Justinus ad suas sedes dimittendos episcopos, illos comprehendit a Justiniano expulsos ob praefatam *incorruptibilium* quaestionem. Qui tamen, uti postea notavit Historicus in c. IV. in schismate permanentes, ad pristinam noluerunt redire unitatem. Quae cum ita sint, constat Justini edictum praecipue repraesentare alte-

rum a Justiniano subscriptum de eadem quaestione: quocum laboravit Justinus scissos episcopos ad consensum reducere, difficultatibus explanatis circa Christi corporis incorruptibilitatem ante resurrectionem, duabus in eo concurrentibus naturis divina et humana, impassibili et passibili: et propter quod *Verbum Dei sine ulla conversione homo factum spontaneam passionem ac mortem in carne pro nobis subiit.*

Et hoc item docuisse videtur Justinianus in praecedenti edicto: unde plures scandalizati sunt episcopi, existimantes (quod revera non admiserat) *aphthardocetarum* sive *incorruptibilium* placita comprobasse Imperatorem; et id fortasse ex dictionum obscuritate, vel ambiguitate, aut non satis expositis definitionis terminis. Ac ideo, inquam, ejusdem adversarii putarunt ad haeresim *incorruptibilium* ipsum accessisse: veluti ait Eustathius n. 36. summatim exprimens Justiniani sententiam, idest quod *Domini corpus ex conjunctione cum natura divina incorruptibile fuerit*; eamque trahens absolute ad haereticam conclusionem, a qua auctoris mens abhorrebat.

In hoc autem nobis satisfacit Leontius Scholasticus, qui quidem pulchre se callere ostendit hujus quaestionis terminos in Libro II. adversus *aphthardocetas*, ubi sub Dialogi specie eorum studuit confutare argumenta orthodoxorum, quos inquit se huic corruptae opinioni junxisse, defendentes Christi corpus ante resurrectionem fuisse incorruptibile: et in quo patet ipsum Leontium partes sequi Eutychii et aliorum; in quos Justinianus per suum edictum pugnavit. Antea vero novisse interest, quae reapse docebant hujus pravatae opinionis magistri gajanitae et julianistae; quibus adhaesisse reputantur Justinianus et maxima pars episcoporum: ut inde constet num isti hanc admiserint falsam doctrinam.

Timotheus presbyter *De Receptione haereticorum*, acephalorum sectas numerans n. 7. ait: « Ex his gajanitas seu julianistas, qui existimant a momento unionis corpus Domini omnimode esse incorruptibile. In n. 8. gajanitae seu julianistae alii, qui corpus Domini non omnimode incorruptibile censent: sed ajunt posse quidem corrumpi: nullatenus vero corruptum fuisse ob Verbi potentiam. In n. 9. gajanitae seu

Julianistae alii, qui non solum post unionem corpus Christi incorruptibile dicunt, sed et increatum fuisse. » Et haec sententia *incorruptibilium*. Verumtamen Justiniani doctrina in edicto expressa et a successore suo Justino per alterum edictum instaurata et explanata orthodoxe, immediate contradicit quod Eustathius, Evagrius et Auctor Libelli synodici interpretati sunt et deduxerunt uti haeresi gajanitarum vel julianistarum conterminum, et contrarium dogmati catholico.

Antea vero ad majorem ac necessariam rei perspicuitatem notandum est, duplicem significationem comprehendere vocabulum graecum φθορά *corruptibilitas*, unde αφθορά *incorruptibilitas*. Leontius *De sectis*, Actione X. n. 2. in hanc vocem scribit: « Sciendum vero est, proferri ab eis quasdam patrum auctoritates, quae incorruptibile corpus dicunt; sicuti et Cyrillum allegant his verbis: *nihil corruptibile suscepit caro Christi*. Sed quoties hujusmodi auctoritates proferunt, considerandum venit, aequivocum esse φθορᾶς corruptionis vocabulum. Nam sub hac voce *corruptio* dicitur plena dissolutio corporis in elementa, quibus componitur; itidemque corruptionem vocamus adfectiones, sive passiones illas humanas, ut esurire, sitire, quaeque sunt hujus generis alia. »

S. Joannes damascenus *De Fide Orthodoxa* Libro III. c. XXVIII. scribit: « τό τῆς φθορᾶς corruptionis nomen duo significat. Indicat enim humanas illas affectiones, famem, sitim, laborem, clavis factam confossionem, mortem, idest a corpore separationem. Juxta hanc significationem corpus Domini corruptibile dicimus: omnia enim ista sua sponte suscepit. Significat praeterea φθορά *corruptio* perfectam corporis in ea, ex quibus conflatum fuerat, elementa resolutionem et interitum: qui quidem a multis διαφθορά potius appellatur. Eam nequaquam corpus Domini sensit juxta illud Davidis: *quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem*. »

His positis, cuipiam obviam est, Justiniani edicti animadvertere sensum: quando docuit Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile fuisse, relate scilicet ad humanas

affectiones, famem, sitim, flagellationem, et mortem, quippe cum esset ejusdem caro Verbo divino sociata, extra corruptionem idest extra hujusmodi passiones manebat; attamen quando voluit, has permisit in corpore suo, sponte factus obediens usque ad mortem. Et cum ex hac interpretatione incorruptibile idem sit ac impassibile; et ex adverso passibile idem sonet ac corruptibile, consequitur, Jesu corpus ante resurrectionem fuisse incorruptibile. Istud porro aperte significavit Evagrius, dicta recensens Anastasii episcopi, quibus iste putavit contraire Justiniani decreto. In citato enim Libro IV. c. XXXIX. ejus edicti sensum redarguens, inquit, Anastasium, Imperatori resistentem, asserere Christi corpus in passionibus physicis, et quae non cadunt in reprehensionem, corruptibile fuisse. Et haec objiciebat Justiniano, qui incorruptibile illud tenebat.

Quare lucide patet hoc *corruptibile* vocabulum capi ab ipsis de affectionibus nostrae naturae propriis (sponte in suo corpore admissis a Jesu) et extra aliam significationem de membrorum resolutione post mortem. Itemque concluditur, haec edicentem Justinianum, nullimode julianistarum et gajanitarum probasse absurda existimantium, quam absolute fuisse Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile, ita ut opinione et non vere (subdit s. Joannes damascenus) facta fuissent in Jesu corpore, quae facta esse docet Evangelium, cujusmodi sunt fames, sitis, clavi, lateris apertio, mors etc.

Ex his demum eruitur edicti Justiniani sensum respicere tantummodo Christi corporis conditionem ante resurrectionem, et aliter ab eo, quod tenebant haeretici julianistae et gajanitae de omnimoda incorruptibilitate ejusdem. Quod reapse cum incorruptibile et impassibile fuerit ob unionem cum Verbo Dei, ipse Jesus hoc corpus voluntarie passionibus submisit passibile factum, ut per illud Redemptionis nostrae mysterium consummaret: quod negarunt Eutychius, Anastasius ceterique. Et haec omnia probe diserteque excussit Leontius in praefato dialogo; ubi praeclarissime quaestionis indolem explanavit, nobis suppeditans argumenta ad ejusdem perspicuitatem, Justinianique sententiam rite explanandam.

Cum enim ait ex nostris ad *incorruptibilium* accessisse haeresim, ac per unum verbum idest *incorruptibile* devenisse ut sentirent, quae haeretici sentiunt, plane indicat quaestionem tunc in Ecclesia agitatam, aliis alia, et quidem ab initio bona fide, sentientibus, donec publici juris factum est Justiniani edictum: contra quod Eutychius primus insurrexit, arbitratus hoc ad haereticam conducere doctrinam. Et, ni fallor, qui in hoc dialogo repraesentatur a Leontio sibi adversarius et haereticus, ipse est Theodorus monachus ac deinde episcopus Caesareae Cappadociae Justiniani consiliarius et socius in hac sententia, quam expugnare conatus est Leontius alter ab eo Origenis patrono.

Ita namque in Prologo trium librorum: « quorum secundus contra *aphthartodocetas*, inquit Leontius, liber est in eos, qui ex nostris accessere ad corruptam sententiam eorum, qui corpus Domini incorruptibile ante resurrectionem tradebant; qui ex eo vocati sunt ἀφθαρτοδοκῆται. Justissime autem sunt hi accusandi, qui unius Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi differentiam et proprietates et operationes sciunt. Eos autem, qui naturis adversantur, et earum differentiam negant post unionem, ac proprietates et actiones in eis scelerate confundunt, non magis ridemus propter inscitiam quam dolemus et miseramur propter impietatem: qui de modo unionis naturarum dubitant, quas neque concedunt, neque ponunt esse. Oportebat enim primum positum esse et fixum ipsis esse, servari post unionem naturam divinitatis Christi et naturam humanitatis ejus: atque ita inquirere postea, quomodo se habeant inter se, et quomodo sint.

« Hujus libri stilus conformatus est in disputatione et dialogo; nihilque, ut arbitror, relictum est eorum, quae ad propositam quaestionem spectabant et commoda erant. Ne autem personae confunderentur, persona dubitantis habet stellam insignitam: persona solventis dubitationes figuram habet crucis. Nota enim stellae significamus tenuem et non explicatam cognitionem personae dubitantis; defensorem autem veritatis trophaeo crucis armavimus. »

Deinde ab initio Libri II. ait: « Cum enim Severus et Julianus, duo initia impietatis, inter se dissiderent, stulte quidem quoad propria principia, cordate vero quoad ipsam veritatem, et de corruptibili et incorruptibili concertarent; qui erant partis Severi, ut verum dicam, inimicorum pravitatem in lucro ponebant. Quae enim nullum eis ante hunc dicere suasit, haec nunc malevolentia in suos confiteri coegit. Postquam vero in splendorem veritatis conjicere oculos coeperunt, conjectus illorum fuit causa coecitatis quibusdam, qui ex nostris ad pejorem partem se adjunxerunt; et per unum verbum eo devenerunt, ut idem atque adversarii sentirent; et propter decorem nominis totum Incarnationis mysterium sustulerunt. »

Ex hoc sermone constat praeclare Leontium partes sustinere Eutychii et aliorum, qui ab episcopatu amoti sunt; ac simul contendere adversus eos, qui Justiniano ceterisque conveniebant *de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem*. Verumtamen in hoc libro nobis valde necessarium duco sedulo perscrutari, duorumque contendentium dicta animadvertere, *dubitantis*, idest *haeretici*, et *solventis dubia*, idest *orthodoxi*. In quo dialogo (et istud sane mirum) apte perpensis haeretici sive dubitantis argumentis, educitur istum prope dogma catholicum sentire: alterum vero, qui sub orthodoxi persona et dubia solventis repraesentatur, erraticam profiteri doctrinam. Et sane quaedam ab hoc decerpta dialogo et ab haeretico pronunciata, nostrum firmabunt propositum.

Ac interim ita Leontius exorditur Dialogum: « Verum quidam ex iis qui sapientes sunt, nuper mecum colloquens, satis esse ajebat sumpsisse Dominum humanitatem ad salvandum nos. Orthodoxus ait, ostendens carnem nobis passibilem assumpsisse Dei Verbum. Subdit haereticus, confessus haec esse vera, damnans eos, qui non ita sentiunt. Orthodoxus instat asserens, ita sentire eos, qui definiunt corpus fuisse impassibile et incorruptibile. Haereticus respondet: non impassibile natura corpus factum esse dicimus, sed unione cum Verbo . . . . Orthodoxus addit: quoniam non est hoc, quod quaeritur, utrum unione an naturae fabricatione factum sit

incorruptibile; sed an naturae nostrae notas et signa sine ulla immutatione, excepto peccato, servaret. Haereticus, quoad primam partem, inquit, ipsius naturae constitutionem et principia ex Matre Dei et sorore nostra secundum naturam, quae omnem proprietatem humani corporis participavit.

« Inquit Orthodoxus: sed sicut conceptus supra naturam nostram factus, non fuit a natura alienus; sic quidem generatio, quae admirabilitatem habebat, non mutavit naturam ejus, qui propter nos natus est: quinimmo ortus est ramus et fructus similis utero, qui generavit.

« Haereticus respondit: nos igitur sic de carne Christi confitemur, quod secundum principium conceptus simul et virginalia viscera attigit, et quod assumptum est, in incorruptibilitatem mutatum est: quomodo enim fieri poterat, ut naturam corruptibilem non deponeret, quod Verbo immortali unitum erat? » Deinde ait, passum esse Christum sed non necessitate naturae, verum ratione oeconomiae, permittente Verbo ut pateretur. Paulo post addit: « En nunc nolens distinxisti corruptibile a passibili. Patiuntur enim in cruciatu corpora peccatorum cum ipsis animis, non tamen patiendo, mortem vel interitum capient: ut hinc pateat non esse idem corruptibile atque passibile; siquidem illa patiuntur, sed non corrumpuntur. . . . .

« Quid aliud his omnibus suadere et demonstrare studuisti, nisi quod, cum Christus sit passibilis, idque natura corporis non voluntate divinitatis, necessario erit corruptibilis? Non enim ignoramus te hoc moliri: quod quidem nunquam concedemus, etsi infinita istis addas. Magis enim credendum est principi Apostolorum Petro, ac praeterea David regi a Deo electo, et prophetarum principi, qui dixerunt: *quod caro ejus non vidit corruptionem*. . . . . Ego vero, sive quis nobis dubium auctoritatum interpretatur sive non, nunquam a sententia mea discedam; cum aperte clamat Scriptura: *quia non est relicta anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. . . . . .

« Item: Christum quidem passum esse, in divina Scriptura, quae hoc dicit, audivimus; et passibilem esse secun-

dum carnem Christum magis Paulus praedicat, corruptibilem tamen esse Christum, nulla Scriptura sic explanate et nuda voce tradidit. Non enim omnino hoc declarat, illud comprehensum esse in corruptione.... Sentio quid hinc efficere velis. Cum enim habeas concessum motum Domini a locis in loca, conaris demonstrare de extenuatione et corruptione: quod nunquam, ut mihi quidem videtur, concludes. Sic quidem in nostris corporibus fit, bone vir, non tamen sic in carne Domini esurire idest sitire, defatigari etc. Nunquam sic insanus ero: vero siquidem haec accidebant, sed volente Verbo et permittente carni. Sic credimus: Deus enim voluntate neque poterat ab hominibus capi. Atqui et novus Adam vocatus est Dominus. Quomodo autem sic vocaretur, nisi corpus protoplasti tulisset? Incorruptibilis autem erat protoplastus antequam peccaret; incorruptibile igitur fuit etiam corpus Domini: siquidem sine peccato perseveravit semper etc. »

Sub hac *dubitantis* sive *haeretici* expositione quis non viderit orthodoxam includi professionem? alterum vero *solventem dubia* idest *orthodoxum*, qui similia negabat in Christo ante resurrectionem, ad improbabilem tendere doctrinam? Qui Eutychii et Anastasii assertis studens, absolute obtestabatur corpus Christi in perpessionibus naturalibus, et quae in reprehensionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuisse, nullo adposito discrimine de spontanea Jesu pro mundi salute, passioni subjectione, etsi corpus suum divinitati sociatum incorruptibile foret.

Et hoc est, quod confessus est Justinianus, quod instauravit, suoque edicto firmavit Justinus, ceterique acceperunt episcopi subscribentes eidem edicto, una convenientes, Christi corpus etsi incorruptibile ante resurrectionem, ex ipsius tamen Christi voluntate, et quamdiu voluit, nostrae sustinuisse humanitatis affectiones, ita ut esuriret, sitiret, varimode fatigaretur et torqueretur usque ad mortem. Passum quidem esse Christum inquit s. Epiphanius adversus dimoeritas (haeresi 77. n. 22.) ex s. Petri dictis: *Christo pro nobis passo in carne*: « Quamobrem singulari quadam et admirabili ratione vere passum illum esse confitemur; et eumdem

tamen ἀπαθὴς ἐν ἀληθείᾳ in veritate passionis expertem. Et sic factum est, ut Christus diceretur patibilis et impatibilis. »

His praemissis, duo inferuntur ex Leontii Dialogo. Primum, discrepantiae terminus colligitur, qui Eutychium, Anastasium eorumque socios separabat a doctrina in edicto Justiniani et Justini exposita. Rursus statuitur Justiniani et, qui cum eo, episcoporum de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem orthodoxïa, et aliorum error, qui hoc negabant. Leontius enim adversariis respondens, sumpta illorum opinione, ajebat: « Existimare autem quod caro Christi natura passionis expers et immortalis, quod naturae ejus non inerat, sponte admisit, in primis quidem hoc est ignorare, velle et non velle non esse carnis proprium, sed animae rationalis: in quo potestas liberi arbitrii et voluntatis, in utramque partem propensio et inclinatio cernitur. Deinde faciunt eam ream, quae voluit quod praeter naturam erat: et id elegit, ad quod nata non erat. » Et hic Leontii praetextus adversus sententiam, qua Christi corporis naturam, cum incorruptibilis esset, sponte in se admisisse corruptionem docebatur.

Et hoc est, in quo ipse illuditur Anastasius antiochenus, alioquin sanctissimus vir, qui ideo exul, renuens Justiniani edicto subscribere, in eodem exilio sermonem contexuit de passibilitate et impassibilitate Christi. Ubi summo studio ex Incarnatione Verbi probare studuit in Christo Deo simul et homine impassibilitatem et passionem naturalem idest naturae assumptae propriam: docens ex ejusdem Christi verbis: *quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri*, necessario Christum naturam humanam morti subjectam assumpsisse: quin aliquid subjungeret de ipsa Christi carne Verbo Dei associata, conditionem corporis impassibilis vel incorruptibilis praeferenti: quod quidem ex ipsius Verbi voluntate passibile factum, passionibus submisit absque peccato.

Secundo, inde falsissimum quoque infertur, ita docentem in suo edicto Justinianum, idest Verbo Dei permittente, in suo corpore etsi impassibili et incorruptibili Christum

ante resurrectionem tulisse, quae nostrae humanitatis sunt, affectiones varias ita ut esuriret, torqueretur ac moreretur, sic, inquam, docentem Justinianum, in errorem lapsum esse *aphthardocetarum* gajanitarum et julianistarum. Isti namque aliter ab edicto imperiali sentientes, absolute putarunt Christi corpus ante resurrectionem nullatenus ob Verbi potentiam corruptum, nec corrumpi omnimode potuisse, adeo ut penitus sustolleretur Redemptionis mysterium. Et ob hoc merito damnati sunt gajanitae et julianistae. Non sic tamen docuit Justinianus, nec proinde reprobandus; sed potius reprobandi Eutychius et qui ejus partes suscepit Leontius, sensum edicti pervertentes, quod Papa Agatho inter cetera Imperatoris edicta valde commendavit propter fidei rectitudinem in eisdem expositam.

Cum vero Leontius pro sua thesi firmanda plura Patrum sanctorum collegerit testimonia, quibus naturam passibilem et corruptibilem praetulisse ostenderet Christi corpus ante resurrectionem, nulla admissa distinctione probe intenta in Justiniani edicto; nec in his nobis ille satisfacit. Non enim talia testimonia ita a Patribus dictata sunt, ut excludant a Jesu corpore una cum spontanea passibilitate etiam impassibilitatem, seu incorruptibilitatem ob unionem cum Verbo divino. S. Epiphanius, ut supra, praeclarissime docet admirabili ratione Christum passum, *cum in veritate apassibilis esset.* S. Ambrosius ex libro *De Fide Catholica* (ex Theodoreti dialogo *de impatibilitate*) inquit: « Caro igitur est passa; divinitas autem mortis libera: passioni corpus lege naturae humanae concessit. » S. Flavianus *in Dominicam Paschae* scribit: « Nam divinitas est passionis et alterationis expers. Etsi eam prae nimia benignitate servi formam accepit, naturam tamen suam non mutavit: sed manens quod erat, permisit divinitas ut corpus mortem experiretur. » Ex Libro compendiario Apollinarii subdit: « Caro est vitae organum passionibus congruum juxta consilia Dei. Neque verba carnis sunt propria, neque actiones. Passionibus autem subjecta, prout carni convenit, ἰσχύει κατὰ τῶν παθῶν dominatur passionibus, eo quod sit caro Dei. »

Similiter s. Athanasius in epistola ad Epictetum: « Et ipsum, inquit, Verbum incorporeum erat in patibili corpore. Corpus vero habebat intra se impatibile Verbum, auferens infirmitates corporis ejus. Ut summatim dicam, Theodoretus in hoc dialogo totus est, ut id ostendat: « Christus Dei cum haberet naturam immortalem, et impatibilem, abolere volens mortis imperium, assumptas ex iis, qui morti obnoxii erant, primitias, et has immaculatas servans et peccati expertes, morti quidem permisit, ut eas corriperet; et suam inexplebilem expleret ingluviem etc. »

Et haec omnia statuit deinde Justinianus in suo edicto (per Justinum successorem suum instaurato) in quo medium tenens iter, et gajanitas et julianistas refutavit, qui absolutam collocarunt in Christi corpore impatibilitatem ante resurrectionem; ac una Eutychium ceterosque arguebat, arbitratos Christi corpus ante resurrectionem ex natura sua omnino passibile et corruptibile fuisse; ex adverso docente Imperatore, Christi corpus, apatibile cum esset ob unionem cum Verbo Dei ante resurrectionem, sua sponte passioni, morti submisisse et corruptioni. Missus enim a Patre in hominum salutem, semetipsum, inquit Apostolus, exinanivit, formam servi accipiens, ut sanctificaret nos per oblationem corporis sui. *Et talis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus segregatus a peccatoribus, insolubilis et immortalis oblatus est, quia ipse voluit.* Et: *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.*

Sustinuit sane crucem, sicut antea sustinuit famem, esuriendo postquam jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et ab hac s. Matthaei narratione de Christi jejunio, perbelle roboratur argumentum, ipsius Dei Verbum in assumpta carne, etsi incorruptibilis, sive impassibilis fuisset ante resurrectionem, passioni sponte sua illam subjecisse carnem ita ut, quando voluit, esuriverit. Inquit enim Evangelista: *cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Esurivit quidem, cum antea haud fame laboraret: ita ostendens corpus suum ob unionem cum Verbo Dei, impassibile et incorruptibile per quadraginta dierum intervallum pergens jejunum, nec fame infirmatum esse, nec laborasse. Tamen post illud spatium suo

corpori permisit, ut esuriret; et quae infirmitatis nostrae sunt, experiretur, sicuti et tentaretur a diabolo. Patres universim tenent, per hoc tempus nequaquam, ut aperte dicit Scriptura, esurisse Jesum: in quibus s. Petrus Chrysologus in Sermone XI. *De Jejunio Christi*, asserens tunc Christum nec esurisse, nec esse jejunio lacessitum.

« Hoc non est, inquit, infirmitatis signum, sed est insigne virtutis: quia cum dicit *postea esuriit*, quadraginta diebus et quadraginta noctibus probat in illo esuriem non fuisse. Esuriem sentire et vincere est laboris humani: divinae virtutis est esuriem non habere. Ergo Christus non jejunio lacescit, non esurit fame. Sed esurivit Christus, ut tentandi materiam diabolus inveniret, quia ad jejunum non audebat accedere; quia sic jejunantem, Deum non hominem sentiebat. » Unde patet naturam humanam Verbo divino sociatam, cum esset impassibilis, ita ut ad quadraginta dies nec manducarit, nec esuriverit, postea ex Verbi ipsius voluntate sive sponte fame laborasse, passibilem factam.

Insuper in hac quaestione non est transigendum, quod legitur in Actione X. Synodi constantinopolitanae III. oecumenicae VI. ex collectis testimoniis Patrum adversus monothelitas: « Item relectum est ex eodem Codicillo testimonium ejusdem sanctae memoriae Justiniani ex dogmatica epistola ad Zoilum patriarcham Alexandriae, cujus initium *relegentes litteras*, continens ita: Unus ergo est Christus, non, perempta naturarum differentia propter ineffabilem unitionem, Verbum intelligendum, et homo videndus. Nec enim unitio confusionem operata est; neque differentia substantiarum, quae in eo sunt, sectionem sive divisionem admittit. Videntes quippe Christi miracula, praedicamus ejus deitatem; aspicientes ejus passionem, non negamus ejusdem humanitatem, neque miracula absque carne, neque passiones sine deitate. Et est admirabile, quia ipse erat, qui patiebatur et non patiebatur. Patiebatur quidem, eo quod caro ejus propria patiebatur, et in ipsa carne erat: non patiebatur autem, quia cum esset natura Deus Verbum, impassibilis erat. Et ipse quidem incorporeus erat in corpore passibili. Caro autem habebat in se impassibile Verbum, exterminans ipsius

corporis infirmitates. Operatur enim utraque forma cum alterius societate, quod habuit proprium : Verbo autem faciente quod est proprium Verbi, corpore vero efficiente id quod est corporis. »

Et hoc est, quod sensit, docuit, et professus est Justinianus in edicto *De incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem*. Et hoc est, quod una probarunt episcoporum plerique, eidem subscribentes, etsi obstaret Eutychius. In edicto, inquam, cujus etiamsi usque adhuc non habeantur tenor et explicita expositio : attamen ex praefata epistola ad Zoilum et ab edicto successoris sui et potissimum a genuina narratione Leontii in dialogo citato, eruitur, quali mente dictatum fuerit, expositis ibi rationibus cur Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile et impassibile, eoque ipso tempore corruptibile et passibile diceretur. Ob illud scilicet, quod, cum ex unione Verbi divini impassibile foret, sponte, suoque beneplacito passioni submiserit, mortemque tolerarit. Proindeque frustra incusari dixi Justinianum de suo ob hoc, consensu cum gajanitis et julianistis, a quibus prorsus abfuit. Et hinc potiori jure redarguendos puto, qui Justiniani doctrinam in pravum detorserunt sensum, praesertim, quam ibi adposuit, refutantes cautionem de libera Christi voluntate in passionibus ferendis ; ita ut cum vellet ipse, tantum illae insurgerent ; et si nollet, nequaquam dominarentur : « Quoniam ergo Deus erat Verbum, inquit Cyrillus alexandrinus in Joannem Libro IV. ex verbis : *Pater si possibile est, transeat a me calix iste* etc. quoniam ergo Deus erat Verbum, immortalis atque incorruptibilis, et vita ipsa, secundum naturam pertimescere mortem nesciebat, omnibus existimo esse manifestissimum : permittebat tamen, utpote qui in carne erat, sustinere carnem, quae sua sunt. »

Quod autem amplius propositum juvat, ut pateant illusio historicorum recentium in dijudicanda quaestione de Justiniani lapsu in haeresim *incorruptibilium*, ac una Eustathii et Evagrii error in condemnando ipsum Imperatorem, Joannem constantinopolitanum, et Gregorium antiochenum tanquam a veritate devios haeresique consentientes ; illud extat quam praeclarissimum in duobus Sermonibus testi-

monium praefati Gregorii editis in Tomo XII. Bibliothecae Gallandianae p. 291. quorum unus inscribitur *De sepultura Domini*, alter *in Ramos palmarum*. In utroque enim haud tantum convellitur ab eo *aphthardocetarum* haeresis, de qua culpatur: sed et manifeste adstruitur orthodoxa ipsius fides de conditione corporis Christi ante resurrectionem: quod cum esset Verbo divino sociatum et hinc incorruptibile, sponte corruptioni, sive passioni submisit in animarum nostrarum salutem.

Et sic reapse docet in Sermone I. n. 2. Christum asserens sua ipsa voluntate, nullaque necessitate in carne sua mortem gustare voluisse: « Et cum esset ejus deitas utrique corpori et animae comes, nusquam aliquando post unionem cum humanitate discessit. Quin et erat in coelo, aderatque impatibiliter sepulchro, ἄφθαρτον incorruptibile servans suum ipsius indumentum, his ita oeconomice gestis. » Deinde introducit Josephum ad Pilatum locutum, inquiens, sponte sua mortem subiisse Christum. Similiter paulo post n. 7. Christus loquitur, se non ex infirmitate propria, sed humanitate erga homines sustinuisse passionem. Et haec scribens Gregorius, nullimode tormentorum vim negat in Christi corpore ante resurrectionem.

Similiter in Sermone altero n. 3. Prophetas et Apostolos repraesentat Christi praecones, dicentes ipsum ad spontaneam passionem se dimisisse in monte Sion. In n. 7. scribit Dei Verbum hominem factum esse, servato in abjecta hominis conditione divinitatis fastigio, non mutata in passione deitatis impassibilitate, nec assumpto peccato etc. Et in n. 8. ait: « Patitur, et non patitur. Noli primum Verbo tribuere: secundum ne carni Verbi putes. At ne carnem a Verbo separes, sed quod utriusque naturae proprium est, designo.... Duplex quippe erat. Nam et crevit et suxit ubera, et flevit et contristatus est pro ratione naturae nostrae. Non enim incarnatus Deus Verbum inculpatas naturae nostrae renuit passiones. » Et quis, cum ita doceat Gregorius, non comprehenderit dogmatis rectitudinem apprime expressam, nec obtestationes inde deducat adversus eos aliter a se sentientes de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem?

Quapropter cum is edicto Justiniani de hac quaestione participasse dicitur, eaque sentire, quae docuit ille, duo necessario inferuntur; nec ipsum Gregorium, nec Justinianum haeresim admisisse gajanitarum et julianistarum; proindeque horum adversarios sub falso orthodoxïae zelo inter ignaros amandandos; qui errantes, orthodoxis viris adscripserunt errores.

Cum autem in hac parte Justiniani fides ab obtrectatorum lingua vindicata sit, sicuti in ceteris, quae ob trium Capitulorum quaestionem ab eo patrata dicuntur adversus Vigilium Papam, ceterosque episcopos, ut superius disputatum est; ubi vel haereticus, aut haereticorum fautor culpatur Princeps et quidem immerito: nolo ideo praeterire quamdam Nicetii episcopi trevirensis ad eumdem epistolam; ubi valde valde corripitur ut impius et persecutor orthodoxae fidei. Quas litteras Sirmondius, Labbaeus, aliique commisere postremae ejusdem imperii aetati ob praesumptam *incorruptibilium* haeresim, in quam lapsus dicitur Imperator.

Attamen epistolae tenor talis esse comperitur, ut videatur excludi praefatorum virorum opinio. In his namque litteris Nicetius inquit, Justinianum in horrendam sectam lapsum, Nestorii et Eutychetis amplexum impietatem, ita ut doceret, *Christum purum hominem fuisse;* ac ideo *abominabilem persecutionem excitasse: multos perinde lugere fecisse. Quis,* addit Nicetius, *ut Patres, quos venerari debueras, ad caedes, ad diversas cruces mitteres, provocavit?* Item: *Ergo litteris praesentibus Deum nostrum conjuravimus, insuper contestamur ut et tu revertaris. Et quantos perire suasisti in horrenda persecutione, revertere provoces. Nam notum tibi sit, quod tota Italia, integra Africa, Hispania, vel Gallia cuncta nomen tuum, cum de perditione tua plorant, anathematizant* etc.

Ceterum quando Labbaeus et Sirmondius putant, Nicetii litteras vellicare Justinianum ob *incorruptibilium* errorem, praeter illud, quod hucusque dictum est de hujus insimulationis falsitate, et hoc addendum est, posito hoc Justiniani errore, non Christi divinitatem, ut legitur in ea epistola, per hanc *incorruptibilium* haeresim negari, sed potius humanitatem, sive humanae ejusdem naturae proprietates.

Julianistae enim et gajanitae, quibus consors dicebatur Imperator, docebant Christi corpus e coelo delapsum, et ob unionem cum Verbo Dei incorruptum mansisse. Quamobrem Nicetius non poterat Justiniani corripere impietatem tanquam Christi divinitatem negantis, cum ipse incorruptibilem Christi carnem post unionem cum Verbo Dei, docebat. Extra enim quaestionem abiisset Nicetii reprehensio.

Itaque nec ad *incorruptibilium* haeresim, neque ad hoc tempus, paulo ante Justiniani obitum referenda sunt, quae ait Nicetius, aut alius, qui hanc contexuit calumniam contra illius orthodoxïam ejusque probitatem; sed melius revocanda essent ad Concilii V. aetatem. Quando scilicet Imperator totis viribus cum episcopis catholicis ad trium Capitulorum incumbebat damnationem, adversarios undique profligans. In qua occasione, cum Capitulorum defensores plura commentati sint falsa in odium Justiniani, quemadmodum antea multis probavimus argumentis, hunc item vocarunt acephalorum studiosum, purum hominem asserentium Christum. Qui ab anno 536. damnati fuerant in Synodo constantinopolitana sub Menna; et quorum damnationi fideliter subscripsit Imperator. Cujus etiam fidei integritati suffragari ostendimus decreta multa vario tempore edita adversus cujusque generis haereticos: ita ut propterea Pontifices coaevi et successores, praesertim Agatho, jure et palam ipsius fidei rectitudinem, et singula edicta ceu orthodoxo sensu dictata admodum commendarint.

Profecto commentitiam et maledicum onus in hac epistola comprehenderit, sequentia legens dicta : « Quis, inquit Nicetius, ut illa, propter quae Christus crucifixus est, et Apostoli omnes pertulerunt, destrueres, provocavit? Quis ut quod jam semel, bis et tertio ab omnibus rectoribus Ecclesiae condemnatum fuerat, vel adorares commonuit? Nestorii et Eutychis, ut diximus, jam anathematizata quotiens atque quotiens secta, ut te ipse interimeres, quis imperavit? » In quibus vide sermonis extravagantiam, et sincerae Principis professioni saepius emissae contradictionem.

Cum igitur epistolae tenor pugnet cum historia genuina Justiniani, speciatim in iis, quae notantur de horrenda per-

secutione ab ipso commota adversus episcopos, improbe *ad caedes et diversas cruces missos*, eodemque ideo anathematizato *a tota Italia*, *integra Africa*, *Hispania*, *Gallia cunctà*, et haec gesta fuisse subdat in senectute sua (quo quidem tempore aliter quam, uti praesumitur in epistola, adversus Christi divinitatem disputabatur a Justiniano) concluditur, nullius momenti fieri Nicetii litteras, nec ipsum harum haberi auctorem. Et si auctorem ipsum habere quis velit cum Annalista Francorum, qui hanc citat epistolam, dicendum est, Nicetium, quae de Justiniani lapsu scripsit, ex fama et quidem falsa audivisse. Novissime non erit, ego puto, amplius mirum, si talia exprobrarit Nicetius Justiniano, quum illius adversarii ac potissimum trium Capitulorum defensores in eum convicia undique voce et scripto disseminarint, praesertim in regionibus, ubi ipse degebat Nicetius.



CAPUT XXVII.

Procopii* Anecdota *sive* Historia Arcana *de Justiniani gestis ab ipsomet Procopio refutata in Libris de Bellis persico, vandalico, gotthico, et de Aedificiis, aliis suffragantibus sincerae fidei testimoniis.

In praefatis pro studio nostro Justiniano injuriosis insimulationibus respondendo, dicteria refutavimus ex schismaticorum et aliorum perfidia elaborata, ut tanti Principis pessumdaretur decus, quo splenduit in Ecclesia et in imperio, fidem catholicam professus et reverentiam in Pontificatum Romanum. Et ob hoc cadit, quod vulgo usque hodie de Justiniani lapsu in haeresim aut similibus culpis praesumitur a scriptoribus, et praesertim a Nicolao Alemanno in Praefatione Historiae Arcanae. Quem etsi non effugerint imperii illius latitudinis splendor, et sanctissimarum legum gloria, quibus in orbe christiano praefulsit, attamen non occultavit culpas: « Quippe quod, ait, in confesso sint apud omnes, neque ulla defendi excusatione possint tum de Christo sententia plane perversa, tum ad Religionis dogmata definienda, et ecclesiasticas sanciendas leges effusa licentia, tum et in Romanos Pontifices Agapetum, Vigilium, aliosque praesules saevitia. »

Quamobrem, cum in praefatis, dixi, ut ab his criminationibus absolveretur Justinianus enixe elaboravimus, manent nihilominus quaedam diluenda nefanda crimina, quae adversus tantum Principem faciunt; ejusque nomen a gloriae celsitudine in imum detrahunt ignominiae. In hanc porro discussionem eo lubentius progrediar, quo magis me ad hoc impellit *arcanae* nomen, quod, quisquis ille fuerit concinnator, huic Historiae inscripsit, ut indicaret, se in secreto talia exarasse *Anecdota*, ut nemini nisi serius patefierent, utpote falsa, dico ego, incerta, et extra communem expectationem comparata. Sive ut, qui deinde hanc legisset Historiam, comprehenderet quidquam arcanum in ipsa contineri, idest inexplicabile et incredibile, humanam superans intelligentiam. Et ita profecto concludendum videtur ei, qui, post-

quam Procopii in ceteris libris percurrerit narrationes, animum ad hunc libellum pacate intenderit.

Ideo talia *Anecdota* in hoc loco sub trutina revocare utile duxi, diligentiusque perscrutari, conferre, librare quae ad tanti Imperatoris conducunt ignominiam. Quod potissimum assequemur, dicta hujus Historiae ceteris comparantes alibi ab eodem Scriptore notatis: quae sibi mutuo contraire videntur. Immo apertam hujusmodi involvunt contradictionem, ut unum et eumdem Auctorem talia animo ingenuo posteritati tradidisse valde dubitandum esset: vel potius asserendum praecipuum illius scopum eo intendere, ut tanti viri gloriam in infamiam converteret: et siqua in Justiniano fortasse, ut hominis est, minus probanda cerneret, ea quoque adornasse, ut plurimum indecorae maximique momenti reputarentur culpae. In quam tamen disquisitionem et collationem non ut primus incedo, sed aliorum colligens judicium et observationes huic capiti conseram. In quibus praecellit subscriptus in Libro, cui titulus: *Imperatoris Justiniani defensio adversus Alemannum, auctore Thoma Rivio regis Angliae advocato, curante Joanne Eichelio* etc.

Ac interim nemo ignoret, duas mensuras sibi comparasse Procopium in Justiniani texenda historia, unam ut illum et quidem jure encomiis adornaret tanquam celebratissimum in virtutibus virum, et alteram ut eumdem vituperiis quomodocumque studiose cumularet, uti hominem in vitiis perditissimum. Has autem duas mensuras luculenter significavit in praefationibus, quas Historiae bellicae praemisit, Libris *de Aedificiis*, et *Anecdotis*, quae sub *Arcanae Historiae* nomine veniunt. His enim inter se collatis scriptis, manifesta duarum mensurarum, quibus usus est Procopius, praelucent indicia, sive antilogïae, in quam incidit; utcumque ipse subterfugia ab ea evadendi exquirat. Haec igitur in c. 1. Libri I. *De bello persico* scribit.

« Procopius caesariensis bella, quae cum orientalibus et ad Occasum positis barbaris gesta sunt a Justiniano romanorum imperatore, singulatim, ut res se habuerunt, conscripsit: ne, posteaquam facta ingentia longinquum aevum occupaverunt, nuda praesidio litterarum ea tradat oblivioni, ac

plane deleat. Quorum ille memoriam magni fere momenti duxit, et summe tum aetati huic profuturam, tum posteritati; siquid unquam agendum erit jam actis simile .... Illud vero sciebat Auctor condendae huic Historiae idoneum se esse maxime omnium, ob aliud certe nihil, nisi cum a consiliis fuerit Belisario duci, quidquid fere gestum est, vidit. Hoc autem persuasum habuit arti oratoriae convenire eloquentiam, poeticae fabularum figmenta, historiae veritatem. Quare ne amicissimorum quidem peccata texit; sed cujusque actus pravos juxta atque honestos, quam potuit, accuratissime litteris prodidit. Quod attinet ad facinora armis edita in hisce libellis, quicumque illa volet exigere ad veritatem, nihil usquam praestantius, nihil fortius reperiet. Ea sane patrata sunt, quibus omnia, quae fama accepimus, admirabilitate concedant etc. » Item in praefatione librorum *De Aedificiis*: « at mecum, inquit, saepius cogitavi quot quantaque bona civitatibus ex historia nasci soleant: quae majorum memoriam posteritati transmittit, dum tempori rerum gestarum famam supprimere contendenti, enixe obstat. »

Nihilominus in Historia Arcana sentiens Auctor sibi aliter scribendum esse de Justiniano, ita lectoris praeit judicio: « Hujusce vero consilii eam habeo causam, quod illa scribere, qua maxima ratione oportuisset, nequaquam expedire tum mihi videbatur, cum etiam nunc superstites forent, qui ea perpetrassent. Certe latere ipse diutius non potuissem exploratores passim dispositos, neque supplicio crudelissimo non interire, si deprehensus fuissem; quando nec sanguine propinquis fidere tuto poteram, quin et multorum, quae in superioribus libris memoriae prodidi, silere causas coactus sum. Quare meum fuit officium in hac historiae parte, cum res silentio suppressas hactenus, tum earum, quae prius vulgatae sunt, causas edere. Sed aliud molestum sane et difficillimum repugnat, nimirum Justiniani vita ac Theodorae, ad quam animum appellens, tremo, longissimeque retrahor hac cogitatione, ea me jam scripturum, quae nec fide digna, nec verisimilia posteris videbuntur. Ac maxime cum harum rerum historiae longinquus temporis lapsus magnam vetustatem attulerit, vereor ne famam fabulatoris tum referam

et cum recitatoribus tragoediarum annumerer. At rursus me illud confirmat, vetatque absterreri gravitate materiae, quod non nisi testata narro. Nam qui hodie vivunt certissimi actorum testes, satis habent auctoritatis, ut fidem, quam illa habent, in consequens aevum producant etc. »

His ex Procopio breviter praemissis, speciali studio conferantur singillatim ab eo tractata, hinc inde, idest tam de Historia Arcana quam de aliis libris, selectis expeditisque testimoniis. Ac prius adsint, quae in c. VIII. ejusdem Historiae notavit de Justiniani stoliditate: « Nam, inquit, mire stolidus fuit et lento quam simillimus asino, capistro facile trahendus, cui et aures subinde agitarentur. Haec dum Justinianus negligeret, reliqua omnia perturbavit. » Deinde assimilat eumdem Domitiano: « Species quidem haec Justiniano fuit: qui autem eidem mores, frustra nitar, si dicere velim exquisite. Erat hic homo juxta malignus et deceptu facilis; cujusmodi ingenium fatuum pravumque appellamus. Nam adeuntibus omnia mente mala, nihil aut re, aut verbis praeferebat veri; ipse nihilominus fraudibus passim omnium expositus. Insolente hoc fatuae perditaeque mentis temperamento is sane fuit. »

Haec perscrutatus Eichelius in citato libro p. 61. scribit: « Si spectes ejus curam et dexteritatem in legibus condendis, iisque statui, qui tum obtinebat, solerter applicandis, quod peculiari Opera aliquando monstrabitur, facillime eum opinione stultitiae liberabis. Rerum vero theologicarum adeo fuit peritus, ut non tantum ipse libros a se conscriptos ediderit, sed cum episcopis ex remotissimis regionibus ad se accitis, siquos celebres et doctos audiebat, coram erudite disputaverit. *Post consulatum Belisarii anno secundo*, ait hujus adversarius Victor tunnenensis, *Justinianus imperator libros de Incarnatione dominica edidit.* Idem Victor testatur, se quindecim dies integros cum Imperatore de controversiis Theologicis concertasse: *Victor et Theodosius antefati episcopi africani de carcere ejiciuntur, et post disputationes in praetorio continuas dierum XV. ad aliam custodiam mittuntur.* Nec dissimulant haec *Anecdota*, quamvis ob id ipsum bonum principem reprehendant, *pro quo studio ajunt* (*n.* 272.)

animum ad sublimia traducere Dei naturam curiosius perscrutari. Adeo studiis theologicis incubuit, ut Artabanes et conjurati cum eo, ob hanc causam insidiis quam facillime circumveniri posse sperarunt. *Perpetuo,* ipse ait Procopius in Libro III. belli gotthici, *sine custodibus desidet ad multam noctem in Musaeo cum senioribus quibusque sacerdotibus, attentissimo studio arcana christianorum dogmata investigans.»*

Eustathius in vita s. Eutychii haec commemorat: «Nostis omnes, quotquot meministis quam curiose piae memoriae Justinianus in divinorum dogmatum investigatione versaretur: quodque diu noctuque, posthabitis omnibus aliis curis, illam unam et solam nunquam intermittebat, qua ad disputandum omnes provocabat haereticos et rationes in medium proferendas, quibus valde ille praevalebat: cum ut plurimum eosdem haereticos probabilibus modo ratiocinationibus, modo demonstrationibus, modo denique sacrarum testimoniis Litterarum confutaret. Item Agapetus Justiniani olim sub praeceptore Theophilo abbate contubernalis, de eodem loquitur: Nostris temporibus ostenditur prosperae vitae tempus, quod praedixit quidam ex veteribus, futurum, cum vel philosophi regnarent, vel reges philosopharentur. Nam philosophando digni habiti regno estis; et regnando a philosophia non descivistis.»

Anastasius in Joanne II. inquit: *Eodem tempore vir religiosus augustus* (Justinianus) *summo amore religionis misit fidem suam chirographo scripto proprio ad Sedem Apostolicam per episcopos Hypatium et Demetrium.* Item Procopius Libro I. c. I. *De Aedificiis* ait, Justinianum Constantinopoli ecclesiam, quae vulgo dicitur *magna*, aedificasse non suis modo sumptibus, sed labore etiam ingenii et praeclara animi contentione. Et in Libro III. c. XXXV. Belli gotthici cum Justinianus, inquit, rogaretur, ut sibi Italiam vindicaret, respondit se Italiae prospecturum. Interea vero in christianorum dogmata maximam temporis partem conferebat, tollendis eorum controversiis intentissimus. Anilis igitur fabula est, Justinianum fuisse rudem omnium litterarum et analphabetum. Cujus fabulae origo committitur Suidae lectioni, ubi loco Justini Justiniani nomen intrusum est. Et nisi hoc

velis amanuensis erratum, inter calumniatores et stultos numerandus tibi erit, qui ita scripsit.

Praeterea, ut praefatus Eichelius amplius Historici maledicam linguam obtundat; et quam damnavit in Justiniano, stoliditatem, convertat super caput suum, ostendens non Justinianum, sed revera Procopium stolidum fuisse in hac conflanda accusatione, et capistro ideo ducendum ne in maledicta irrumperet et in antilogiam, p. 59. scribit: « Ad explodendum impudens hoc Procopii convitium innumera sese offerunt testimonia et rationes. Sed placet *Anecdotis* opponere, quo eorum fides magis ostendatur.

In n. 65. ita scribit: *Acer in comminiscendis perpetrandisque facinoribus*. In n. 198. *Naturae suae viribus utebatur ad romanorum perniciem*. Item: *Cum ad excogitanda scelera, uti monui, peracri esset ingenio ad patranda festino; sicque illius animi dotes subjectorum pestis invaderent.* » Similiter n. 228. *Justinianus non solum continuis vigiliis, sed et ingenii et aditus facilitate rebus mature conficiendis plane natus erat.* Quae profecto simul consistere non possunt. Item maxime cum Justiniani stoliditate pugnant, quae paulo post de eo subdit Historicus: *Fuit hic Princeps usque adeo veri dissimulator, ut fraudum tegendarum, atque obscure ferendae indignationis versuteque agendi, et occultandae animi sententiae esset absolutissimus artifex* etc. Et quomodo homo tam versutus Justinianus in regimine, hujuscemodi stoliditatis notas praeseferebat? Similiter *Anecdotum* Auctorem condemnant, quae in praefatione librorum *De Aedificiis* notantur Justiniani studia circa jurisprudentiam: « Ad haec, inquit, legibus prae nimia obscuris multitudine, et manifesta inter se pugna confusis, admota manu, turbam recidit supervacaneam, optimaque conciliatione, sublato ipsarum dissidio, jus conservavit. »

Et quis tantumdem in Justiniano non miretur solertiam in imperii regimine actu explente quae sanciverat; et quanto ideo studio populorum consuluerit incolumitati, et quanta gentibus subditis bona comparaverit, harum emendans mores, eosque traducens ad veram Christi Religionem? Et ita sane Vigilius Papa circa annum 540. ad eumdem scribens ajebat: « Qualia enim regna plus armis fidei quam corporea

fortitudine viceritis, docet immensitas gentium subjectarum, quae quanto major assurgit numero, tanto mystici solius perfecta operatione miraculi superatur. Unde nos in Domino nimium convenit gloriari, quod non imperialem solum, sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est: et quod omnes Pontifices antiqua in offerendo sacrificia traditione deposcimus, exorantes ut catholicam fidem adunare, regere Dominus et custodire toto orbe dignetur, summis hoc pietas vestra viribus effecit: cum per omnes regni vestri partes, et universos fines terrae eam fidem . . . . inconcussa jubeatis pace servari.

« Et haec quoque non ignoravit Procopius, qui saepius ob hoc encomiis cumulavit Justinianum, quum in Praefatione libris *De Aedificiis* eum rempublicam foede quassatam capessentem, ait illi magnitudinis ac splendoris plurimum addidisse, exactis barbaris, qui jam olim ipsam invaserant. Qui primo diluculo, subdit in Libro I. c. VII. invigilans reipublicae, in ejus negotiis et re et voce tractandis nocturnum aeque ac matutinum et meridianum tempus insumebat. Qui (in Libro II. c. VI.) honorem hunc summum adeptus est manifesto Dei munere, ut Romanum Imperium, quam maximum est, curaret, eique pro virili parte consuleret etc. » Quod amplius firmat in Libro IV. c. I. « At mihi jam ordiendum ab Imperatoris patria: cui cum primas partes in ceteris omnibus, tum primitias orationis debemus. Nam illa una efferre se, gestire ac triumphare merito potest, quod talem aluerit, dederitque romanis Principem; cujus acta omnem dicendi scribendique facultatem excedunt. Apud dardanos europaeos castello bederiano vicinum erat Tauresium: ubi natus est orbis reparator Justinianus augustus. Et in c. II. « Quare nemo posthac Justiniano augusto laudem hanc eripere contendat, ipsum omnibus, quotquot unquam fuerunt, providentia ac sedulitate antecelluisse. »

Similiter in Libro VI. c. II. de capta Africa scribit: « Verum Imperator noster non corporum modo incolumitatem afferens subdit, sed animarum etiam saluti consulens, omni ope populo illi prospexit. Nam praeter cetera, quae liberaliter providit, mentes religione sancta adeo feliciter previ-

dit, ut a patriis institutis ad Christum omnes converterit, quibus et Deiparae templum aedificavit. » Et in c. III. addidit: « In Cidama habitant mauri, jam inde olim romanis conjuncti foedere : qui omnes Justiniani augusti suasione fidem christianam amplexi sunt sponte. » Et haec omnia in Libro I. c. II. summatim praemiserat inquiens : « Idem studio divini cultus inexplebili ardens, alia duo xenodochia huic adversa condidit in aedibus Isidori et Arcadii, quas appellant; piis hisce operibus sociam Theodora augusta navante operam. Cetera vero templa Christo posita a nostro Principe tot ac tanta sunt, ut singillatim recenseri nequeant. Nam nec par oratio nobis suppetat, neque aetatis quantumcumque fuerit spatium satis pateat texendo recitandoque catalogo singulorum. »

Nihilominus, et quis crederet? post tot eximia Justiniani facta in imperii administratione a Pontificibus Romanis et ab ipso Procopio comprobata, hic ultimus, vel alius sub ejusdem nomine, aliter penitus in *Historia Arcana* repraesentat Imperatorem: *Qui non tantum rempublicam romanam, sed orbem terrarum penitus evertit: qui tanquam e coelo emissa pernicies rem romanam labefactavit : sub quo universum e suis sedibus convulsum est imperium romanum : qui romanorum funditus evertit rempublicam: qui Theodorae opera usus est ad perdendos populos, et ad reipublicae interitum.* Et haec omnia conclusit in c. XII. ubi utrumque Justinianum et Theodoram turpissimis nefandisque notis taxat, et ubi hujusmodi insolenti sermone irrumpit Historicus.

« Quamobrem, ait, et mihi et mei ordinis plerisque hi nunquam homines visi sunt, sed perniciosi daemones, atque funestae hominum pestes, qui in commune consuluerint, ut hominum nationes, atque negotia facile citoque perditum irent : eoque humanas induti formas, quasi semihomines furiae, sic universim terrarum orbem convulserint. Id et aliunde conjicere est, et scelerum immanitate; qua longe multumque superant daemones mortalium conatus. Nam multi licet prioribus seculis extiterint homines, vel natura, vel eventu formidabiles, qui urbes, provincias, nonnullasque regiones pessumdederint : nullus tamen ut isti, funditus humanum

genus, atque universum terrarum orbem quivit evertere. In quorum sane consiliis ministram se praebuit fortuna ad mortalium perniciem. Quandoquidem sub id tempus, ut statim narrabo, et terraemotibus et pestilentiis et fluminum eluvionibus tot acciderunt vastationes, ut illa etiam ab his non humana videantur vi facta.

« Certe Justiniani matrem nonnullis ex necessariis narrasse ferunt, hunc non Sabbatii conjugis aut hominum cujuspiam esse sobolem; sed eo gravida antequam esset, quandam genii speciem ad se ventitasse, quae non ad visum, sed ad contactum se praeberet, accubaretque sibi, et quasi maritus se conjugem iniret, denique veluti per insomnium evanesceret. » Deinde narrat de monacho, qui visurus Justinianum veniens Byzantium, dicitur retulisse pedem ab ingressu ad Imperatorem: « Sociis vero quaeritantibus facti causam, aperte confessus est in Regia principem daemonum residentem in solio vidisse, quem nec adire, nec rogare quidquam esset animus. »

Et quis hujusmodi percurrens viri furentis dicta adversus Justinianum, non cogitet, accusatori potiusquam accusato convenire vel daemonis aut furiae nomina, quae Historicus Principi inscribit: cum, relaxato ad maledicta calamo, in fabulosa et ignobilia convicia transfertur, quae minus ad indignationem quam ad risum provocant lectoris animum?

Non aliter porro insanit Procopius in *Anecdotis* c. IX. de Theodorae moribus depravatissimis locutus quasi de flagitiosissima foemina: « inter prostibula habita, ubique hanc artem exercente; quam ne nominet quidem, Deum habere qui sibi volet propitium. Sic certe daemones curarunt, ut nullus esset theodorianae impudicitiae locus vacuus. Quare vitae sanioris homines, quicumque obviam illam habuissent in foro, se subduxerunt, ne vestium contactu scelus in se derivatum putaretur. Quin prima luce, quibus in conspectum venisset, haberetur avis infausta. » Ob haec et similia crimina obstupescens Eichelius in n. 74. inquit: « Imperatorem pium et prudentem maxime ab initio imperii ducere uxorem plebejam? ignobilibus parentibus ortam? scenicam meretricem? quae septem fere annos corpus omnibus prostituit? tot ab-

ortus procuravit? Cui tanquam avi infaustae nemo occurrere voluit? veneficam? cum daemonibus consuescentem? Foediora fere mens humana capere non potest: si posset, profecto in hoc libro haberentur. »

Deinde in sequenti c. X. Procopius de nuptiis ejusdem Theodorae cum Justiniano subdit: « Nam qui male factis admittere dedecus non veretur, neque gravate fert aliorum ob id execrationem, hic demum nullam interclusam sibi viam putat ad scelera, quin vultum induens audacem, facile jam in teterrima quoque ruit flagitia. Nullus e senatu, qui reipublicae eam labem inferri prohibendam censuit, rem detestabilem, jam jam Theodoram quasi deam veneraturus. Nullus antistitum graviter visus est, qui eam dominam esset compellaturus. Et qui pridem in theatro populi Theodorae fuerant spectatores, ejus se tanquam servitia supinis manibus per dedecus profitebantur. Nec miles ea re truculentior, scilicet pro Theodora belli discrimen in posterum aditurus, nemo denique mortalium repugnavit etc. »

Hujus insimulationis tum origo, tum falsitas apprime cunctis patuerit, qui sciunt obsequium varimode praestitum principibus, ac jure eis debitum, sive qui in Ecclesia praesunt, aut in imperio, ex antiquissima populorum praesertim orientalium consuetudine firmari, attamen extra praesumptam et vanam Procopii interpretationem circa Theodoram quasi deam honoratam a subditis christianis: cui rei aetas et sensus intimus obstant omnino. Ac interim audiatur, quod Eichelius haec et hujusmodi repetens et confutans Procopii ignobilia dicteria, scribit in n. 74.

« Scilicet quod toti senatui, universo clero, militum ordini, immo omni populo innotuerat, id non potest non fuisse manifestissimum. Neque in ore tantum byzantinorum fuit, sed, ut fieri amat in ejusmodi rebus, sine omni dubio ad exteros remotissimos dimanarit. Quapropter omnes non istius tantum, sed etiam non longe post subsequentis temporis scriptores ignorare non potuerint. Qui aetate Justiniani, et non paulo post claruerunt, ii fere sunt: Agapetus diaconus, Agathius, Auctor Appendicis ad Marcellinum, Auctor Poeta graecus, Basilius cilix, Cassiodorus, Corippus poeta, Cyril-

lus monachus, Eustathius presbyter, Facundus hermianensis, Evagrius, Gregorius turonensis, Hesychius milesius, Innocentius maronianus, Joannes epiphaniensis, Joannes scholasticus, Jornandes, Isidorus hispalensis, Leontius scholasticus, Liberatus diaconus, Marcellinus Comes, Menander protector, Paulus apamensis, Paulus silentiarius, Theodorus lector, Theophanes byzantius, Theophilus praeceptor Justiniani, Theophilactus Simocatta, Victor tunnunensis.

« Nemo tamen horum quidquam commemorat. Multos tamen ex hoc numero voluisse perlibenter Justinianum hac macula aspergere, multos etiam impune hoc facere voluisse nullum est dubium. Sane Victor tununensis, Evagrius, Facundus, Hesychius, Milesius nullo modo tacuissent, si ita res revera se habuisset. Praeter enim quod dicti auctores erant et Theodorae et Justiniano infensissimi, ut Victor quidem aperte profitetur, multo horribiliora de ipsis posteritati prodere non sunt veriti. Certe Evagrius, ne alia commemorem, quibus nomen justinianaeum foedat, aeternis flammis levissima de causa eumdem mancipare non dubitavit, haud silentio pressurus, quae vel minorem Justiniani famae maculam inurere possent, aut in omnium ore jam tum versarentur. Infensissimum Victorem Justiniano fuisse inimicum ex ipsius confessione, quam in suo Chronico recitat, clarissimum est . . . . Jornandes vero, Cassiodorus, Isidorus, Paulus diaconus tanquam imperio byzantino exempli id impune memorare potuissent. A nemine vero et quidem ne unico in tanto et numero et varietate scriptorum, rem tanti momenti inauditam, inusitatam, omnibus notam etiam ab hostibus Theodorae non fuisse ullibi locorum, ne leviter quidem tactam, si ita esset, ne simile quidem est vero. » Interim vero scias, quos Eichelius plures ibi connexuit scriptores (omnes fere hanc pertingentes aetatem) ut criminationes in Theodoram et Justinianum jactas contunderet, eosdem esse repetendos adversus cetera calumniatoris commenta, tanquam tutum se sistentes propugnaculum; in quo cuncti colliduntur pereuntque Procopii conatus sincerae mentiti historiae.

Sed et ad hanc stultam Procopii praesumptionem pertinet quodcumque enarravit in c. XXX. ejusdem Historiae

(unde et amplius nostrum adversus eum firmatur propositum) inquiens: « Ceterum ex iis, quae Justinianus atque Theodora novarunt, haec etiam sunt..... Verum cum in conspectu Justiniani et Theodorae venirent tum alii, tum qui patriciae dignitatis essent, statim in facie procumbebant, ac manibus pedibusque tensis utrumque Principis pedem osculo prosequebantur, ac tum abscedebant. Neque hunc honorem respuit Theodora, quae et persarum et aliorum barbarorum legatos (quod nunquam post hominum recordationem usurpatum est) admitteret, eisque lautia praeberet, tanquam penes illam imperii romani esset summa...... At quisquis cum horum alterutro augustorum sermones misceret, Imperatorem aut Imperatricem non dominum dominamque nominasset, ac principes dicere servos abstinuisset, is vere rudior ac procax habebatur, et quasi foedissime lapsus, et quibus haud esse illum deceret, injurius abigebatur. »

Nicolaus Alemannus in notis ejusdem capitis jure meritoque Procopii dicta confutavit, de hujus honoris causa disserens: « Ab ecclesiasticis, scribit, idem servatum ostendere videntur episcoporum et monachorum litterae ad Justinianum. Ex g. de Agapeto Papa: *Archiepiscopus veteris Romae Agapetus, qui ad piorum vestrorum pedum vestigia admissus est.* Item monachi ad eumdem loquuntur: *piis vestris vestigiis supplicavimus.* Item: *simul cum nobis presbyteris ad vestigia piissimi Imperatoris accurrere.* Ab ecclesiasticis hoc obsequii genus minime requisivisse Justinianum palam est. Immo a patriarchis in ingressu, discessuque benedici consuevisse Innocentius Maronianus ejus temporis scriptor testatur in epistola ad Thematem: *Piissimus atque amator Dei Imperator noster, accersito sanctissimo patriarcha Epiphanio, praecepit nos ingredi cum ipso, et postquam locutus est ei, quae Deus illi inspiravit, ipsum quidem dimisit, secundum morem oratione facta pro ejus pietate.* Si hoc est, qui credere graecis possumus, Agapetum romanum Justiniani vestigia veneratum fuisse, cum ad eum, Patris praeferens auctoritatem, accesserit? » Ceterum nullum est dubium, Procopium, cum talia scribat Justiniani decori obtrectandi causa, nisi malitia, saltem gravi laborare ignorantia, Orientis et prae-

sertim persarum imperitum consuetudinis in adeundo regem. Historia Estheris in divinis Scripturis adversus eum aperte obtestatur.

Nec aliter Historicus omnia probe acta Justiniani pervertens in contrarium sensum, suique oblitus et eorum, quae antea in Principe laudaverat in c. XII. *Anecdotum*, hunc vocat ad scelera perfacilem, inimicis inexorabilem, auri ardentissime sitientem et sanguinis; qui delationes facillime admisit et irrogavit poenas. Et in c. XIII. de eodem dicit: « Erat Justiniano animus pulvisculo levior, huc atque illuc facile trahendus praeterquam ad humanitatem. »

Ex adverso in praefatione *De Aedificiis* inquit Procopius: « Clementiam Imperatoris ostendent, qui insidiarum, quas ipsius vitae struxerant, manifeste convicti, non vita solum, fortunisque suis fruuntur hodie; sed romanis etiam exercitibus praesunt, ac se consulibus adscriptos vident. »

Hoc vero ut amplius comprobetur, praesto est Liber I. c. IX. *De bello vandalico*, ubi idem Procopius describit Gelimeri insurrectionem adversus Ildericum, quo ejecto, occupavit regnum. In Libro II. c. IX. victoriam per Belisarium narrat contra eumdem Gelimerem: qui coram Justiniano ductus, supplex reveritus precatur: « Imperator autem, subdit Historicus, ac Theodora augusta Ilderici filias et omnem Valentiniani augusti prosapiam multa pecunia donarunt. Gelimero fundos in Galatia assignarunt non contemnendos: ubi eidem cum cognatione licuit habitare. At patriciorum ordini ideo non fuit adscriptus Gelimerus, quia ab Arianismo discedere noluit. » In his ubi poenae quam facillime a Justiniano irrogatae invasori regni? ubi animus inexorabilis adversus hostes et quidem tales, uti se praebuit Gelimer, qui alienum thronum occupavit? Ubi auri sitis in Imperatore, qui fundos copiosos victo Gelimero donavit, et inter patricios honoravit?

Pari jure convellitur crimen Justiniano inscriptum a Procopio in c. VI. *Anecdotum*: « Vix decimus dies, ait, abierat, ex quo cum potestate fuit, et Amantium eunuchorum aulae principem interfecit etc. »

Huic insimulationi respondet Eichelius: « In hoc fraus nimis pellucet. Si nihil aliud fidem hujus scripti elevare posset, unicus hic locus sufficeret. Amantius enim non a Justiniano, sed a Justino interfectus est: ut exertis verbis Marcellinus in Chronico testatur, Amantium palatii praepositum et Andream cubicularium utrumque regni Justini inimicum in insula decapitatum esse. Quod item Jornandes asseverat una cum Victore tununensi et Evagrio coaetaneis. »

In Libro IV. *De Aedificiis* inquit Procopius: « Sed a patria regis mihi ordiendum esse arbitror. Hanc enim solam decet extolli, divulgare, venerari, quae talem regem enutrivit, talem romanis praestitit; cujus opera verbis enarrare et litteris commendare impossibile est. Quapropter nemo contenderit per omnem aetatem fuisse quempiam, et omnibus hominibus, Justiniano rege, magis providum et accuratiorem. »

Tamen in c. VI. *Historiae Arcanae* horum oblitus atque negans, talia de Justiniano scripsit: « Tantorum malorum auctor fuit, quot quanta audita non sunt ex omni superiorum aetatum memoria. Facile prorumpebat in opum alienarum rapinas, in caedes, sic ut pro nihilo duceret innumeram perdere omnis criminis insontem multitudinem. »

Insuper in c. IX. *Anecdotum*, Historicus Justinianum vocat virum perdite veneri studiosum, sicuti Theodoram collocat inter celeberrimas meretrices, ita ut nullus esset vacuus theodorianae impudicitiae locus. Item in c. XVII: « Hac tempestate, subdit, omnium fere mulierum mores corrupti, quae per summam licentiam impune peccabant in maritos: et in crimen adulterii vocatae dimittebantur. Multae, adita statim Imperatrice, ac reddito iterum de eadem causa plane contrario judicio, criminum immunes pronunciabantur. »

Attamen ibidem haud silet Historicus aedificium monasterii ex Justiniani et Theodorae opera pro receptione meretricum. De hoc porro sanctissimo nunquam satis commendando consilio, in futurae aetatis et principum christianorum exemplum praestantissimum, loquitur in Libro I. c. IX. *De Aedificiis* inquiens:

« Byzantii grex erat muliercularum, quae in lupanari servire veneri adigebantur. Cum enim leno tam arcte eas aleret, ut extrema penuria nunquam exirent, necesse habebant quotidianae libidini se permittere. Corpus subitario coitu cum ignotis obviisque miscebant. Verum Justinianus imperator, et Theodora augusta cum ex communi inter se studio pietatis omnia facerent, rationem hanc inierunt. Pulsis lenonibus, abominandas lustrorum sordes ejecerunt; foeminasque egentiores servili luxuria liberarunt, ita efficientes, ut vitam nemini mancipatam, et junctam cum libertate continentiam colerent. His ita constitutis, in eo freti littore, quod in Pontum Euxinum navigantibus dextrum est, veterem regiam in monasterium splendidum mutarunt; ut eo receptae foeminae, quas anteactae vitae poeniteret, intentis animis divino cultui, contractas meretricio instituto noxas piarent. Cui rei consentaneo nomine *poenitentia* dicitur hoc mulierum domicilium. Eidem monasterio amplos reditus uterque attribuit; multaque cubicula aedificavit decore et splendore maximo, solatium allatura foeminis: nequa necessitas studium continentiae quomodocumque infringat. » Cui sapienti consilio respondet altera Justiniani Constitutio XIV. *nequo in loco per Imperium Romanum lenones sint.*

Et hoc sane praestantissimum Justiniani et Theodorae opus, suaeque pietatis insigne monumentum solum sufficeret ad illudendum suorum adversariorum simulationibus, adeo ut, siquid ambo, quod hominis est, peccassent, istud ex tanto beneficio humanae et christianae societati collato repensum, obductum mansisset. Et hoc revera piissimum sapiensque Augusti et Augustae consilium clamat adversus recentes humanitatis instauratores: quorum studium impenditur non in cohibendis, sed in publicis erigendis, protegendis meretricum domibus; quo tuto convenientes et quasi honoratae, se et alios in perditionem trahunt.

Demum Procopius diuturno exacto studio in hoc adornando famoso libello adversus Justinianum, concludit: « Ubi vero Justinianus, siquidem homo ipse est, ex rebus humanis excesserit, vel si furiarum princeps res humanas everterit, quicumque superfuerint, id compertum habebunt. »

Attamen qui superfuerunt, quique successerunt, opinionem universalem et quidem sinceram erga Justinianum exprimentes ss. Gregorius Magnus et Agatho Pontifices, omnimode huic assertioni contrarium contestati sunt; et praesertim Agatho in praefata epistola ad Heraclium et Tiberium: ubi de eodem inquit: « Quantum is pro sincera confessione Deo placuit, tantum rempublicam christianam magnificavit. » Dein subdit, praestantissimam magni Justiniani virtutem et pietatem omnia in meliorem ordinem instaurasse. Et hinc *piae memoriae* hunc nominat et, ut alterum Constantinum, unitatis Ecclesiae studiosissimum. Item Patres in Synodo sexta reverenter *eum, qui in sanctis est*, nuncuparunt Justinianum.

Quod autem de Justiniani pietate hucusque notavi, illud idem asserendum est de Theodora augusta; cujus memoria a Procopio in libris *De Aedificiis* cum laude citata, in *Anecdotis* vituperatur. Hanc mulierem non ignoratur aliquando partes suscepisse acephalorum et praesertim Anthimi in episcopatum constantinopolitanum intrusi. Tantumdem vero non lateat eamdem resipuisse. Et hujus resipiscentiae testis est Vigilius Papa in epistola 7. ad Auxanium arelatensem an. 545. ubi ait: « Oportet ergo fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut domnos filios nostros clementissimos principes Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat: qui pro his etc. » Secundo admodum huic opinioni suffragatur Victor tununensis in Chronico; ubi quantumvis ostendere conetur Vigilii intrusionem in Petri Cathedram ex ipsius Theodorae studio, non audet tamen hanc nuncupare palam haereticam; sed tantummodo dicit eam *in occulto* acephalorum sectam propugnare. In quo nobis (cum Deo soli occulta pateant) liceat interpretari orthodoxam ipsius fidem, publice emendato errore, pieque defunctae.

Hoc autem plurimum roboratur a Pelagio Papa I. in epistola X. ad Childebertum regem: ubi sub *divae memoriae* titulo mortuam Theodoram nuncupavit. Et in Actione XIV. Concilii oecumenici VI. Justiniani et Theodorae nomina bis sub τῆς θείας λήξεως *divae memoriae* titulo praenotantur.

Historici vero graeci Theophanes et Cedrenus, unus Theodoram *cum pietate*, alter *pie* defunctam esse inquiunt.

Sed quid ultra opus insumatur in conferendis Procopii *Anecdotis* cum aliis libris *De Bellis* et *De Aedificiis*? Accuratum Eichelii studium, unde praefatas collegi animadversiones, cunctis praesto est: quo quisque recurrerit, ut plenam assequatur argumenti notionem. De reliquo, nescio qua mente Historicus in praefatione librorum *De Aedificiis* scripserit: « At mecum saepius cogitavi quantaque bona civitatibus ex historia nasci soleant: quae majorum memoriam posteritati transmittit, dum tempori rerum gestarum famam supprimere contendenti, enixe obstat. » Et hinc fideliter ipse huic prologo instans, nescio qua mente mirabilia Justiniani opera, virtutes eximias, pietatem singularem, imperii prosperitatem usque ad aethera extulerit, probe tamen sciens, se aliquando contra sensum suum, contra scopum in his libris intentum euntem, haec omnia sub falsitatis titulo inscripturum fuisse: idest adversus ea surgens, quae antea probaverat, Justiniani virtuti vitium substituens, probitati improbitatem, sapientiae substituens ignorantiam, gloriae dedecus, liberalitati avaritiam, castitati impudicitiam, magnanimitati ignominiam, abstinentiae insigni perenne veneris studium, mansuetudini iracundiam, constantiae volubilitatem, humanitati duritiem, elargitionibus direptiones, incolumitati populorum perniciem, celsitudini imperii ruinam, orbis saluti perditionem, dotibus ejus praeclaris nefandissima facinora, genio illius coelesti daemonem nequitiae substituens. Et quis ad hanc palinodiam coegit Procopium?

Ideoque, cum in praefatione *Historiae Arcanae* ait, se famam fabulatoris vereri, et cum recitatoribus tragoediarum annumerari similia scribentem, talis et non aliter nuncupandus est. Et sane quando ibidem ille subdit, se res antea silentio suppressas tunc edere, non sensit se in perpetua cogi contradictione. Si usque eo narrata *De Bellis* et *De Aedificiis* non recta contendissent cum iis, quae deinde prodidit, tolerandum quidem esset, quod ipse dicit, silentium. Verum cum sole splendidiorem in se mutuam referant oppositionem, et *Anecdota* posteriora anteriorem omnino destruant nar-

rationem, nullus reperitur Procopio evasionis locus, quo se recipiat a culpa, aut prius assentatoris impudentis, vel deinde mentitoris et calumniatoris manifesti.

Nihilominus assentatoris impudentis nota nullimode in Procopio, quasi ipse contraria veritati historicae pro Justiniano scripserit, admittenda est, nec multo minus in eo ignorantia rerum gestarum toleranda quippe auribus et oculis sibi probatarum: cum amplius plurimi intersint testes eamdem degentes aetatem, sive paulo post, non solum profani juris prudentissimi sensuque integerrimi, sed et sacri tum fide, tum doctrina, tum pietate distincti, in quibus praestantissimi ecclesiarum antistites eminent, et Ecclesiae Romanae Pontifices. Ii quidem cuncti universim conveniunt de rebus, quas ad Justiniani laudem scripsit Procopius in libris *De Bellis* et *Aedificiis*. Quapropter, cum in hac parte Procopius haud assentator impudens, sed verax, solers et ingenuus laudabilium Principis gestorum habeatur historicus, consequitur necessario eidem Procopio ob ea, quae deinde scripsit in *Anecdotis* sub *Historiae Arcanae* titulo, manifesti mentitoris et calumniatoris notam inscribendam esse.

Post haec placet saepe celebrati adponere judicium Eichelii, qui hujusmodi tam patentis contradictionis indicia in Procopio miratus, ejusdemque causas investigans, in Praefatione n. 26. talia de *Anecdotum* Auctore scribebat sapientissime: « Si colligamus jam omnia, quae partim jam antea sunt adducta, partim etiam dicenda, haud difficile erit porro judicare de hujus Scriptoris fide. Primo enim graecus est, deinde paganus, qui Christianam Religionem, quam tantopere aversaretur, simulare cogebatur, ne dignitatibus privaretur. Inserviebat Principi, qui insatiabili flagrabat amore erga Christum, ut ipse Procopius fateri cogitur. Superstitioni paganae addictos persequebatur, eosque ab avito et patrio errore ad veritatem coelestem adducere nitebatur: fana claudebat, ritus ubique tollebat; et propterea nullis parcebat sumptibus vel ad aedificanda templa, quorum numerus fere iniri non potest, vel ad convertendas integras gentes. Neminem nisi christianum ad magistratus admittebat, exclusis paganis ab omnibus honoribus tanquam infamia notatis.

Eos etiam, qui paganismo addictis indulgebant, vel magistratu dejiciebat, vel parte bonorum mulctabat, vel in exilium mittebat.

« Quae omnia hominem gentilem non potuerunt non mordere, et odio incendere flagrantissimo : praesertim cum ea, quae tantopere displicebant, simul verbis probare cogeretur. Omnes enim affectus suppressi et occultati vehementiores sunt non aliter ac venti conclusi, aut ignes coarctati. Quorum illos quidem vehementius concutere, hos vero saevius adurere nemini non est notum. Si nihil aliud ad fidem hujus scripti elevandam adduci possit, crederem hoc unum posse sufficere. »

Similiter alterius clarissimi viri huc accedat testimonium, Balthasaris Bonifacii in epistola, volumini Eichelii inserta, ad Dominicum Molinum, quem veritatis assertorem, obtrectationis et calumniae depulsorem vocat: « Et quod unum, inquit, maxime omnium sitientissime avere solet mortalium curiosa cupiditas, mortuum vidi ab inferis excitatum : nec vidi solum, sed hisce manibus contrectavi, fecique mihi adeo familiarem, ut, collatis etiam capitibus, de rebus arcanis colloquamur, sive potius confabulemur. Tu mihi, domine, redivivum Procopium, ejus, inquam, *Anecdota*, hoc est, ut ejus interpres de suo addit, *Arcanam Historiam* (quam ego disperisse funditus, atque ad nihilum revertisse, si modo quidquam fuit unquam, existimabam) integram, incolumem, ornatam, lautam, imo etiam cerussatam et calamistratam ostendis. Sed et aliud portentum mirabilius ostendis : immortalem, inquam, virum homuncionis pugionem tanquam Diomedis gladio confossum, obtruncatum et contrucidatum, anglicanae cujusdam *necyomantiae* miraculo vitae restitutum, de suis se hostibus ulcisci, mortuumque de vivis triumphare. Inter Justiniani titulos, illum quoque legimus, quo se, cum de barbaris gentibus victis domitis nomina sibi adscisceret, non solum gotthicum et vandalicum, sed etiam alemannicum appellabat. Pernegatum enim fuit a quibusdam, fuisse ab eo Principe alemannos praelio superatos, etc.

« Quod autem, subdit, ad Procopium attinet, ego neutrum laudare possum. Primum enim *Anecdota* illa procopia-

ne, putidam potius rabidi cujusdam syllographi satyram, quam incorruptum rerum gestarum scriptoris monumentum esse pronuntio. Germanusque commentarius ille sit, an commentitus et adulterinus, mihi, ut verum fatear, nondum satis liquet. Et miror a Rivio non ei motam de statu quaestionem: non enim minus interest rei litterariae certos et legitimos auctores agnosci, quam fictos et supposititios explodi... Certe si librum hunc scripsit Procopius, ingratum et infidum se Principi suo fuisse negare non potest, a quo per omnes dignitatum gradus ad summum in Romana Republica honoris apicem sit provectus: ut vere de eo praedixisse Juvenalis videatur:

Si fortuna volet, fies de rhetore consul.

« Nam de rabula et magistello praefectus aeternae Urbis dictus est Procopius a Caesare Justiniano; in quem modo tanquam Cossi equus detracto fraeno insolenter incurrit, et furiose debacchatur. Ceterum ipse sibi suisque historiis fidem abrogavit, cum hujuscemodi palinodiam importunissime recantaret: et omnem sinceri scriptoris gloriam, quam sibi octo prioribus libris comparaverit, hisce ineditis (quae utinam semper inedita permansissent) corrupit ac depudicavit. Cujus sane vel pueri, quos ille in arte dicendi erudiebat, illud Catonis objiccre potuissent:

Laudaris quodcumque palam quodcumque probaris:
Hoc cave ne rursus levitatis crimine damnes.

« At quomodo tandem damnat, quos paulo ante effuse laudaverat? Quomodo, inquam, damnat? Quo pudore, quave impudentia? Non equidem lege historicum, res uti gestae sunt, enarrantem, sed intentissima voce declamatorem tragoedias excitantem. Si per alterius cujuspiam Angli *sciomantiam* revixerit, unquam Plutarchus, qui Herodotum, scripto in eum libro, non sine amarulentia damnavit malignitatis; multo acrius et multo etiam justius invehetur in hunc Procopium, cujus profecto heroica malignitas. Nam quemadmodum heroum virtus definitur esse virtutis quaedam hyperbole; ita hujus consummatissima improbitas non inepte forsitan improbitatis hyperbole dici potest. In summa sic statuo, esse in hac cujuscumque illa sit Auctoris *rhyparogra-*

phia loquentiae satis, licentiae nimis, insolentiae plus nimio, multum livoris, plus odii, plurimum inscitiae, parum ordinis, minus facundiae, minimum judicii, nihil memoriae, minus nihilo sinceritatis. Quorum tamen criminum non censeo Procopium temere condemnandum. Fieri enim potuit, ut ab aliquo non hujus aetatis nebulone *Pseudo-anecdota* illa fuerint conficta, ut nos aliquando, spissa quadam caligine circumfusi, pro Junone crassam nebulam amplectentes, inter nebulones cum ipso pariter hujus *sycophantiae* constructore numeremur etc. »

His discussis, et huc amplius repetitis, quae in praecedentibus expensa sunt de Justiniano, incipiendo a trium Capitulorum quaestione, in qua scriptores quidam illusi existimarunt, illum morem gessisse acephalis, sicuti in altera de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem; et ob hujusmodi quaestiones Vigilium et Pelagium Pontifices et alios episcopos subjecisse iniquis et sacrilegis vexationibus: ac novissime absurdis ventilatis Procopii criminationibus in eumdem perfide elaboratis; si nonnulla donentur Justiniano, ubi ut homo offendere potuit in tam ardua imperii conditione, quae tamen delitescunt sub mirabilium gestorum cumulo (in quibus illud singulare, nulloque unquam tempore silentio praetereundum ipsius studium in propagatione nominis christiani, fideique unitatis per universum mundum et usque ad barbaras gentes) nihil aliud superest, nisi hujusmodi conclusio. Justinianus imperium auspicatus est catholicus; catholicam doctrinam in principatu gerendo alacriter propugnavit: Catholicae Ecclesiae unitati summopere studuit; et in Unitate Catholica piissime defunctus est, ita posteris illustre relinquens imperantibus exemplum in humanae societatis regimine. Quorum omnium testes ab initio imperii usque ad ejus obitum et ultra, fidelissimi, honorandi et sanctissimi praestant Pontifices Romani Hormisda, Joannes II. Agapetus, Vigilius, Pelagius I. Pelagius II. Gregorius Magnus, Agatho, aliique quam plurimi orbis christiani probati antistites.



CONCLUSIO

Sylloge contradictionum inter Catholicos et Schismaticos in historia quaestionis de tribus Capitulis: praecipue intentis Vigilii Papae et Justiniani imperatoris et Synodi V. actis.

Novissime, si documentorum omnium, quae inter apocrypha et notha mandavimus, tenor oculatius examinetur, et praecipue tempore et circumstantiis notatis, quibuscum dictata videntur, pluribus ex indiciis amplius revelabitur falsatorum et obtrectatorum calamus tria Capitula defendentium. Qui genuina Vigilii Papae, Justiniani, et Synodi V. acta et scripta corruperunt, perverterunt, suae parti accommodantes: adeo ut, quae vera sunt et quae falsa, acceptis, veluti diximus, in intolerandam ac nefandam transferantur antilogïam Pontifex, Justinianus, et antistites, qui cum his in hac quaestione laborarunt, ac una laudabilis cunctorum fama in ignominiam convertatur.

Quod si ex hac collatione videantur hujusmodi non esse admittendae contradictiones uti absurdae, magis ac magis nostrum invalescet studium erga Vigilii Pontificatum, erga Synodi V. definitionem, et orthodoxam Justiniani fidem et probitatem in hac gerenda quaestione. Itaque brevi sermone schismaticorum tria Capitula defendentium testimonia genuinis comparata catholicorum declarationibus, et aliorum documentis, qui sine partium studio hujus compegerunt aetatis historiam, tales proferunt antilogïas.

I

Catholici. Ab initio, sive primo mediante Vigilii Pontificatus anno in lapide insculpto istius legitur nomen: *Vigilio beatissimo Papa.* Per idem tempus ab Aratore Vigilius dicitur *Pastor gregis: sanctissimus Papa.* Tunc ut legitimus Pontifex Vigilius consulitur ab Eleuterio, sive Profuturo episcopo bracarensi, cui respondet secundum Sedis Apostolicae statuta. Insuper coram Ecclesia in epistolis genuinis Vi-

gilius de sua electione locutus ait, *divina et ineffabili misericordia honorem Pontificatus sibi concessum : super familiam suam a Deo constitutum : primi Apostolorum locum sibi a largitate divina impertitum* etc. utpote canonica electione promoto.

Schismatici. Ab exordio Pontificatus Vigilius *antipapa* vocatur, *pseudopapa, et Sedis Apostolicae pervasor*: cui ideo ex Silverii decreto ministerii sacerdotalis aufertur munus et excommunicatur. Per ambitum dicitur intrusus, simoniaca labe imbutus, acephalorum particeps haereseos, exilii et mortis Silverii reus, Petri Cathedrae usurpator.

II

Catholici. Arator subdiaconus Romae situs, et oculatus omnium testis, quae a Vigilii Pontificatus initio acciderunt, et antea quam Urbe discederet Bizantium profecturus, ipsius eximias virtutes canit; et praesertim stante gotthorum obsidione, vix s. Petri Cathedram ascendit Vigilius, ingenue romanorum salutem tanti Pastoris operae inscribendam esse testatur.

Schismatici. Haec mirabilia facta in pravam partem et ignominiam ab his commutata sunt. Ideo accusarunt Vigilium dicentes *illum male egisse cum romanis et omni plebe sua;* sic ut, vix discessit Constantinopolim iturus et navem conscendit, *populus coeperit jactare post eum lapides, fustes, cacabos et dicere*: *fames tua tecum*: *mortalitas tecum*: *male fecisti romanis; male invenias ubi vadis.*

III

Catholici. Vigilius in epistolis ad Justinianum et Mennam circa annum 540. fidem praedecessorum suorum profitetur, cunctos haereticos damnans, in quibus peculiariter acephalos sive semi-eutychianos, et horum principem Anthymum ecclesiae constantinopolitanae pervasorem.

Schismatici. Per idem tempus trium Capitulorum defensores Papae inscripserunt epistolam cum titulo: *Dominis et fratribus Theodosio, Anthymo et Severo Vigilius*, ubi duas damnavit in Christo naturas, ut ita ostenderet se acephalorum haeresi communicare adversus catholicam doctrinam.

IV

Catholici. Justinianus in *Forma* lecta coram Synodo dicit Vigilium Pontificem a se vocatum, ad Urbem regiam venisse ob trium Capitulorum causam, cujus judicio Imperator se submisit. Marcellinus in Chronico et Procopius *de Bello Gotthico*, simplici narratione scribunt Papam a Justiniano vocatum, Constantinopolim profectum esse.

Schismatici. In epistola *legatariis* legitur Vigilius adiisse Constantinopolim: « magis autem, quod verius est, dicatur, prope violenter deductus. » Item Theodora augusta scripsit ad Vigilium inquiens: « Veni adimple nobis, quae prona voluntate tua promisisti de patre nostro Anthymo, et revoca eum in officio suo. Deinde ipsa mandat Anthemio Scriboni, ut ubicumque (excepta basilica s. Petri) invenisset Vigilium, in navim impositum perducat ad eam. *Nam si non feceris*, ait, *per viventem in secula excoriari te faciam*. » Quod Anthemius perfecit.

V

Catholici. Circa annum 550. Vigilius Papa a sacra communione, et ministerio levitico suspendit Rusticum et Sebastianum diaconos romanos, quod contra Judicatum de trium Capitulorum damnatione insurrexissent.

Schismatici. Sub idem tempus trium Capitulorum defensores duo decreta sub Vigilii nomine publicarunt, unum *Encyclica ad universam Ecclesiam*, alterum *Anathema Theodori Caesareae Cappadociae* inscriptum. In quibus iste Theodorus Caesareae dicitur totius scandali causa propter trium Capi-

tulorum damnationem, et ob hoc cum suis excommunicatus. Cujus excommunicationis verba ita exposita sunt, ut mutatis personis, et sensu negativo in affirmativum translato, transcripta videantur ex praefata Vigilii epistola genuina ad Rusticum et Sebastianum.

VI

Catholici. In epistola ad Aurelianum Vigilius, quae in Judicato adversus tria Capitula decreverat, confirmans, per Anastasium ait se breviter ea narrare, addens *se eousque a reditu praepeditum esse et ab asperitate hyemis et ab Italiae necessitate a gotthis occupatae.*

Schismatici. Hujus epistolae Capitulorum defensores in litteris ad Legatos francorum, sensum falsarunt, asserentes non potuisse Anastasium Constantinopoli exire, nisi spopondisset se ea Capitula damnare, ac studium quoque suum impendere, ut episcopi Galliarum damnarent; ac amplius non licuisse Vigilio per eumdem Anastasium, *quid in ipsa causa ageretur, fratribus suis episcopis gallicanis scribere.*

VII

Catholici. Vigilius per Judicatum damnavit tria Capitula, ac deinde excommunicavit horum Capitulorum patronos, in quibus Sebastianum, Rusticum, Elium, Lampridium, et Felicem abbatem hujus scandali incentorem in Monasterio gillitano.

Schismatici. Ex narratione Facundi et Victoris constat tunc adunatis Synodis in Africa et in Illyrico excommunicatum fuisse Vigilium Papam ob trium Capitulorum damnationem; et inter sanctos numeratum esse Felicem abbatem.

VIII

Catholici. Per Vigilium edito Constituto adversus tria Capitula, eaque defendentes, inquit Victor tununensis in Chronico: « Verecundus vero ecclesiae nicensis episcopus in de-

fensione memoratorum perdurans Capitulorum, Chalcedone urbe, ubi refugium fecerat, in diversorio gloriosae matris Euphemiae de hac vita migravit ad Dominum. »

Schismatici. Proprio marte epistolam encyclicam commentati, Vigilio inscripserunt, ubi dicitur ipse in defensione trium Capitulorum et ob simultates cum Justiniano ad basilicam sanctae Euphemiae Chalcedone confugisse, ibique cum magno timore degisse et angustia.

IX

Catholici. Ab anno 547. ad 554. tum ex *Forma* Justiniani Patribus in Synodo oblata, tum ex Vigilii epistola ad Rusticum et Sebastianum, tum ex Constituto novissimo praeclare constat fidei concordia inter Principem et Pontificem unum et eumdem scopum miratos quoad trium Capitulorum quaestionem, eorumque damnationem, manente tamen in sua integritate definitione Synodi chalcedonensis.

Schismatici. Per idem aetatis intervallum simultates ferventes dicuntur exortae inter Justinianum et Vigilium in trium Capitulorum causa: adeo ut unus idest Pontifex ea Capitula defendens, Imperatori restitisset, et ob hanc resistentiam plures passus esset injurias et vexationes: donec cedens Principis exactionibus, tria contra sensum suum damnasset Capitula.

X

Catholici. Justinianus ab initio Concilii V. per epistolam *Forma* inscriptam ad episcopos, qui convenerant, hortatur, ut trium Capitulorum causam denuo inquirant, et antea per Judicatum facta confirmentur adversus illorum Capitulorum defensores, quemadmodum rite ab episcopis, ceteris quibusvis quaestionibus exclusis, expletum est.

Schismatici. Isti, Justiniani epistolae exordio verbotenus descripto, scopum tamen, qui tria Capitula respiciebat, sustollentes, commutarunt adversus Origenis errores; adeo ut deinde videretur, nequaquam in Synodo V. de his Capitulis tractatum esse, sed contra Origenem et origenistas.

XI

Catholici. Episcopi in Concilio unanimes tria Capitula anathematizarunt; in quibus praesertim Theodorum mopsuestenum quippe affinia docentem doctrinae Platonis, Manetis, Marcionis, Arii etc.

Schismatici. Ex adverso ea Capitula defendentes, suppresso horum Capitulorum anathemate, in eorum locum introduxerunt a Synodo damnatum Origenem affinia docentem doctrinae Platonis, Manetis et arianorum. Et hinc cum antistites orthodoxi tria Capitula anathemati subjecerint, schismatici novem Origenis Capitula furtive intruserunt ab ipsa Synodo V. anathematizata.

XII

Catholici. Vigilius Papa anno 27. imperii Justiniani, Eutychio episcopo constantinopolitano scribit aliisque in Synodo adunatis, trium Capitulorum, quae ab initio damnarat, approbans discussionem adversus eos, qui ea defendebant, ad confirmationem quatuor praecedentium Conciliorum.

Schismatici. Hoc anno 27. imperii Justiniani, Capitulorum defensores eidem Eutychio et episcopis inscriptam commentati sunt epistolam: ubi Papa dicit, se in hac quaestione *antea ab inimico generis humani impulsum ac per versutas illius cavillationes discordasse a fratribus suis: sed postea revelante Domino, veritate investigata, implevisse quae definienda erant, retractando et emendando, quae prius de tribus Capitulis decreverat.*

XIII

Catholici. Vigilius, adunata Synodo, per Justinianum et per episcopos invitatus ut interesset discussionibus, annuit quidem comprobans Synodum, sed tamen dixit, se per seipsum facere: *Ille vero,* ait Justinianus, *nobis mandavit quod de praedictis tribus Capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis*: quod praestitit.

Schismatici. Huic Vigilii simplici et sapienti responso addiderunt, Papam tunc ob corporis infirmitatem petitioni non respondisse, *postera vero die pollicitum se manifestare, quod ei de tali conventu placuisset.* Die sequenti inquiunt respondisse: *non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi quidem hic sunt orientales episcopi, pauci vero cum eo.* Similiter paulo post dixisse dicitur: *conveniant autem et tres patriarchae cum uno episcopo, ut inveniamur quatuor et quatuor: quatenus inter nos in scriptis conferatur de tribus Capitulis etc.*

XIV

Catholici. Veluti praemissum est, Vigilius ipse rogatus ut Synodo adesset, respondit probans episcoporum conventum, per se vero dicit causam Capitulorum tractare, ac Principi et Synodo exhibere: sicuti reapse egit per Constitutum novissimum confirmans, quod antea statuerat adversus illorum Capitulorum defensores.

Schismatici. Eo ipso tempore genuinum Vigilii pervertentes hujus responsi sensum, interpretati sunt, Papam ex adverso abiisse, et contrarium factum ab eo, quod antea definierat, ea Capitula defendisse, ac ideo a Justiniano excommunicatum, memoria illius deleta a sacris diptychis.

XV

Catholici. Per Constitutum novissimum et quidem Judicato, quod ab initio emisit vix Constantinopolim ingressus, consentaneum, Acta Synodi V. confirmat Vigilius, renovans trium Capitulorum anathema, adversariorum expugnans argumenta, et praesertim circa Ibae inscriptam Epistolam ad Marim, quam haereticam et impiam decernit.

Schismatici. Circa istud tempus, sive intra trium mensium spatium, Constitutum, cui nemo resistere liceret, publicatum est sub ejusdem Pontificis nomine: ubi tria defenduntur Capitula, ac potissimum Epistola Ibae ad Marim scripta, veluti fuisset a Synodo chalcedonensi comprobata orthodoxa.

XVI

Catholici. Eustathius testis omnium oculatus, quae acta sunt in Urbe regia, stante Synodo V. et postea, in Vita s. Eutychii ait cunctos, qui convenerant, episcopos, in quibus Vigiliuṁ Papam (et hoc amplissimo ipse Papa contestatus est in Constituto novissimo, de se locutus et de Justiniano) unanimiter *non violentia, non necessitate* subscripsisse trium Capitulorum anathemati; ac deinde singulos ad proprias discessisse civitates.

Schismatici. In contrariam partem abeuntes, commentati sunt, Vigilium tunc in exilium cum aliis fuisse deportatum ex sacrilego Justiniani mandato, eo quod noluerit trium Capitulorum subscribere damnationi a Patribus in Synodo sancitae. Deinde asserunt Papam ab exilio revocatum, Justiniano vehementissime urgente, necessitate adstrictum Capitulorum damnationi cum ceteris subscripsisse.

XVII

Catholici. Trium Capitulorum defensores a Patribus in Synodo congregatis, ac praecipue à Vigilio in ultimo Constituto, acephali vocantur, semi-eutychiani, Nestorio et Eutychi foederati, et *hujusmodi sopiti scandali incentores et renovatores.*

Schismatici. Isti ex adverso, quotquot orthodoxi, idest Vigilius ceterique in Synodo damnarunt tria Capitula, eisdem titulis injuriosis compellarunt. Quorum primores Facundus, Liberatus, et Rusticus per sua scripta probare, gratis tamen, conati sunt Vigilium et suos haeresi infectos fuisse, qua ipsi ea Capitula defendentes reapse infecti, anathematizati fuerant ab Ecclesia.

XVIII

Catholici. Vigilius Papa moritur: ac in coemeterio s. Priscillae sepùltus est. Deinde ejus corpus transfertur in Basilicam Vaticanam, ubi lapis inscriptus gloriosa ejus gesta ab

initio Pontificatus et ultra testatur; ejusque memoria et praesertim ob suum studium et fidem adversus trium Capitulorum propugnatores, honoratur a suis successoribus Pelagio I. Pelagio II. et a s. Gregorio Magno.

Schismatici. Liberatus in c. XXII: « Et haec Vigilius, ait, scribens haereticis occulte, permansit sedens. In quo impletum est illud: *edent suae viae fructus, et consiliis suis saturabuntur.* Ab ipsa haeresi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitae terminum suscepit, notum est omnibus. »

XIX

Catholici. Luculentissimis et inconcussis testimoniis Pontificum Romanorum Pelagii I. Pelagii II. Gregorii I. constat tria Capitula una cum defensoribus eorumdem fuisse damnata in Synodo V. oecumenica, alia quacumque seposita quaestione praesertim origeniana.

Schismatici. A Theophanis aetate, schismaticorum studio ab historia Synodi V. obliterata prorsus quaestione et damnatione trium Capitulorum, in horum locum praesumpta intrusa est damnatio Origenis Evagrii et Didymi, sive origenistarum sectae.

XX

Catholici. Theodorus primum monachus, et diaconus in Synodo hierosolymitana subscripsit anathemati acephalorum; deinde episcopus Caesareae Cappadociae Concilio V. adstitit damnans tria Capitula: cujus nomen ita in Actis inscribitur: *Theodorus religiosissimus Caesareae primae Cappadociae episcopus.*

Schismatici. Theodorus episcopus Caesareae Cappadociae secta acephalus, semi-eutichianus, haereseos origenistarum fautor, lupus rapax, dominico gregi insidias tendens, sacra communione privatur ab episcopatu depositus, et totius scandali promotor arguitur in quaestione et damnatione trium Capitulorum.

XXI

Catholici. Zoilus alexandrinus trium Capitulorum defensor ab episcopatu amovetur, et in illam Sedem evehitur Apollinarius orthodoxus, qui Synodo V. adstitit, et subscripsit anathemati eorum Capitulorum: *Apollinarius sanctissimus archiepiscopus Alexandriae magnae civitatis.* Hunc Anastasius antiochenus vocat divina sapientia praeditum.

Schismatici. Zoilus archiepiscopus ac simplicissimus sacerdos ab ecclesia alexandrina amovetur; et in ejus locum substituitur Apollinarius homo perversor et ejusdem ecclesiae adulter.

XXII

Catholici. Pelagius apocrisiarius apud Justinianum deinde legitimus Romanus Pontifex, ab initio de tribus Capitulis quaestionis, firmum, acerrimum se exhibuit et perpetuum horum Capitulorum expugnatorem, uti ipsius testantur epistolae.

Schismatici. Pelagius trium Capitulorum defensor ideo a Justiniano multatur exilio. Revocatus tamen ea Capitula damnat, et Pontifex eligitur a praevaricatoribus.

XXIII

Catholici. Pelagius I. in suis epistolis trium Capitulorum propugnatores ignorantes vocat, pervicaces, calumniatores, fraudulentos, perfidos, vaniloquentes.

Schismatici. Pelagium I. vocant instabilem, praevaricatorem, et a praevaricatoribus Pontificem electum; ac in desperationem actum repraesentant, eo quod subsignaverit trium Capitulorum anathema.

XXIV

Catholici. Ex Pelagii II. et s. Germani testimonio, extinctis vel sopitis haeresibus sub Justiniani imperio, zeloque

fervente Pontificum Romanorum, in fide consona Orientis et Occidentis laetabatur Ecclesia, tantummodo miserata tria Capitula defendentium schisma.

Schismatici. Ex adverso, teste Facundo cum aliis, eodem tempore, idest Justiniano imperante, potissimum fervebant nestoriani, eutychiani, acephali et origenistae ob Principis favorem erga haereticos, et ob Romanorum Pontificum Vigilii et Pelagii I. praevaricationem.

XXV

Catholici. Pontifices Romani et cuncti orbis catholici antistites Justinianum fidei orthodoxae propugnatorem nuncupant, et haeresum acerrimum hostem, alterum Constantinum in regimine imperii, cujus cuncta edicta sensu catholico dictata acclamantur; ejusque nomen post obitum sub *beatae et divae memoriae* titulo celebratur in Ecclesia.

Schismatici aliique maledici. Pontificum Vigilii et Pelagii et aliorum episcoporum insectatorem increpant Justinianum, haereseos eutychianorum et acephalorum patronum, erroris *Incorruptibilium* defensorem; ac demum ignobili ac temeraria praesumptione asserunt in haeresi defunctum, apud inferos poenis multatum aeternis.



PAULUS APOSTOLUS PROTOTYPUS

ORIGENIS

Vos tandem, o sapientissimi viri, quotquot in Ecclesia Christi zelo et eruditione excellitis, studiorum sacrorum cultores, historiae Ecclesiae periti, seduli veterum Patrum interpretes, cuncti dogmatis catholici propugnatores, vos tandem hujus quaestionis judices compello: totumque hunc laborem meum vestro submitto judicio. Non meam in hoc sed vestram omnimode veneror amplectorque auctoritatem. Et si quidem recta dixi, ex ore vestro ita se habeat rectitudo. Sin autem minus fecerim, ac punctum minime tulerim, sive et improbabile quidquam nolens scripserim, vos decernite. Vestrum enim est hoc: sicuti omne studium meum, cuncta verba mea, sensus et voluntas tota in vestra sunt potestate. Meum erga vos obsequium id petit, et fidei catholicae professio postulat. Origenes in conspectu vestro stat; et ego veluti hujus patronus, ejusdemque gerens causam, ad cathedram sapientiae vestrae appropinquare audeo. Vobis ideo, prout visum fuerit, pronunciare jus esto.

Ac interea memoria in primis complectimini famae altitudinem quae de tanto viro per orbem christianum percrebuit a suo in disciplina ecclesiastica tyrocinio usque ad seculi IV. finem. Considerate (etsi non deessent nonnulli obtrectatores qui adversus eum insurgerent) considerate quali universim tunc fideles, quantaque veneratione virum prosecuti sint morum sanctitate clarissimum, sapientia, zeloque incomparabilem pro christiani nominis gloria. Ex hoc enim talem exornarunt virum *pium, humilem, continentissimum: ab adolescentia amore Christi ad martyrium usque flagrantem: verbo et opere pietatem excolentem: in disquisitione veritatis solertissimum: in Scripturis exponendis munere divinitus cumulatum: coaevos omnes doctrina et eruditione superantem: christianae philosophiae principem: haereticorum malleum: perpetuo dogmata falsa et haeretica detestatum: eximia alacritate praeditum in Christi fide vindicanda contra infide-*

les: in Romanum Pontificem obsequentissimum: Scholae alexandrinae decus: virum apostolicum: ipsius nomen et dicta in loco apostolorum et prophetarum habita: virum prope divinum: Ecclesiae Doctorem: Ecclesiae Patrem: Ecclesiae Columnam: ecclesiarum post apostolos Magistrum: pie et sanctissime in Ecclesia Christi defunctum.

Et quis post copiosissimum tot titulorum cumulum non obstupescat? Et quis non miretur gloriosissimam Origenis famam, et in vita et post mortem ad centum et quinquaginta annos perseverantem, de religiosa ejus mente et de suae doctrinae integritate? Nemo autem unius esse scriptoris, aut discipuli, aut alicujus episcopi opus existimet tot encomiorum consertum. Verum sciat, quemadmodum Origenis nomen et ipsius doctrina totum pervagavit orbem christianum; ita quoque scriptores suae fidei et doctrinae testes ubique terrarum eumdem pariter decorasse laudibus, in unum consentientes de mirifica in Deum charitate, deque suae sapientiae celsitudine undique notis: *qui terrarum orbem sua doctrina replevit.*

Nullus enim ignorat quales discipulos, quot martyres ex illis, et in passione socios habuerit: quot viros pietate atque in divinis institutionibus praestantes Ecclesiae comparaverit; qui eximiis virtutibus hanc illustrarunt; quique ex Origenis schola Christo regenerati, et pro Christo laborantes, fructus dederunt uberrimos verae fidei, ut veterum monumenta testantur. Et ii quidem merito (cum sit de eorum sinceritate suspicari nefas) palam hoc antecessori suo perhibuere testimonium, nomen honorantes, fidem imitantes, zelum et pietatem, voce et scripto posteris commendantes singulare Christi athletae exemplum, quod ipsi prae oculis potissimum habuerunt; veluti superius ab initio Partis tertiae amplissime satisfecimus.

Cum autem ad hoc gloriae in Ecclesia fastigium jure elatus esset Origenes, non erat tamen praesumendum invidiae daemonem et nominis christiani hostem, perpetuum zizaniorum in agro dominico satorem, non erat praesumendum tunc quievisse; quin praesertim per homines a se aut livore aut haeresi illaqueatos, irrumperet in sanctum virum,

et dum in vivis erat ac maxime post ejusdem obitum, desinente seculo IV. Ita sane inferorum conamina, quae eo usque ex s. Pamphili praesertim, Eusebii et aliorum vigilanti cura fuerant cohibita ne invalescerent ad prosternendam tanti viri gloriam, tandem sub Theophili alexandrini primum illusione, deinde perfidia, aliorum nimia accedente credulitate, praevaluerunt, adeo ut ab hac aetate Origenis splendor converteretur in tenebras, et gloria in ignominiam transmutaretur.

Idcirco Origenes non amplius *vir pius*, non amplius *haereticorum malleus*, *vir apostolicus*, *Ecclesiae Pater*, *ecclesiarum Magister* nuncupatus est. Sed penitus contraria (audite et horrescite) de eo invaluit fama, ita ut diceretur *vir impius*, *blasphemus*, *haereticus* : *delirus*, *improbus*, *hypocrita*: *mente captus*, *pestifer*, *exitialis*: *loquax ineptus*, *mente excoecatus*: *stolidus*, *arrogans*, *superbus*, *fraudolentus*: *nugarum scriptor*, *somniator*: *Pythagorae*, *Platonis et Epicuri sectator*: *stoicorum discipulus*: *daemonis spiritu instigatus*: *Christo injuriosus*: *diaboli honorator*: *coluber tortuosus*, *vipera venenatissima*: *inebriatus vino sodomitico*: *magicae artis patrocinator*: *daemonum amore deperiens*: *Pilato deterior*: *arianorum pater*: *omnium haeresum condimentarius*. Et haec omnia in Origenis caput supervenerunt, instantibus quam maxime haereticorum perfidia, illusoribus et illusis. Et quis non miretur obstupefactus tantam subitamque sensuum mutationem in Ecclesia erga Origenis personam ejusque scripta ?

Vos itaque rogo, sapientissimi viri, rebus sic stantibus, decernite num iis Patribus, qui aetati Theophili praecessere, graecis et latinis praestanda sit fides, Patribus, dico, scientia et pietate conspicuis, qui Origeni convixerunt, et plures Christo ab ipso geniti sunt, ac ceteris qui post mortem illius, verbo et opere mirifice etiam cum vitae discrimine Ecclesiae fideliter inservierunt, adversus haereses et gentilium impietatem pugnantes : in quibus tercenti et octodecim numerantur episcopi in Synodo nicaena congregati. Decernite, an potius his fidei Origenis testibus, et genuina ejusdem percurrentibus scripta, credendum sit, quam aliis successoribus, quorum nonnulli minus cauti in segregando vera a falsis, alii ex

invidia, alii malevolentia sub hypocritico zelo celata, tam probrosis titulis venerandum Origenis nomen, ut foetidum coenum, despuentes conculcarunt.

Decernite, inquam, num Theophilus, qui prae ceteris tunc insurrexit hostis adversus Origenem, et omnium fuit praefatorum convitiorum auctor, praeferendus sit antiquioribus, et plurimis probatae fidei testibus, qui ingenue et praeter illusionem testati sunt Adamantium per omne suae vitae tempus fideliter in domo Dei versatum esse, ministerio verbi divini irreprehensibiliter vacasse, christianorum scholam rexisse, cathedras episcoporum cum fidelium admiratione ascendisse, varias peragrantem regiones evangelizando infidelium multitudinem ad Christum convertisse; philosophorum graecorum placita confutasse, haereticos vicisse; ac bis in episcoporum conventu adversus haereses alacriter dimicasse. Et quid haec cum tot et tantis criminationum generibus, quales nemo in Ecclesia unquam passus est?

Et fieri unquam, poterit, ut omnes, quos memoravi, episcopi tam ignari adeo stolidi, ita incauti fuerint, ut in sermonibus quos ab Origenis ore audiebant, et in libris, quos perlegebant, haud comprehenderent, neque introspicerent dogmatum suorum versutias, dictorumque suorum impietates, antilogïas, blasphemias, absurda? Ejusmodi sane exemplum in Historia Ecclesiastica novum, omnibus intentis praefatis circumstantiis, vestra prorsus extat consideratione dignum. Quapropter vosmetipsos in maxima sollicitudine versatos video, incomprehensibile reputantes, quomodo inter sanctos Ecclesiae Patres hoc de origeniana doctrina contradictionis genus exoriri potuerit.

Ceterum satis patet ecclesiasticos Doctores ante Theophili aevum, Origenis pietatem reveritos esse, ac neminem ausum fuisse, eumdem hujuscemodi vituperare conviciis. Et quamvis tunc nonnulli quasdam ipsius sententias notarint minus probatas, aut ambiguas, nec universim acceptas: aetati tamen plura donantes, discussionum difficultati, adversariorum conditioni, quibuscum pugnabat, ejusque loquendi proprietatibus, maxime ubi de mysteriis agebatur, nullatenus de sua fide dubitare praesumpserunt, ac multo minus ei ex-

probrare talia impia ac nefanda dogmata, ac talibus eumdem inhonorare ignobilibus dicteriis. Ideoque Ruffinus in Prologo Libri III. *Periarchon* ajebat, rectius facere, qui proficiendi causa istos libros legeret, eos a peritioribus exponi sibi, quam sine magistro et explanatione: cum tamen mallent homines res difficiles et obscuras per temeritatem et inscitiam condemnare, quam per diligentiam et studium discere.» Et hoc idem sensit s. Pamphilus et alii cum eo, qui in Origenis tractatus varios et quidem genuinos sedulam navarunt operam: quin ne jota quidem ex praefatis multiplicibus, nefandisque titulis vel scriberent, seu eisdem assentirentur.

Quamobrem vos per diversas vetustatis semitas, diuturnaque itinera hucusque manuducere conatus sum, causas investigans hujus inopinatae conversionis, quae post biscentum annos in orbe christiano invaluit non solum in Origenis vituperium circa suae fidei professionem, verum etiam in veterum Patrum ignominiam, qui tantis Adamantium cumularunt elogiis. Aliter enim perarduum sane, ne impossibile dicam, mihi visum fuisset unicuique illorum consulere parti, et eorum, qui ante Theophili aetatem de Origene scripserunt, et aliorum, qui cum Theophilo et post eum degerunt, Patrum, servatis, quoad fieri potuit, cujusque conscientiae probitate, sinceroque fidei zelo in hujusmodi opinionum conflictu.

Hoc autem consecutus essem, ostendens Origenis adversarios, in quibus praestitere Theophilus, Epiphanius et Hieronymus a fine seculi IV. et ultra, hos praesertim duos novissimos maledicorum et interpolatorum insidiis fuisse deceptos haud satis illorum machinationibus peritos. Ab hoc quidem tempore ex praefatorum sanctorum virorum illusione praeclarissimum Origenis nomen hostium suorum cessit imperio: et sanctitatis suae et doctrinae splendor a tenebroso perfidiae conanime supplantatus, hucusque manet. Ab hoc tempore, inquam, adversus hunc vidimus praevaluisse decretum Synodi alexandrinae sub ambitu, perfidia et violentia Theophili patriarchae adunatae; cujus perversitas Constantinopolim usque pervenit adversus s. Joannem Chrysostomum praecipuum Origenis defensorem.

Et cum hinc superaret malevolorum calumnia contra monachos nitrienses et Chrysostomum pro Origenis doctrina pugnantes, inde praestabant simplicium illusio et metus. Hic partium subintroibat studium, illic cognitionis causae defectus. Hic impia scripta legebantur Origeni nuncupata; hinc errorum discurrebat syntagma brevi sermone congestum adversus eumdem. Hic quaestio dogmatica cum quaestione critica confundebatur; illic in ejus defensoribus anathematis metus praevalebat. Hic ambitio, illic livor, hic simultates privatae, illic potestatis secularis concursus. Hic malae fidei, illic bonae fidei invaluerunt homines. Hinc quoque in quibusdam provinciis tunc obstabat episcopatus ignorantia (de qua paulo ante conquerebatur s. Gregorius nazianzenus) inde quam maxima restitit difficultas, qua singuli tenebantur causae judices, cuncta Origenis scripta comparandi, investigandi, interpretandi, conferendi, adeo ut rem penitius meditati, rectam pronunciarent sententiam. Ac demum dictis praepollentes aliae subierunt in Ecclesia causae et urgentiores, idest barbarorum irruptiones, donatistarum schisma, pelagianorum errores praeter arianorum haeresim et sectas inde exortas huc illuc pervadentes Orientis regiones. Unde factum est, ut oblivioni traderetur quaestio origeniana, quin judicium accuratum de ea institueretur, et exitum sortiretur veritati et justitiae consentaneum.

Nisi quod, etsi valde sero, quidam veterum Patrum studiosi exploratores, eorum doctrina et codicibus collatis, in scripta quoque Origenis occurrentes, et in Theophili alexandrini historiam ob ea, quae egit adversus monachos nitrienses ac praesertim Joannem Chrysostomum, suspiciones quasdam comprehenderint; valdeque dubitarint, num vir uti Origenes potuerit aliquando hujusmodi docere absurda, ac viros tam pios et doctos reperire unquam patronos suae doctrinae. Propterea ego quoque dubius denuo hujus aggredi causae recognitionem existimavi, quam pro viribus meis exegi; et quacum coram vobis modo sto, praestantissimi viri, vestrum praestolaturus judicium. Attamen priusquam hoc a vobis statuatur judicium de iis, quae credidit, docuitque Adamantius, ne vos pigeat breviter audire, quae fecit; siquan-

do fieri possit, ut ejus fides et doctrina operibus consonent, et ejus mores fidei probitatem confirment, simulque conveniant in ejusdem defensionem.

Ac interim vestrum nemo aegreferat, si Origenis coram vobis prototypum proferam Apostolum gentium: ac ideo de eo dicatur, quod Dominus de Paulo Ananiae praedixerat: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus et filiis Israel.* Praecipuum vero hujus prototypi argumentum produnt Pauli peregrinationes in varias provincias, Christi fidem evangelizantis nationibus. Videte Apostolum, statim ac segregavit eum Dominus ab utero matris suae, ut evangelizaret illum in gentibus, huc illuc discurrentem Imperii Romani urbes. A Damasco in Arabiam venit Apostolus. Deinde repetit Damascum, hinc Hierosolymam redit. Postea profectus est Antiochiam et Seleuciam. Navigavit in Cyprum. Asiae dein Minoris peragravit civitates. Transivit in Macedoniam; Athenas visit: Corinthum adiit. Et varias inde urbes pertransiens reversus est Hierosolymam. Demum in Italiam venit Romam usque, ubique judaeis et gentibus Christum annuntians.

Modo animadvertite Origenem apostolica calcantem vestigia. Alexandria profectus Hierosolymam venit; Syriae Palaestinae perlustravit urbes. Susceptoque verbi ministerio publice et privatim in ecclesiis et scholis Apostoli aemulator, Religionis christianae praeco, ab episcopis honoratur, munere concionandi adauctus. Bis in Arabiam profectus est contra haereticos disputaturus. Antiochiam accersitur: Caesaream adit; in Achajam proficiscitur. Athenas visit; ibique commoratus, et Apostoli more philosophorum conventui adstans in illorum opiniones dimicat, gentiumque vanitatibus illudit, et Jesum Filium Dei solummodo eis objicit colendum. Tyri longo tempore immoratus est. Verumtamen priusquam has susciperet peregrinationes, Romam usque ad Petri successorem, quod ei valde in optatis erat, profectus est, Zephyrino eo tempore Ecclesiam moderante.

Et in his peregrinationibus quale consilium Origenis? quid egit? quomodo se gessit? Ad Apostoli consilium miratus est, ejusque vestigia secutus. Sibi ob oculos illius proposuit

exemplum dicentis: *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma justitiae a dextris et a sinistris; per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.*

Et haec omnia in Paulo meditatus Origenes, eamdem semitam percurrere studuit, admirabilem sese Apostoli exhibens sectatorem. Et in primis cernite Origenem in his quae Apostolus ait: *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* etc. quod ministerium numquam remisit. Et ob hoc scribens ad Galatas c. I. inquit: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, ut evangelizarem illum gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Et hoc idem aggressus est Adamantius a sua pubertate, viriliter operatus est in juventute, explevit in senectute, consummavit in morte. Et ideo Homilia XVI. *in Lucam* ajebat: « Ego vero, quia opto esse ecclesiasticus, et non ab haeresiarcha aliquo, sed a Christi vocabulo nuncupari et nomen habere, quod benedicetur super terram, cupio tam opere quam sensu et esse et dici christianus. »

Et quemadmodum Apostolus nihil veritus mortem, martyriique flagrans ardore, coram Ephesi fidelibus loquebatur (Act. Apost. c. XX.) *quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino etc.* similiter profitebatur Origenes ex Homilia X. *in Numeros* n. 2: « Scit enim diabolus quia si ad reges et praesides adducamur propter Christi nomen ad testimonium judaeis et gentibus, gaudium nobis et exultatio sit; quia merces nostra multa est in coelo. » Et ob hoc, cum ejus pater tormentis

ob fidem christianam expositus esset, ei litteras dedit, inquiens: *Cave, mi pater, ne nostra causa sententiam mutes.*

Quare Eusebius, qui haec testatur in Libro VI. c. II. in c. III. subdit: « Origenes decimum octavum aetatis suae annum agebat, cum Scholae christianae institutioni praeficiebatur. In quo munere exequendo, dum persecutionum violentia, Aquila Alexandriae praefecturam gerente, vehementer ingravescebat, permagnas sane fecit progressiones. Quo quidem tempore etiam propter incredibilem humanitatem erga omnes sanctos martyres cum ignotos tum notos declaratam, et pronum de illis benemerendi studium, insignem cum primis et celebrem splendorem nominis apud omnes fidem christianam professos consecutus est. Nam non solum iis, cum essent in vinculis, et ad postremam de illis pronunciatam a judice sententiam responderent, usque praesto fuit: verum etiam postea, cum sancti illi ad necem abducerentur, magna loquendi libertate usus est: et se una libenti animo periculis objecit usque adeo, ut, cum jam audacter et fidenter adventaret, et ingenue et libere osculo charitatis saepe sanctos salutaret martyres, parum abesset quin gentilium multitudo, quae undique circumsistebat, tanquam ardentibus furiarum tedis exagitata, lapidibus eum concidisset: nisi dextram divinae gratiae subito sibi adjutricem adeptus, mire et praeter omnium opinionem aufugisset. » Quo desiderio adhuc anhelantem ex Commentario comprehendimus *in Epistolam ad Romanos*, a cujus relatione supersedimus.

Similiter Apostolus ex *Actis* cc. XIII. XIV. XV. in Asiae civitatibus judaeis atque gentilibus praedicans Christum, magnam illorum multitudinem ad fidem convertit ita ut valde concitati infideles de synagoga et gentibus adversus ipsum irruperint, quaerentes eum interficere, alias aperte turba excitata, alias occulte vitae suae insidias struentes, adeo ut de civitate ad aliam transmigrare cogeretur.

Tantumdem Origenes eodem zelo, quo Apostolus, aestuans erga Jesum, ejusque calcans vestigia Alexandriae, (ipse narrat Eusebius in citato Libro VI. c. III.) « propter alacre ejus et valde promptum studium et propter sermonis libertatem in verbo Christi divulgando declaratam iterum al-

que iterum, immo vix, aut ne vix quidem dici poterit, quoties ipsa divina et coelestis gratia illum multorum appetitum insidiis liberaverit. Atque ab infidelibus ob eorum copiam, qui sacratae fidei praeceptis ab eo essent instituti, tanta tamque crudelis pugna erat contra eum suscepta, ut milites deligerent, qui clandestina coitione facta, ei in domo, in qua commorabatur, insidias collocarent. Sic quotidie persecutionis aestus propter frequentiam illorum, qui ejus labore et industria ad divinam et coelestem doctrinam aditum sibi patefactum habuissent, contra eum effervescebat, ut tota civitas alexandrina non amplius illum tenere tuerique potuerit; sed ubique vexatus et exagitatus, domicilium subinde commutare cogeretur. »

Illud autem, quod singulare praestat in Origenis vita, quocum sese Apostoli imitatorem omnimode praeseferebat, excellit in paupertate et in divitiarum contemptu secundum ejusdem Pauli dicta: *nihil habentes et omnia possidentes*. Ab anno sextodecimo, patre Leonida martyrio coronato, pauper cum tota familia relinquitur Origenes: ac talem se praebuit servavitque perpetuo in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, haec passus lubenter, donec cursum suum consummaverit, non quae sua sed quae Dei erant, quaerens, ubique Jesu gloriae satagens et ejusdem nominis propagationis. De eo itaque s. Gregorius Neocaesareae ejus discipulus in *Oratione panegyrica* talia miratus, ajebat: « Discipulos ad virtutem operibus magis, quam verbis incitabat; talemque seipsum praebere conabatur, qualem verbis eum, qui recte victurus sit, describebat, exemplum proponens sapientis. »

Et ob hoc Eusebius in citato Libro c. III. scripsit: « Hujusmodi disciplina et plane philosophica ratione vivendi, pluribus deinceps annis uti perseveravit, omnes juvenilium cupiditatum illecebras undique submovens. Ac diurno quidem tempore gravissimos cujusque modi exercitationis labores tolerabat. Noctis vero maximam partem divinarum Scripturarum studiis impendebat, severissime, quoad poterat, philosophiae legibus, institutisque semetipsum coercens; quippe interdiu quidem jejuniorum exercitationibus insudabat; noctu vero somni spatium dimetiebatur, eumque non in strato, sed

super nudo solo capere satagebat. Maxime vero evangelica illa Servatoris nostri praecepta observanda esse ducebat; quibus monemur, tum ne duas tunicas habeamus, neve calceamentis utamur; tum ne de crastino nimium solliciti excruciemur. Sed et majore, quam aetas ferebat, animi ardore, in frigore ac nuditate perstans, et ad summum evangelicae paupertatis culmen evectus, familiares suos ingenti admiratione perculit. Ac multos quidem ex ipsis incredibili dolore affecit, qui bona sua cum ipso partiri optabant, cum illum divinae praedicationis gratia tantos labores sustinentem viderent. Verumtamen de vigore tolerantiae nihil unquam remisit. »

Ideo s. Hieronymus ipse in epistola 43. ad Marcellam, hoc mirabile vitae genus miratus in Origene, inquit : « Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius et Chalcenterus noster explicuit, in quadam epistola ad eumdem de Athenis scripta refert, nunquam se cibum, Origene praesente, sine lectione sumpsisse, nunquam iniisse somnum, nisi unus e fratribus sacris Litteris personaret. Hoc diebus fecisse et noctibus, ut et lectio exciperet orationem, et oratio lectionem. » In hoc vitae genere perstans, jam aetate provectus in *Exhortatione ad martyrium* n. 15. scribebat : « Ut igitur aequum est eos, qui tormentis et laboribus probati non sunt, primas eis cedere, qui equuleis et variis tormentorum generibus et igne patientiam exhibuerunt : sic et nos pauperes, nisi martyres erimus, ratio suadet primas vobis relinquere, qui propter Dei in Christo charitatem, fallacem et quaesitam a plerisque gloriam et possessiones tantas, et naturalem in liberos amorem conculcatis. »

Similiter Homilia XVI. *in Genesim* de se loquebatur ex Christi sermone : *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* « Contremisco haec dicens. Meus enim primo omnium, meus, inquam, ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, et eum, qui non renunciat omnibus, quae possidet. Et quid agimus? Quomodo haec aut ipsi legimus, aut populis exponimus ?...

Nolo duplicati criminis esse reus. Confiteor, et palam, populo audiente, confiteor haec scripta esse, etiamsi nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus implere etc. » Quotidiani ejus actus, (subdit Eusebius Libro VI. c. III.) verissimae cujusdam philosophiae et admirabilis disciplinae absolutissima opera videbantur. Atque ut vulgo dicitur, qualis oratio, talis ejus vita : qualis vita, talis oratio ejus fuit. » De hoc autem continentissimo et integerrimo vitae genere ab Origene exacto ipse testis est Hieronymus, qui quamvis ejus doctrinae hostilis quam maxime, attamen ipsius virtutes miratus, scripsit ad Pammachium et Oceanum: « Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. » Ceterum inter mirabilia adscribendum: Christianus moribus integerrimus et vita continentissimus, fide vero depravatissimus.

Item et hoc legitur *in Actis* c. XIII. de Proconsule Sergio Paulo, qui, vocatis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Quo audito, et Apostoli miratus virtutem adversus Elymam magum, credidit, Christi Ecclesiae nomen dans. Item in c. XXIV. 24. *Post aliquot autem dies veniens Felix (praeses) cum Drusilla uxore sua, quae erat judaea, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Jesum.* Similiter paulo post c. XXVI. coram rege Agrippa tanta vi sermonis Apostolus loquitur de Jesu, ut ipse rex responderit: *in modico suades me christianum fieri. Et Paulus: opto apud Deum et in modico et magno, non tantum te sed etiam omnes, qui audiunt etc.*

Origenes porro ad Apostoli imitationem (Eusebius tradit in Libro VI. c. XIII.) a praeside Arabiae sollicite vocatur, ut ab eo erudiretur in sacris Litteris. Similiter c. XV. inquit: « Mamaea Alexandri imperatoris mater, mulier (siqua alia) virtute et pietate spectatissima, vita atque moribus cum primis religiosa, cum Origenis fama ita celebris passim hominum vagaretur sermonibus, ut ad ejus etiam aures perveniret, permagno videbatur aestimare, si non solum viri dignaretur aspectu: verum etiam ejus in sacris Litteris intelligentiae, quam omnes admirabantur, periculum faceret. » Ad hanc profectus Origenes, et cum ea moratus aliquantum

multa, quae ad gloriam Domini et divinae ejus disciplinae spectabant, exposuit. Scripsit quoque Origenes ad Philippum imperatorem et ad Severam uxorem ejus epistolas, ubi doctrinae christianae sapientia praelucebat, et sanctitas.

Hoc autem sane mirum in Origene, qui, quamvis perpetuo cum haereticis congrederetur, falsas confutans eorum doctrinas, catholicum dogma propugnans supra praedicationem apostolicam solidatum, et in qua tantummodo obtinetur salus, nihilominus, ut ostenderet quanto horrore ipse eorum prava dogmata afficeret, Apostoli dictum prae oculis habuit: *nolite jugum ducere cum infidelibus*, et quod sequitur: *quae conventio Christi ad Belial?* adhuc ipse adolescens (narrat Eusebius in Libro VI. c. II.) patris facultatibus fisco mancipatis, in summam inopiam redactus, ipse ab opulentissima foemina adoptivus filius excipitur, quem secum habens domi, mirum in modum complectebatur. In hac vero domo quidam vir haereticorum propugnator degebat: « Sed Origenes, etsi cum supradicto viro, cui Paulus nomen erat, necessitate compulsus versaretur, ex eo tamen tempore suae in recta fide retinenda constantiae illustrissimum specimen dans, nunquam adduci potuit, ut cum Paulo haeretico in precatione consisteret: Ecclesiae scilicet regulam servans a puero, ut, et ipsemet alicubi loquitur, abominatus haereticorum dogmatum praedicationem. »

Quanta vero in Religione christiana praestet humilitatis virtus ab Jesu exemplari ostendit, Apostolus; qui toto studio hanc sermone et opere excolere satagit, adeo ut coram corinthiis obtestatus sit: « *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.* Ideoque quamvis privilegiis specialibus a Deo decoratus esset, nihilominus se minimum Apostolorum profitetur: *quoniam persecutus sum,* inquit, *Ecclesiam Dei.* Item, *cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.* Et hoc manifestatur in cunctis Apostoli actibus et in tota sua conversatione inter gentes.

Hunc sicuti Christum miratus Origenes, sibique praefigens typum, quippe Christianismi summitas est humilitas, super omnia hanc singularem virtutem in corde suo fixit per-

petuo infirmitatem confessus mentis suae, speciatim in tractandis Religionis christianae mysteriis. Et istud praeclare Homilia XI. *in Genesim* manifestat: « Tanquam, ait, qui exiguo vectus navigio mare ingressus, pavet ratis suae naufragium; ita meritis exiguus et ingenio tenuis, vix audeo mysteriorum Scripturarum tam vastum pelagus inire. »

Et *in Epistolam ad Romanos* Libro IX. n. 12. dicta exponens: *nolite esse prudentes apud vosmetipsos* ait: « Qui sibi prudens esse videtur, hic cum arrogantia stultus est, nec potest veram sapientiam Dei scire, qui suam stultitiam, quasi sapientiam colit. » Ac ideo ad animi sui exprimendum candorem ac demissionem quamvis inter clericos adscitus, scribebat Homilia XI. *in Hieremiam*: « Nos, qui putamur aliquid esse, idest qui in clericatus vobis ordine praesidemus, in tantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus. Multi enim et presbyteri pereunt, et laici beatissimi reperiuntur. Sed si ordinem clericatus et mereamur pariter, et habeamus. »

Quapropter in divinis Scripturarum mysteriis, sive universim de re christiana tractans, ob rei difficultatem et errandi metum, duo quam maxime necessaria suis praemisit discussionibus, invocationem nempe Spiritus Sancti, ac deinde in aliorum quam in suo judicio confidentiam. Quam obtestationem undique suis interposuit tractatibus; quod valde ostendunt quam humiliter de suo ingenio sentiret. Quod quidem luculenter exprimit in Libro II. c. VI. *Periarchon de Christi Incarnatione* n. 2. « Quae quidem non temeritate aliqua, sed quomodo ordo loci deposcit, ea magis quae fides nostra continet, quam humanae rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras, quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes. » Ac in fine concludit: « Haec interim nobis ad praesens de rebus tam difficilibus, idest de Incarnatione et Deitate Christi occurrere potuerunt. Siquis sane melius poterit invenire et evidentioribus de Scripturis sanctis assertionibus confirmare, quae dicit, illa potius quam haec, accipiantur. » Et hinc Homilia XX. *in Lucam* ex verbis, *et erat subditus*

illis: « si Jesus, inquit, Filius Dei subjicitur Joseph et Mariae, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? Non subjiciar presbytero, qui mihi a Domini dignatione praepositus est? »

Profecto ex his declarationibus frequentius in Origenis libris obviis, rerum inspecta difficultate, tum ob erroris metum tum amplius ob id, quod consequenter suis interposuit discussionibus, se aliorum dicens sapientum expectare judicium, quam in suo sensu abundare, quivis tollitur adversariis eum reprobandi, aut condemnandi praetextus, seu ullam ei haeretici inurendi maculam. Nemo demum ignorat quanta eruditione, quanta sapientia scripsit Origenes adversus Celsum; attamen in Prologo inquit: « Quapropter ignoscas velim iis, quae post hanc praefationem initio sunt. Quod si neque tibi faciunt satis, quae sequuntur, de illis quoque similem petens veniam, mitto te ad sapientiores, et qui dictis scriptisque illius hominis contra nos calumnias refellere valeant. »

In hac collatione progressi, haud ignoramus, quae in ministerio apostolico passus est Paulus non solum ab ethnicis sed ab haereticis et falsis fratribus. Qui ideo ad corinthios scribens narrat quomodo quidam Christi nomen praeferentes, non tamen Christi charitatem et scientiam ipsius revera professi, ei exprobrabant tanquam non recte incedenti in Evangelii praedicatione. Quos ideo vocat Paulus *pseudo-apostolos, falsos fratres*, Christi nomen ostentantes falso, Christique discipulos simulatos. Tales sane erant Nicolaus antiochenus, Cerintus, Philetes, Hermogenes, Demas et christianorum secta judaizantium: in quos validissime dimicavit, redarguitque tanquam verborum suorum depravatores.

Nec aliter Origenis passa est doctrina: « Quandoquidem, inquit Homilia XXV. *in Lucam*, quandoquidem in Ecclesia patimur. Plerique enim, dum plus diligunt, quam meremur, haec jactant; et loquuntur sermones nostros, doctrinamque laudantes: quae conscientia nostra non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes, ea sentire nos criminantur, quae nunquam sensisse nos novimus. » Ac propterea in Litteris ad Amicos alexandrinos, ait sibi supervenisse, quae Apostolo, cui nonnulli falsam epistolam inscripserunt ut conturbarent

thessalonicenses: « Talia, inquit Adamantius, quaedam video etiam nobis accidere. Nam quidam auctor haereseos, cum sub praesentia multorum habita inter nos fuisset disputatio; et descriptum accipiens ab his, qui descripserant codicem, quae voluit, addidit, et quae noluit, abstulit, et quod visum est ei, permutavit, circumferens tanquam ex nomine nostro insultans, et ostendens ea, quae ipse conscripsit. Pro quibus indignantes fratres etc. » Unde arguitur, quam immerito nomen haeretici adscriptum sit Origeni. Ceteroquin si reapse haeretica docuisset, non fuisset vel haereticis, vel invidis ipsius libros corrumpendi aut falsandi opus, aut sensus alio retorquendi, quo ipse non intendit. Cum ideo in sua conscientia securus, ut Apostolus, de recta fide, quam profitebatur et propugnabat, Deum invocet sermonum suorum testem: *« siquis ergo,* ait, *vult credere mihi in conspectu Dei loquenti; etiam ista, quae in Epistola mea conficta sunt et inserta, credat*, et cum simul constet adversarios scripta sua depravare conatos esse, planissime infertur origenianae doctrinae integritas adversus veterum et recentium praesumptiones.

De reliquo huic loco probe accommodatur, quod scribit Origenes ad Amicos alexandrinos a se amovens falsas Demetrii episcopi insimulationes tamquam immunis a culpis sibi adscriptis, ac ideo clamans adversus eumdem et quidem jure sicuti veteres prophetae adversus pastores, presbyteros et principes populi stultos factos: *sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt*: « Quorum tamen, inquit, magis misereri, quam eos odisse debemus, et orare pro illis, quam eis maledicere: ad benedicendum enim, nec ad maledicendum nati sumus. » In hac conditione positus (quemadmodum superius adversus s. Hieronymi illusionem ostendimus) eamdem pergit Origenes viam, quam sectatus est Apostolus a falsis fratribus frustra accusatus (I. Epistola ad Corinthios) et a judaeis (in Actis c. XXV.) insimulatus, quasi in Legem, in Templum et in Caesarem peccasset, de sua innocentia securus respondet, falsitatem criminationum et criminantium redarguens, ne ex suo silentio offensi simplices, suum contemnerent ministerium in Evangelio.

Apostolus (Act. c. XVII.) Asiae civitates percurrens Athenas venisse legitur: et disputans cum epicureis et stoicis, ductus fuit in Areopagum, ubi interrogatur: *possumus scire, quae est haec nova, quae a te dicitur, doctrina. Nova enim quaedam infers auribus nostris: volumus ergo scire quidnam velint haec esse.* Exorsus Apostolus ita orationem suam viris doctrina et ingenio praestantibus comparavit, ut eos sine exasperatione convincat. Crebri erant Athenis viri, qui vitam omnem traduxerant in meditationibus et philosophia. Proponit illis, hanc esse primam, hanc summam hominis occupationem, ut sciat idcirco se in mundo constitutum a Creatore, ut quaerat Deum, et sic paulatim ducat eos ad Christi cognitionem suaeque doctrinae.

Haud aliter Origenes egit in Schola alexandrina, Caesareae, Athenis et alibi, tempori et hominibus accommodans sermones, ut eos ad fidei veritatem alliceret. Et hoc manifeste testatur s. Gregorius Thaumaturgus ejus discipulus in *Oratione panegyrica*, de se et suo fratre Athenodoro locutus n. 6: « Omnino enim nec pium erga communem omnium Dominum esse absque philosophia quempiam censebat: quo munere solus ex omnibus terrae animantibus homo decoratus est; idque merito sapiens aeque atque imperitus quisque amplectitur, qui modo sensum omnem intelligentiae prae quadam amentia non amiserit. Nec pium igitur omnino esse affirmabat, qui philosophatus non esset. Quoad tandem multos id genus ex aliis alios sermones instillans, nos velut fascino quodam artibus suis perdomitos, sermonibus suis, nescio quo pacto, divina vi quadam constabilivit; et juxta se immobiles tenuit.

Paulus Apostolus (ad Galatas cc. I. et II.) Hierosolymam adivit videre Petrum, et mansit apud eum diebus quindecim. Deinde, ait, post annos quatuordecim, orta Antiochiae quaestione, num fideles ex gentibus essent circumcisioni subjiciendi, iterum ascendit Hierosolymam, seniores et Apostolos, in quibus Petrus eminebat, de hac re consulturus. E cujus sermone Paulus, adversariorum reprobata sententia, praedicationis suae confirmationem consecutus est.

Haud aliter Origenes Apostoli doctrinam et actus ob oculos suos quotidie gerens, non tantum Petri successorem Zephyrinum visit, verum etiam erga Petri Cathedram et quidem veritatis Sedem, suam omnimodam manifestat reverentiam, cum ab aemulis suis culparetur, quasi non recta incedens in Evangelii ministerio, ecclesiarum episcopos et praesertim Pontificem Romanum per litteras appellat; cujus judicio suae fidei professionem subjicit: « Scribit (inquit Eusebius in Libro VI.) scribit Origenes praeterea Fabiano Romano Episcopo, aliisque permultis ecclesiarum praesidibus de sua recta et orthodoxa circa fidem christianam sententia. » Scribit sane ad Romanum Episcopum, illius successorem, qui hanc fundaverat Ecclesiam, cujus fides annunciabatur in universo mundo: « Eo quod, (subdit Libro I. Commentariorum *in Epistolam ad Romanos* n. 9.) eo quod fides ista, quam romani habent, ipsa eademque sit, et non alia, quam quae in universo mundo annunciatur et creditur: quae non solum in terra, sed etiam in coelis praedicatur. »

Cum ergo Origenes perstet fidelis custos mandati apostolici ad thessalonicenses (2. Epistola c. II.): *state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram;* et hinc intentis praecipue, quas ecclesias visit Origenes, quas provincias tum Asiae, tum Europae peragravit, olim ab apostolorum pede calcatas; ac una repetitis, quae superius in prima et secunda Parte discussa sunt ex pluribus ipsius libris dogmati catholico et disciplinae ecclesiasticae consentanea, jure meritoque supra ceteros illius aetatis Doctores in Origenis scriptis constituitur anulus insolubilis, quo vetusta nectuntur sacra et genuina apostolorum instituta cum iis successivis ejusdem Origenis aetati, hinc inde arcte sese recipientibus, quin earum disrumpatur nexus. Qui usque modo indeclinabiliter perseverat in Ecclesia Catholica, et qui jugiter obtestatur adversus recentes heterodoxos ejusdem traditionis apostolicae oppugnatores.

Haec autem adeo exacta sunt, ut, quae credidit Apostolus, crediderit Origenis; quae fidelibus tradidit Apostolus, tradiderit Origenes: quae scripto mandavit Apostolus, mandaverit Origenes: quae vel per sermonem vel per epistolas

docuit Apostolus de Deo uno et trino, de Verbo incarnato, de Redemptione, de Spiritu Sancto, de mundi creatione, de angelis, de homine, de anima, de mundi fine, de resurrectione, de libero arbitrio, de divinis Scripturis, de perenni coelesti proborum gloria, de reproborum poenis aeternis, de coelesti et ecclesiastica Hierarchia, de Ecclesiae christianae Sacramentis eorumque praxi, de persona Petri etc. haec eadem docuerit et scripserit Origenes: ac insupe quae ar . consummavit Apostolus ad perfectionem christia. m assi ...plus, in cunctis imitatus sit Origenes.

Ideo s. Pamphilus in c. I. Apologetici osten ...ns quali studio in Christi doctrina profecerit, et quo ipse ... is discussionibus adversus haereticos Origenes intender, inquit: « Hoc idem facit etiam cum haereticorum discuti sectas: quibus omnibus confutatis atque convictis, unam so ... m eamque, quam supra exposuit, catholicae veritatis s tentiam tenet. De quibus singulis qualiter responderit hae ticis, et quomodo universa eorum dogmata destruens, ip ... semper Apostolicam confirmaverit fidem, si velimus om ... sententias ejus congregare, et longum satis esset, et e ... t tam nobis, qui scribimus onerosum, quam legentibus t ... d osum. »

Post haec considerate, judices ingenui, qua ... jure supra ceteros Christi athletas dixi Origenem exp ... se Apostoli monitum ad Philippenses c. III. *Imitator ... mei estote fratres et observate eos, qui ita ambulant,* καθὼ ... ἔχετε τύπον ἡμᾶς *sicuti nos habetis typum.* Et hinc videte n ... haeretici nomen Origeni adscribere fas sit; an amplius ... pietatis nota licuerit aliquando, vel nunc liceat insimu... virum, qui tanta fidei, probitatis et sanctitatis sincer... mon ...enta commisit suis libris, actuque confirmavit: qui tan... ardore Christi profligavit hostes; ...ò zelo et sap... tia haereticos confutavit: qui totam vitam suam consum... vit in verbi divini ministerio: qui Apostoli instar cor... regibus, et principibus, fidelibus et infidelibus, sapie... s et insipientibus Christi Evangelium annuntiavit: qui ...r nibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos.

Perpendite itidem quanta i... eo ...assus sit in christiana Religione propugnanda; qui sub tortoris manu confessus est

Jesu Christi nomen. Qui tamen mortem cupiens, mori non permittebatur. Ex iis enim erat Origenes, quorum mors a persecutoribus non aestimabatur victoria sed clades; et quibus, s. Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi. Et quorum (subdit s. Hieronymus in Vita beati Pauli Eremitae) hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare non corpora. In his sane numerandus est Origenes, cujus mors sub persecutorum gladio maximum obsignasset triumphum doctrinae christianae, et idololatriae probrum. In hac vero conditione positus, et tormentis superstes Origenes, etsi perfectam martyrii coronam non consecutus sit, vitam cum morte commutans inter cruciatus; tamen martyr ipse fuit voluntate, martyr in desiderio, Christi martyr coram judice, martyr in alacritate confessionis, martyr in vinculis, martyr in excruciante membrorum distractione, ac demum ceteris excellens martyribus, quia, dum cupiebat mori, non permittebatur occidi.

Deinde quoque hanc sedulo Chrysostomi, Theotimi, Joannis hierosolymitani et aliorum considerate sententiam sapientissime de Origene excogitatam, asserentium, se nolle hujus subscribere anathemati, quem prisci Ecclesiae Patres haud eousque condemnarant; nec consequenter monachos uti haereticos arguendos; qui disputantes de Origenis libris, putarunt falsatos, ubi impia dogmata occurrerent, quippe ab ipso saepius reprobata Auctore.

Item perpendite, quanto jure ita senserint erga Origenem sancti viri, disciplinae ecclesiasticae periti; quam Apostolus ad Titum scribens c. III. tradit: *haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita; sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Hanc tamen correptionem legitime statutam nunquam ab Ecclesia audivit Origenes. Et quamquam sui aemuli, aut invidi, aut malevoli, sive praeter scientiam zelatores (de quibus valde conqueritur in suis scriptis) adversus eumdem surgerent, ei inscribentes errores: tamen non solum coram eis sensum suae doctrinae explanavit, sed et coram Romano Pontifice et universali Ecclesia obtestatus est, se velle cum eadem in omnibus sentire; et dogmati ca-

tholico, quod ipsa profitebatur, prorsus inhaerere, humiliter sese ipsius in cunctis quaestionibus judicio submittens. Quam protestationem saepissime instauravit de re christiana disputans Adamantius.

Quapropter, si juxta Apostolum et Ecclesiae Catholicae canones ille habendus sit haereticus, qui sibi novum quoddam doctrinae genus eligat, qui singulares opiniones adstruat a communi Ecclesiae sententia discrepantes, easque pertinaciter tueatur; aut si proprio sensui Scripturas attemperet, aut illis contradicat, vel praeter interpretationem, quam Ecclesia tenet, easdem exponat, privatis suis opinionibus obsecutus; si iste, inquam, qui talia sapit, extra Ecclesiam habendus sit, et haereticus nominandus : ab hac insimulatione profecto absolvendus est Origenes, quippe in his nullimode peccavit. Et, siquis velit quandoque in nonnullis errantem, ut hominis est, reprobare Origenem, nunquam tamen ostenderit, ipsum contra Ecclesiae Catholicae sensum ex animo scripsisse, ac multo minus ejusdem Ecclesiae restitisse definitioni, ut ideo in eo dolus admittatur, aut in errore pervicacia, et a seipso damnatus, ut ait Apostolus.

Ceterum Origenes nec Apostolus proprie, nec vir divinitus inspiratus dicendus est, ut statuatur in suo sensu infallibilis : quandoquidem ex adverso de se humiliter sentiens, frequentius, et potissimum in divinis tractandis mysteriis, infirmitatem mentis suae confessus est. Ac ideo veritus ne, in his exponendis tractatibus praeter illud, quod veritas postularet, doceret, tanquam opiniones simplices praestantiori submissas judicio, sua dicta profert. Proindeque, si in tot tantisque quaestionibus ineundis, quotidie novis tunc versutisque supervenientibus Evangelii oppositoribus, undique philosophorum et haereticorum subeuntibus paralogismis, si, inquam, ob quasdam locutiones minus ponderatas, offenderit, aut erraverit, istud intelligentiae suae donandum est; nec tamen voluntati, quae perpetuo apostolicae et ecclesiasticae traditioni obsequentissima adhaesit. Et hoc est, quod amplissime in Prologo *Periarchon* n. 2. declaravit inquiens: « Quoniam ergo multi ex his, qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum

etiam in magnis et maximis, idest de Deo etc. servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. » Quam regulam religiosissime ac quotidie servavit, coluitque Origenes.

Et hinc, cum quorumdam dogmatum, praesertim tunc temporis, evidentiam haud ipse comprehenderit, quippe ex sacris Scripturis vel ex traditionibus apostolicis minus sibi corruscarent, de his dubia solummodo proposuit, eaque dubitanter discussit, nolens insuper tales discussiones tanquam certae fidei haberi; consequenterque cupiens aliorum, qui melius rem expedivissent, quam suam, fieri sententiam: prae oculis quotidie habens tribunal supremum Ecclesiae a Christo constitutum, cui humiliter sese in omnibus subjecit, illius auctoritatem veneratus. Quod sane ab omni haereseos non tantum suspicione eximit Origenem; sed et manifestissime indicat, eumdem nihil novi adversus praedicationem apostolicam introducere praesumpsisse.

Praeterea et hos diligentius exquirite, qui mutuo ac studiose digladientur in hac de Origene quaestione, hinc nempe s. Pamphilus et Eusebius, inde Theophilus, Epiphanius et Hieronymus. Considerate, inquam s. Pamphilum et Eusebium, qui unanimes ab initio seculi IV. adversus nonnullos aut obtrectatores, seu ignaros Origenis doctrinae, partes ejusdem complexi, suae fidei et doctrinae integritati consuluerunt, falsa ei inscripta dogmata refutantes: « Quaecumque vero (inquit Eusebius in Libro IV. c. XXXIII. Ed. Valesii) necesse est de illo (Origene) cognoscere, ea peti possunt ex Apologetico, qui a nobis et a sacrosancto nostri temporis martyre Pamphilo pro illius defensione conscriptus est. Quem quidem nos propter malevolos quosdam accusatores, communi studio atque opera junctim elaboravimus. » Ac simul animum intendite ad ea, quae adversus Origenem eumdem scripsere Theophilus, Epiphanius et Hieronymus octoginta circiter annos post.

Verumtamen in his comparandis nemo non videt discrepantiam propriae cujusque depositionis. Primi, idest s. Pam-

philus et Eusebius talia deposuere pro Origene, scripta sua genuina prae oculis habentes, ac testes sinceros, sive traditionem ex eorumdem ore acceptam, qui audierunt et viderunt quanta in vita docuit, egitque mirabilia Adamantius; et qui libros ipsius legere proprio, vel aliorum calamo descriptos sub ejusdem dictamine, fideliterque custoditos. Ac insuper ea animadvertite, quae ambo testes narrent de Origene; ubi nulla amborum intercedit sive incertitudo, vel antilogïa tam in principio tam in fine, adeo ut putandum esset eos aliquando de suis narrationibus dubitasse, vel consilium mutasse, sive contradixisse: atque praesertim s. Pamphilum, quem suo sanguine fere dici potest talia subsignasse. Tanta (paulo enim post pro Christo decertans, victor coelum petiit) tanta illi inerat persuasio, quae scripserat Origenes, cuncta orthodoxam praestare doctrinam; atque pie illum in Ecclesia supremam obiisse diem.

Ceteri vero Theophilus, dico, Hieronymus, et Epiphanius, quemadmodum suo loco notavimus, non solum superantur a praefatis circa codices librorum Origenis, quos incaute legerunt, minus exactos, vel apocriphos, sive interpolatos; verum et illud maximum est in proposito nostro, quod hi (dummodo quidquam donetur Epiphanio) ab initio ad finem hujusmodi praesetulerint instabilitatem in hac tractanda quaestione, ut accurate expensis eorumdem dictis de Origenis doctrina, vix inveniri poterit, quid reapse decernendum, vel putandum de eo sit. Alias enim laudibus decorarunt Origenem, ejusque dogmata ceu apostolica susceperunt. Alias tanquam nefanda despuerunt Apostolorum statutis veluti contraria. Alias dubitando huc illuc erraront, nunc probantes, modo reprobantes, seipsos et qui eorum legissent libros, incertitudini committentes.

His expositis, animadvertite, num probe Theophilus eorum princeps, qui odio acerrimo exarserunt adversus Origenem, et tanti scandali ob hoc incitator in ecclesiis, expendite num jure in Epistola paschali II. n. 13. contra hunc zelo furenti aestuans scripserit: « *Verum non est contentus* (Origenes) *hoc fine blasphemiae, sed in morem lunaticorum furorem suum illisione dentium et spumantium salivarum eje-*

ctione testatur, stultitiae suae currum agens furibundus. »
Cernite num haec jure Origeni inscribenda sint, an potius Theophilo: qui immodico zelo motus, inconsultus, prudentium consiliis despectis, argumentis usus irrationabilibus, vana inductus praesumptione, odio et ultione insaniens, ac stultitiae suae currum agens furibundus, in virum irrupit nullius haereseos, nec criminis reum: ac una sanctorum virorum choros, quasi fera deserti cuncta depascens, e monasteriis suis dispersit; qui eo usque Orientis et Occidentis acciverant admirationem ob excellentem illorum pietatem, fideique sanctitatem.

Quae vero hucusque sapientiae vestrae judicio obtuli de Origene consideranda, cumulanda veniunt ex perpetuo apud tyrios invalescente testimonio, in quorum urbe diuturne vixit ac mortuus est; et apud quos traditiones tanto viro propitiae nunquam cessarunt in propositi nostri confirmationem. Petrus Halloixius Societatis Jesu, qui cunctis usque modo excelluit in Origenis apologiae opera navanda, Libro inscripto *Origenes defensus*, de sepulchro illius haec in notis c. XXIII. tradit: « Guilielmus tyrius, insignis scriptor, qui ipsius civitatis Tyri fuit archiepiscopus eaque scripsit, quae oculis suis vidit, historiam scripsit *De bello sacro* libris viginti tribus; in quorum decimo tertio fuse describit suam Tyrum; ac inter alias ejus laudes, hanc interserit: *Haec eadem et Origenis corpus occultat, sicut oculata fide etiam hodie licet inspicere.* » Et huc revocat s. Hieronymi testimonium, qui ait Origenem Tyri mortuum. Scribebat autem, subdit Halloixius, Guilielmus anno Christi circiter 1180. quo tempore oculatus fuit testis sepulchri Origenis. De quo sepulchro centum annis post similia scripsit Jacobus a Vitriaco cardinalis in Historia sua hierosolymitana, et alii post eum similiter. Et nominatim Borchardus Ordinis s. Dominici religiosus, qui vixit circa annum Domini 1283. in *descriptione Terrae Sanctae* c. II. n. 5. dum agit de urbe Tyro, ita notat: *Origenes, in Tyro in sancti Sepulchri ecclesia jacet pariete conclusus: cujus titulum et vidi et legi.* »

Bernardus de Bredembach moguntinae Ecclesiae decanus in Opere *transmarinae peregrinationis*, de Tyri civitate

haec ait: *Origenes ibidem in ecclesia sancti Sepulchri requiescit in muro conclusus.* Christianus Adricomius batavus Terrae Sanctae lustrator narrans mortem et sepulturam in urbe Tyri imperatoris Friderici Barbarossae suevi, addit: *Ubi et illustre Origenis sepulchrum* (qui ante annos nongentos quadraginta mortuus erat) *in Ecclesia s. Sepulchri, insigni titulo in marmorea columna auro gemmisque ornato, etiam tum visebatur.* Joannes Colonicus in *Itinerario hierosolymitano* amplam exegit descriptionem urbis Tyri, in qua haec notantur: « Etiam hodie extant vestigia duorum templorum, quorum majus titulo Sepulchri dominici fuerit decoratum; minus divo Joanni discipulo Domini dicatum, et utrumque reliquiis multorum martyrum sub Diocletiano passorum, quondam clarum. Et addit: In majori pone altare maximum, magni Origenis corpus conditum ferunt. Vide etiam Franciscum Quaresmium minoritam Libro VII. etc. »

His porro testimoniis de Origenis sepulchro addendum est, quod nuper per litteras accepi a clarissimo et reverentissimo patriarcha hierosolymitano Josepho Vallerga: qui benigne huic meo satisfaciens desiderio, scripsit ad Athanasium Tyri archiepiscopum ut, quae vulgo narrantur apud tyrios de hoc sepulchro, indicaret. Praefatus archiepiscopus per quam sollicite respondens, universim (pluribus testibus adductis) praefatas confirmans narrationes, adjecit istud sepulchrum situm esse ad episcopii latus sub aedibus quondam spectantibus ad monachos salvatorianos, nunc vero ad Neiruz Aghà; ubi antiquitus ecclesia sub Origenis nomine extructa fuerat, sanctoque Joanni dicata.

Simul itaque sumptae praemissae narrationes, quamvis in quibusdam discordent, in hoc tamen conveniunt ut ostendant, quam enucleandam, stabiliendamque suscepi, non solum Origenis doctrinam, sed et pietatem; quibus in Ecclesia praeluxit, et in qua defunctus est. Proindeque non nisi obtrectatoribus, malevolis, invidis et illusis inscribendi sunt, qui ab aetate Theophili praesertim in vulgus diffunduntur, ejus in fide errores, ejusque obitus extra Ecclesiam Catholicam, ut sic firmetur, quod ab initio seculi IV. s. Pamphilus martyr saepe celebratus, in prologo Apologetici de eo scribit:

Qui per tot annos magister Ecclesiae fuit: qui in Ecclesia Catholica senuit.

Quamobrem hic opportune incidit, quod Socrates in Libro VII. c. XLV. Hist. Eccles. tractans de translatione corporis s. Joannis Chrysostomi ab exilio, deque ejusdem receptione in communionem, scribit: « Ceterum hoc in loco mirari subit, quomodo factum sit, ut invidiae livor Origenem quidem mortuum appetierit, Joanni vero pepercerit. Nam ille quidem (Origenes) annis circiter ducentis ab ejus morte a Theophilo excommunicatus est. Joannes vero post mortem quinto et trigesimo a Proclo receptus est in communione. Tantum discrimen fuit inter Procli mores atque Theophili. Verum haec qua ratione facta sint, et quotidie fiant, prudentes viros minime latet. »

Quibus verbis sententiam suam haud obscure indicavit Historicus, quod nimirum Origenes, qui cum pietate vixit ac pie mortuus est, tot annis post obitum elapsis, damnatus sit a Theophilo. Quod autem Joannes Chrysostomus anno trigesimoquinto post mortem honorifice reductus est in patriam, id Procli et plebis constantinopolitanae amori et benevolentiae tribuit Socrates, et tanti episcopi sanctimoniae. Et iste est Joannes, qui ingenue et integra conscientia inter primos viriliter Origenis causam suscipiens, hunc una cum monachis nitriensibus, non obstantibus adversus se insimulationibus et minis, vindicare studuit ab invidorum insidiis et ab improbitate Theophili.

Quapropter Socrates, quippe genuinae conscius historiae gestorum inter Theophilum et praefatos monachos de libris et persona Origenis, summopere vestram, o judices, postulat considerationem, ut quandoque agnoscatis Origenem veluti alterum Josephum ob fratrum suorum invidiam venditum fuisse ismaelitis, in terram Aegypti translatum, atque ibi ob calumniam carceri mancipatum, jure meritoque ad vos clamare, dicentem: quia furto sublatus sum de terra hebraeorum, idest de Ecclesia Dei; et hic innocens in terra aliena extra ovile Christi jam quindecim ab hinc seculis amandatus fui. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: nihilominus ab invidia supplantatus, et a calumniis, in hunc ignominiae lacum dejectus sum.

Ad vos, inquam, clamat Origenes, veluti Chrysostomus calumniam passus, in terra aliena defunctus et ab Ecclesia depulsus, donec post triginta quinque annos ab ejus obitu, instante quam maxime s. Proclo, sanctorum albo inscriptus est. Ad vos clamat Origenes tanquam alter constantinopolitanus episcopus Flavianus, iniquissima haeretici nota inustus, qui a s. Leone Papa defensus, nuncupatus est fidei catholicae propugnator. Horum instar ad vos clamat Origenes, qui ad centum quinquaginta annos post obitum cum ss. Patribus honoratus est: ita ut, si is infirmitatis suae conscius nolens aliquando erraverit, eidem donetis, sicuti et ceteris Ecclesiae Patribus quidquam similiter donastis. Donastis sane s. Cypriano ac ceteris, qui minus recta, vel dubia nescii ac inviti pronunciarunt aliquando de re christiana, aut argumenti gravitate pressi, vel temporis circumstantiis cedentes praesertim in primis Ecclesiae seculis.

Siquid igitur his lubenter donastis, eorumdem parcentes conditioni, donate quoque Origeni, qui in eisdem conditionibus versatus est: eumque levate a tanta falsarum criminationum colluvie onustum, et praecipue ab illa indignissima et intoleranda *viri impii* nota, cui a diuturna annorum serie subjacet, proborum stupore, catholicorum aegritudine, haereticorum plausu, pseudo-philosophis hujus aetatis potissimum et incredulis pleno choro obstrepentibus et laetantibus.

Et ad hoc tandem vestram attentionem postulo: quod si, cunctis his libratis disquisitionibus, tantum virum vel Confessoris, vel Doctoris, vel Ecclesiae Patris, vel quoque Martyris titulo honoraveritis, haud lateat, vos Origeni reddituros, quod ab orbe christiano seu in vita, vel post mortem ad centum quinquaginta annos jure inscriptum fuerat; et quod deinde ab exordio seculi V. infaustissima sorte, ex malevolorum et invidorum fraude, et quorumdam bonae fidei illusione, ei sublatum est.



INDEX

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

CONCLUSIO





